38079/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30529657_0003

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM

QVAM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM

IN

PRAXEOS ADIVMENTVM

CONSIDERATVS


VOLVMEN TERTIVM.

AVCTORE

IO. ANDREA MVRRAY D.

EQVITE ORD. R. DE WASA

CONSILIARIO R. AVLAE PROFESSORE MEDIC. ET BOTAN. O. IN ACAD. R. GOTTING. PRAEFECTO HORTI R. BOTAN. SOCIETATVM SCIENTIARVM GOTTINGENS. STOCKHOLM. VPSAL. GOTHENB. ET LVNDENS. MEDICARVM PARISIENS. NANCEI. ET HAFN. ATQVE OECONOMICARVM BERNENS. ET CELLENS. MEMBRO.



GOTTINGAE

Apud IOANN. CHRIST. DIETERICH.

1 7 8 4.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VOLVMEN TERTIVM.

STIRPES.

Multiſiliquae.
Senticoſae.
Pomaceae.
Heſperideae.
Succulentae.
Columniferae.
Gruinales.
Caryophylleae.
Calycanthemae.
Aſcyroideae.
Coadunatae.

ORDO XXVI.
MVLTISILIQVAE.

AQVILEGIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 420. *Gen. pl. p.* 275.

329.

Pharm. AQVILEGIAE *Semina*; *Flores*; *Herba.*

Aquilegia vulgaris; nectariis incuruis LINN. *Spec. pl. p.* 752. Aquilegia ſylueſtris C. B. Ludit flos, etiam ſpontaneae plantae, colorum varietate, etſi coeruleus maxime obuius, qui ipſe ſpeciatim eligendus, dum florum ratio habeatur. Icon. *Fl. Dan. Tab.* 695. REGNAVLT *Botanique*, l' Ancolie. IO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* vbi flos ruber ſiſtitur. Pl. perennis dumetorum. Vulgare hortorum ornamentum, quum placeat multiplici florum colore et plenitudine.

Seneſcentis in re medica famae.

SEMEN exiguum, ouatum, triquetrum, nitens cortice nigro, medullam albam complectente. Guſtans ſemina ſentio ſaporem primo ſubdulcem, qualem praebent oleoſa ſemina, et nonnihil viſcoſum, dein ex reſoluto per ſaliuam cortice, amaricantem cum miti acrimonia. Si vera eſſent, quae ſparſim narrantur: variolas et morbillos expellendi, et reſoluendi impacta, efficacia excelleret. Quod ad pellentem iſtam vim attinet: non dubia vnice ſciolarum anicularum fide claruit, ſed medicorum quorundam ſuperioris adeo ſubſellii auctoritate, Sanctimoniam ſuam teſtatur S. PAVLLI (*Quadrip. bot. p.* 23.), ſemine ad drachmam dimidiam dato in puluere, vel ad integram in emulſione, puerulos in dictis exanthematicis morbis veluti ex orco fuiſſe reuocatos. Similiter cel. SCOPOLI (*Fl. carniol. ed. I. p.* 551.), praeuio aliorum praeclarorum virorum exemplo familiariter ad eruptionem horum exanthematum adiuuandam ſe vti hocce ſemine declarat, vel in emulſione vel in puluere ad ſemidrachmam quouis trihorio dato. Mitto alia celebria nomina, inter quae LINNEVS quidem huic virtuti ſubſcribit, ſed nimiam doſin ab aniculis praeceptam infantes occidere monet (*Fl. Svec. p.* 187.). Suſpectam omnino illud reddit cum maligna familia cognatio. Et efficacius inſuper calcar requiro, ſi rarior neceſſitas incidit, torpeſcentem exanthematum eruptionem accelerandi, illud ſcilicet, quod vires naturae proſtratas erigit.

Prae

Prae reliquis morbis, quibus deobſtruendo ſubvenire iudicatur, icteri mentio crebrior fit, inde a TRAGO (*Kreutterbuch p.* 44. *b.*) profecta, repetita paſſim in breuiariis praecipue, ſed non ea momentorum ſingulorum enucleatione, vt ad noua experimenta animum incitaret. Annuit quodammodo alius ſeminis oleoſi ſimilis efficacitas, Cannabis nimirum.

FLORES comprehendunt et corollas et nectaria. Tinctura ex infuſione non nimis protracta recentium ſuccoſorum et integrorum emergit, grate coerulea, quae rubeſcit acidis, virideſcit autem oleo tartari per deliquium (BERG. *mat. med. p.*486). Addito ſaccharo *Syrupus* paratur eiusdem coloris, ad dignoſcendam abditam naturam ſalium ſyrupo Violarum longe aptior. Iſte quoque ſyrupus facilius virideſcit ex addito colore quodam luteo vel ferro, quam alter ex Violis (MODELS *chem. Nebenſtunden p.* 76. *ſq.*). Reprehendi vero debet fraudulentorum quorundam pharmocopolarum aſtutia, qui ſimilem, veri ſyrupi Violarum nomine, vendunt, iis praecipue locis, quibus parcior, vel nullus Violarum prouentus ſuppetit. Hi, vt vel odore emtoribus imponant, tincturae florum Aquilegiae odorem radice Ireos Florentinae impertiunt. Suppoſititio tamen huic ſyrupo deeſt vis anodyna et antiſpaſmodica, qua ipſa Violarum ſyrupus genuinus pollet. (v. *Appar. med. T. I. p.* 520.), vt re-

ticeam, ob affinitatem non omni ſuſpicione acrimoniae latentis Aquilegiae flores eſſe liberos.

Apes floribus pro colligendo melle delectantur. Quoniam vero lingua ſua ad fundum nectariorum inflexorum et longorum, non pertingunt, perforant illum, vt in aliis ſimilibus nectariis fieri ſolet, extrorſum, ſicque nectar ſibi gratum hauriunt.

HERBA recens parum amara, et nauſeoſi ſaporis. Quae de vi ſucci expreſſi antiſcorbutica ab EYSELIO (*Diſſ. de Aquilegia antiſcorbuticorum aſylo, reſp.* SCHVBART, *Erford.* 1716.) olim ample narrata, recentiori experientia non confirmantur. Tantum adeo illi dedit, vt ſe nihil praeſtantius illo nouiſſe pronunciaret, et nominatim in haemorrhagiis vteri, ſudoribus hecticis, a vitio ſcorbutico ortis, compeſcendis ſuam experientiam praetenderet, in ſcorbutica autem gingiuarum putredine decoctum herbae cum vino, cui pauxillum ſucci dianucum admixtum eſſet, pro gargariſmate certiſſimum praedicaret. Vereor, ne in diagnoſi morbi vitium commiſſum fuerit; nec facile in tanta a mari diſtantia experimenta cum antiſcorbuticis capi poſſunt. Euiluit quoque vſus herbae in collutionibus oris et gargarismis, qui olim in Anglia in affectibus faucium et aſperae arteriae calidis locum habuit. (RAII *Hiſt. plant. T. I. p.* 707.).

PRAE-

PRAEPARATVM.

TINCTVRA FLORVM AQVILEGIAE *Ph. Würt. p.* 223. Recipit aquoſa haec tinctura vitrioli ſpiritum. Carere ea facile poſſumus, quum acidi huius beneficium aptiori vehiculo impertiri queat. Nolo TOVRNEFORTII (*Hiſt. des Plantes de Paris Vol. 2. p.* 264.) nomen pro confirmanda vtilitate eius in oris et gingiuarum vitiis ſcorbuticis proferre, quum iſte de tinctura ſpirituoſa loquatur et aliis contra haſce labes opportunis commixta.

ACONITVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 419. *Gen. pl. p.* 274.

330.

Pharm. ACONITI (Störckii) ſ. NAPELLI (quod nomen ad deſignandam ſtirpem praeſtat) *Herba.*

Aconitum Napellus; foliorum laciniis linearibus ſuperne latioribus linea exaratis. LINN. *Spec. pl. p.* 751. Aconitum coeruleum ſ. Napellus C. B. Icon. IACQ. *Fl. auſtr. Tab.* 381. IO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* REGNAVLT *Botan.* Le Napel. STÖRCKII *Libell. de Stramonio, Hyoſcyamo, Aconito Tab.* 3. Monographiam eius concinnam praeſtitit SAM. ABRAH. REINHOLD *Diſſ. de Aconito Napello. Argent.* 1769. Pl. perennis, locis elatis creſcens in Gallia, Heluetia, item Germania hinc inde, mihi nomi-

 natim

natim in Blankenburgi vicinia occurrit. In Suecia prope Fahlunam obuia. Colitur quoque ornamenti cauſa in hortis, a quibus tamen praeſtat abeſſe, ne floris gratia ignaros decipiat, praecipue infantes.

Sermo hic eſt de varietate: flore ſaturatius violaceo. Reprobabunt forſitan quidam, me STÖRCKII iconem huic plantae adiunxiſſe, quum HALLERVS (*Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1198.) contra ea iſtam Aconito Cammaro L. cum omnibus a STÖRCKIO aliisque medicis Napello L. adſcriptis effectibus, tribuerit. Verum ipſe obſeruaui, pro aetate varia plantae differre foliorum lacinias figura et profunditate, quin in vno eodemque caule, ita vt inferiora folia magis laciniata et acuminata appareant ſuperioribus, porro florum pedunculos mox vnifloros mox multifloros eſſe, galeas item mox breuiori mox longiori apice diſtinctas, et numerum piſtillorum a ternario ad quinarium tendentem. Nec ſcio, quomodo illuſtris vir LINNEI adeo effatum de Chirurgo, Napello ex inſcitia comeſto, pereunte ad Cammarum potuerit referre, quum botanicorum ille princeps data opera id de Napello pronunciet, et Cammarum pro peculiari ſpecie agnoſcat. Vt confuſio inter vtramque ſpeciem vitetur, conferre iam indicatam Napelli iconem, ab. ill. IACQVIN praeſtitam, cum imagine et deſcriptione A. Cammari, (IACQ. *Fl. auſtr. tab.* 424. *p.* 11.) conducit.

Veſti-

Veſtigiis territus horreo ſterilem inquirendi laborem, vtrum *Aconitum* THEOPHRASTI, DIOSCORIDIS, PLINII aliorumque inter veteres cum noſtro idem ſit, an potius illud ad aliud longe plantarum genus, vt Ranunculum, referendum; item, an quae ſtirps ab Arabum interpretibus et ſectatoribus *Napellus* ob radicem napiformem dicta, noſtra ſit. Quousque in hac indagine peruentum fuerit, ſcire auentibus, REINHOLDII (*Diſſ.* §. 1.) opera ſatisfaciet.

In hiſce tenebris non licet vires Napelli ex veterum ſenſis repetere, qui quidem ſuum Aconitum tam deleterium habuerunt, vt ab Hecate inuentum aut ex Cerberi ſpuma enatum pronunciarent. Noſmet vero maneamus in terrenis, cum quibus nobis maior familiaritas.

Et *Radici* et HERBAE ſuccoſae inſignis inſidet acrimonia, nec illi deſunt leuia viroſae naturae veſtigia, quae odoratus reuelat. Prior, quae nondum quidem medicaminum numerum auxit, maſticata mitem naturam ſimulat, ſed paullo poſt linguae apici ſtuporem, labiis, gingiuis, palato eiusque velo, item baſi linguae, ardorem pungentem impertit, ſubſequente tremulo motu et frigoris ſenſu ſenſim euanidum, exſiccatione eius multum acrimoniae perit. (REINHOLD. §. 5.). Herba recens non cedit illi ſapore acri. Siccatam vero et maſticatam, etſi vnus (REINHOLD *l. c.*) inſipidam fere deſcribat, alter (STÖRCK *Lib. de*

Aconito etc. p. 71.) eam in puluere linguae impoſitam, excitaſſe ardorem diu inhaerentem et vagos lancinantes dolores, absque rubedine tamen et inflammatione ſenſit. Simul copioſam ſaliuam in os conuertit. Vlceri cancroſo et fungoſo puluis eiusdem inſperſus, neque doloris vel ardoris ſenſum creauit, neque fungoſam carnem comſumſit. Extractum lingua retentum titillationem modo peperit, et intra palpebram inferiorem collocatum lacrymas quidem prouocauit, ſed absque ardore (STÖRCK *l. c.*). Succus expreſſus, intra cubile ſeruatus, hoc odore ingrato foetido repIet, ſaporem autem prodit, primum non nihil auſterum, poſtea ardentem cum pertinacia. Remanet etiam in extracto virus odore percipiendum, item ſapor acris etſi mitior et ſubſalſus (REINHOLD. §. 6.).

Ex dictis licet haud obſcurum iudicium de veneno latente ferri poſſit, funeſto tamen effectu, quem in bruta bene multa exſerit, hoc manifeſtius euadit. Experimenta, conſulto hiſce inſtituta, pleraque ad radicem ſpectant, qua ingeſta vel perierunt animalia, lupus, feles, mures, canes, diriſſimis affectionibus praegreſſis, quorſum pertinent vomitus, ſingultus, ſuſpiria, deglutiendi difficultas, anxietas, conuulſiones, intumeſcentia abdominis, vel aegre vitae periculo emerſerunt. (Conf. WEPFER *Hiſt. de Cicuta cap.* 11. *p.* 176. *ſqq. de Napello.* COVRTEN in *Phil. Tranſact. vol.* 27. *p.* 488. SPRÖGEL. *Diſſ. Exper.*

circa

circa venena p. 6. *ſqq.* HILLEFELD *Exp. circa ven.* p. 23. *ſqq.* EHRHART *M. D. Argent.* in *Diſſ. cl.* REINHOLD.). In lupo quidem ſub muco ſpumeo ventriculus inflammatus apparuit (WEPF. *l. c.* p. 180.): ſed neque in catello (*l. c.* p. 177.), nec in fele (SPRÖG. *l. c.* p. 9.), ſuperficies alba omnino et illaeſa exſtitit, vt vel inde in neruos vim funeſtam ſuam praecipue exſerere coniiciam. In quibusdam animalibus ſanguis in vaſis iuſto fluidior apparuit (WEPF. *l. c.* p. 177. et SPRÖG. *l. c.* p. 9.). Decoctum radicis cimices lectorum necat, et puluis eius butyro mixtus muribus loco arſenici eſt (SCOPOLI *Fl. Carn. ed.* 1. p. 550.). Folia vero recentia cum floribus et ſeminibus etſi caſu ſingulari impune ad vnciam a cane deuorata (COVRTEN *l. c. p.* 488.) fuerint: conſtat tamen boues et capras in paſcuum Napello ſcatens coactas periiſſe (MORAEVS *Fil.* in *K. Vet. Acad. Handl.* 1745. p. 217. *ſqq.*). Equis ſiccata herba non nocet (MORAEVS *l. c.* p. 220. LINN. *Fl. ſuec.* p. 186.).

Sed nec hominum vitae vel integritati parcit Napellus. Aliis horum impoſuit fraus vel inſcitia, alios, ſcelere infames, iudicum rigor ad experimentum ambigui exitus ſubeundum adegit, quo, vt CELSI verbis vtar, hominum nocentium ſuppliciis remedia populis innocentibus ferrentur. Iterum ab herba radicem diſtinguo, cuius deleteriam vim ex multis obuiis ſufficiet exemplis paucioribus demonſtrare. Quum radix, quae vene-

ni atrocia reliquis plantae partibus ſuperior eſt, quatuor latronibus exhiberetur, binis Romae Pontificis CLEMENT. 7. iuſſu a 1524., et binis aliis Pragae a. 1561. volente Caeſare: horum quidem duo poſt multos cruciatus et opem praeſtitam vitae periculum eluctati ſunt, reliqui vero miſere perierunt. Horum vni drachma vna data per ſeſquialteram horam nihil mali attulit, poſtquam vero MATTHIOLVS illi ceteras Napelli partes, caulem, folia etc. commiſtas offerret, poſt paucarum horarum inducias turbae immanes enatae, imbecillitas inſignis, ſudor frigidus faciei, aſphyxia, ſpaſmi, deliquium animi, inuoluntaria alui deiectio, vomitio bilioſa et liuida, obmuteſcentia, mors apoplectica. Felicior alter, in quo citius effectus ſeſe exſeruit, item praecocius vomitio, cui, nec inerti lapidi Bezoar, licet vaga artuum paralyſis, vertigines, conuulſiui in facie motus, mentis perturbatio etc. ſuccederent, ſeruatam vitam tribuo (Conf. MATTHIOLVS *in* DIOSC. *ed.* C. BAVH. *p.* 768.). Inter acetaria errore comeſta radix multos itidem necaſſe traditur (DODON. *ſtirp. Pempt.* 3. *L.* 4. *p.* 442.). Sponte igitur patet, quanto damno cedat, hanc radicem Hellebori nigri radici ſubſtituere, vt quondam in Sabaudia et in Gallia factum eſt (WEPF. *l. c. p.* 181.); et iuſta ſuſpicio eſt, hoc adhucdum in ipſa Germania ſubinde fieri (*Nov. Act. nat. cur. T.* 6. *p.* 129. *et App.*).

Succus

Succus herbae per exiguum vulnus pollicis, quum praecideretur ſtirps, intrans, dolores non ſolum digiti et brachii, ſed etiam cardialgias, anxietates cum metu ſuffocationis, lipothymiam aeſtumque et gangraenam, ſuppurationem denique inſignem excitauit (RÖDDER in ALBERTI *Juriſp. med. T. 6. p.* 724.). Ne vero quis credat, per diſciſſa et patula vaſa herbam vnice infeſtam eſſe: reuoco in memoriam exemplum hominis, ex ingeſtis foliis Napelli teneris in acetario cum aliis herbis, primum maniaci, dein intra nychthemeri ſpatium necati (WILLIS *de anima brutor. p.* 289.); porro duorum, qui pariter in acetario loco Apii foliorum herba Napelli cum aliis herbis vſi fuerunt: horum vnus, vir, rediit quidem omnino cum ſanitate per vomitiones, antiſpaſmodica et analeptica in gratiam, ſed praeceſſerant ſenſus caloris linguam et maxillas dein reliquum corpus adurentis, intumeſcentia faciei, debilitas artuum, ſubſultus tendinum, languens ſanguinis motus, poſt oleum ingeſtum vomitio, vertigo, caligo oculorum, tinnitus aurium, animi deliquia; alter homo, foemina, leuius quidem affectus fuit, ſed ob emeticum neglectum tam male, vt, dum memoriae dicta traderentur, reſtitutio anceps eſſet (BACON in *philoſ. Tranſ. vol.* 38. *p.* 287. *ſqq.*). Addo narrationem de tribus hominibus comeſta herba grauiter in Suecia correptis, quae tanto memorabilior, quum inde conſtet,

ſtet, nec climatis frigidi rigore miteſcere Napelli virus. Vnus, V. D. Miniſter, pauxillum eius recentis ingeſſit, inſania breui inde correptus. Hoc quum narraretur Chirurgo cuidam, ſcientiae ſuae iuſto plus tribuenti, hic, ridens culpam herbae adſcriptam, ipſe copiam eius recentis deuorauit, et comiti itineris, homini militari, ſuo exemplo et perſuaſione impoſuit, vt pariter eam deglutiret, quod, quum parce modo ab eo fieret, ſubuerti quidem coepit ventriculus et ſitis grauare moleſta. Chirurgus vero ipſe inſcitiae poenam vitae iactura luit, quam pertinaciſſimus ſopor praeceſſit, relictis poſt mortem maculis liuidis circa collum, dorſum, et hinc inde in reliquo corpore (MORAEVS *ſen.* in *K. Vet. Ac. Handl.* 1739. *p.* 41. *ſqq.*).

Quae de variis noxis, intumeſcentia, anxietate, deliquio animi, debilitate, ex geſtata vnice manu planta aut in ſinu a puellis recondita feruntur, haec vel falſa obſeruatione niti arbitror, vel peculiari corporis idioſyncraſia, quae in cauſa eſt, ut attactum Toxicodendron quosdam male habeat, fraga exanthemata excitent, vt reticeam alia exempla, rem illuſtrantia. Haec prout iuſto latius veneni efficacitatem extendunt: ſic quae de eſu herbae innoxio in cibo inſtar oleris traduntur, iuſto mitiorem illam proponunt; ita vt vel aliam ſtirpem ſubſuiſſe vel pin-

guedinis

guedinis additamento et coctione eneruatam iſtam iure cenſeas.

Si externum vſum radicis exceperis, quo, inſtar radicis Hellebori, in animalibus per cutem ad ſuppurationem ciendam traiecta fuit, item puluis eiusdem cuti contra vitiliginem illitus, vel etiam temerarium internum contra intermittentes febres doſi ampla (REINHOLD *Diſſ.* §. 3.): primus ill. L. B. a STÖRCK eſt, qui vires plantae medicas ad iuſtam cenſuram reuocauit. Quum nimirum exploratione per ſenſus, ſiccata folia vel ignis vim experta miteſcere conſtaret, in ſucco inſpiſſato exhibere aegris illa tutum iudicauit, tanto magis, ſi extracti tantilla pars magna ſacchari copia obtunderetur. In ſelectu morborum aliquam normam dedit aucta tranſpiratio et notabilis mador, quem ipſe in ſe tentamine repetito ſenſit (*Libell. de Stram. a.* 1762. *p.* 72. *ſq.*).

Ex foliorum Napelli recentium libris quatuor expreſſione per torcular eliciuntur vnciae viginti quinque cum aliquot drachmis ſucci ſpiſſioris. Hic neutiquam depuratus, ex vnciis circiter viginti et duabus lente in EXTRACTI ſpiſſitudinem denſatis, eius vncias duas cum dimidia largitur coloris ex fuſco rufi (REINHOLD *Diſſ.* §. 6.). Anno vetuſtius extractum vires ſuas ſenſim perdit. Recens contra, initio ad ſeſquigranum vel duo grana datum, aliquando vomitum mouit (VOGEL *chir. Wahrnehm.* I. *Samml. p.* 4.).

p. 4.). Aptiſſime vero herba pro extracto legitur, antequam flores prodierint (STÖRCK. *Contin. Experim. p.* 93.); quod quidem tempus legendis herbis in vniverſum accommodatiſſimum eſt. Attamen alius (STÖLLER *Beob. u. Erfahr. p.* 146.) vna ſuccum ex floribus et foliis elicuit, quorum illi quidem nullam acrimoniam in lingua produnt (REINHOLD § 5.). Fuit (de qua re infra), qui ob defectum Napelli eodem ſucceſſu eidem Aconitum Lycoctonum ſubſtituit.

Iſtud vero ex ſucco herbae Napelli paratum extractum, in morbis variis pertinacibus chronicis ſolamen, auxiliumque affert efficaciſſimum.

Horum e numero potiſſimum rheumatici et arthritici ſunt, qui ipſi ſubinde longo temporis ſpatio durarunt, vni loco affixi, cruciatus diriſſimos, cum impotentia motus et ſaepe intumeſcentia partis cientes vimque aliorum remediorum eludentes. Vtrumque morbum vna complectar, qui ſaepe ſede vnice differt et in quibusdam aegris alternat, doloroſo ſenſu inter ſeſe conuenit, et eosdem in medendo ſcopos ſibi praefixos habet, ſoluendi ſcilicet materiem impactam, ſaepe acrem, neruos irritantem, eandemque ſolutam per cutis poros vel per alias excretorias vias eliminandi. Cauſae horum malorum non vbiuis ab obſeruatoribus ſignificatae ſunt. Sufficit hic indicaſſe, in plerisque absque inquinamento quodam alieno humorum, ſubinde autem venereo, illos irrepſiſſe.

STÖR-

STÖRCKIVS multas vberius conſignatas hiſtorias felicis curationis, in dictis doloroſis morbis extracto cum ſaccharo mixto perpetratae, nobis reliquit (*Libell. de Stramonio etc. Caſ.* 1. 2. 10. 11. 14. *Contin. experim. Caſ.* 2. 3. 6. 7. 9. 10. 13. Conf. EIVSD. *Libell. de Pulſatilla nigric. p.* 58.). Idem conſilium ſequutus eſt cel. COLLIN (*Obſeruatt. Pars* 2. *Caſ.* 2. 3. 5. 7.). Haud cunctanter in hiſce praecipue morbis Suecici medici ad vſum eius acceſſerunt, inter quos primus nominandus eſt b. a ROSENSTEIN (v. STRANDBERGS *Tal om chroniſka Sjukd. p.* 29. et ROSENSTEIN *Litt.* in *Hall. Epiſt. vol.* 5. *p.* 174.), qui feminae ex refrigerio poſt puerperium iſchiadico malo afflictae, et lecto per octo menſes ſub ſummis cruciatibus detentae, intra binas circiter hebdomades ſanitatem reſtituit. Quantam virtutem in noſocomio Stockholmienſi exſeruerit, cl. BLOM (in *Vet. Ac. Handl.* 1773. *p.* 258. *ſqq.*) prolixius, dein cl. ODHELIVS (*ibid.* 1776. *p.* 68. *ſq.*) paucis verbis expoſuit. In Oſtrobothnia ſaepe proficuum illud inuenit cl. HAST, doloribus et rheumatiſmis a refrigerio olim inducto infeſtantibus (*Med. Verkets tilſtånd p.* 307.). Memorabilis eſt curatio, quam cl. RIBE (v. REINHOLD. *Diſſ. p.* 37.) Napello in puella perfecit, quae, praeter dolorem atrociſſimum et immobilitatem brachiorum eamque annoſam, in horum muſculis anticis duritiem fere eburneam contraxerat. — Tranſeo ad aliarum quarundam re-

gionum

gionum medicos. Lipſiae in rheumatiſmis aliisque, praecipue articulorum, doloribus ſat bonus effectus perceptus inde fuit (*Comment. de rebus in ſcient. nat. et med. geſtis Vol. II. p.* 240. *not.*). Ex Halenſium experimentis tria nobiſcum communicat cl. ANDREAE (*Diſſ. de vſu ſalutari Extr. Acon. in arthritide, praeſ.* BÖHMER, *Hal.* 1768. *a pag.* 10. *ad* 13.), quibus arthritidis obſtinatae ſeſe exhibuit exoptatiſſimam medelam, dum puluis ex concharum praeparatarum drachmis quinque et Extracti Napelli granis quinque in triginta partes diuiſus pararetur, quarum binae ſingulo die ingeſtae. Qui femora autem duplici caſu corripuit rheumatiſmus, hunc extracto, more STÖRCKII dato, breui diſcuſſit cl. IO. AVG. PHIL. GESNER (*Beobacht. a. d. Arzn. Vol. I. p.* 196.). Nec ſpe exciderunt medici Argentoratenſes, cll. GVERIN, EHRMANN, EHRHART, qui peregrino calamo (ſcil. REINHOLDI in *Diſſ. cit.* §. 4.) aliquot caſus potiſſimum circa arthritidem verſantes deſcribendos dederunt. Hiſtoria ſingularis, cel. TODE (*med. chir. Bibl. Vol.* 2. *P.* 1. *p.* 120.) adumbrata vel ideo memoranda, quod doceat recidiuas facile fieri, niſi diu ſatis vſus remedii continuetur, id quod ſuo damno expertus eſt homo iſchiade annua correptus, ad finem tamen perfecte ſanatus. In rheumatiſmis adeo dolentiſſimis voto reſpondit clmi. FRITZE (*mediz. Annalen Vol.* 1. *p.* 327.). Miſcelam vero extracti granorum duorum,

qua-

quatuor, octo, et ſalis ſedatiui granorum viginti, ſub connubio Ptiſanae ex radice Bardanae et Chinae, in doloribus tam arthriticis quam rheumaticis valde proficuam reperit cl. STÖLLER (*Beob. u. Erf p.* 146.). Queritur tamen, cui in vtroque hocce morbo ſatisfecit, cl. EBERHARDVS GMELIN, Napellum diu vſurpatum vires inſigniter proſternere, vnde iſte illum cum Arnica et amaris combinat (*N. Act. N. C. Vol.* 6. *p.* 394.). Poſſem, ſi opus eſſet, plura rheumatiſmi exempla curati etiam ex propria experientia addere, et nominatim iſchiadis neruoſae, cuius ante paucos annos tormenta atrociſſima ipſe ſenſi, ſed veſicatorio et Napello breui diſcuſſa.

Ex dictis vero iam elucet, Napellum, quaecunque rheumatiſmi ſedes fuerit, auxilio ſaepe eſſe, et coxarium morbum, qui vulgo difficilior curatu eſt, pari vi ac rheumatiſmos ſuperiorum artuum profligare. Subeſt aliquando complicatio malorum moleſta, prout in iuuene, cui, dolore iſchiadico vehementiſſimo aliquot hebdomadum remittente, femur et crus extenuari coepit (STÖRCK. *Cont. exper. p.* 116.); et in alio, de quo iam recenſui, muſcularis caro in brachiis non ſolum valde dura erat, ſed vtrumque reliquis partibus magis exſuccum, tenuius, frigidius, et manus et digiti omnes incuruati, rigidi. (REINHOLD *Diſſ.* §. 11. *n.* 4.). Alia alibi exempla proſtant dolorum arthriticorum, qui contracturas mem-

membrorum comites habuerunt, Napello tamen devictorum (RAZOUX *Diſſ. epiſt. de Cicuta Stram. Hyoſc. et Aconito* in *Frankf. med. Wochenblatt* 1781. *p.* 314.). Non minor eius eſt efficacia, quando ad caput rheumatica materies ſeſe conuertit (STÖRCK *Cont. l. c. Caſ.* 12.). Imo in femina hemicrania vndecim annorum, ad omnia reliqua rebellis, ſopita (VOGEL *chir. Wahrnehm.* 1. *Samml. p.* 78.). Tantum vero valet in arthritide, vt et nodoſam tollat, ita vt nodi iſti articulorum pedetentim liquati tandem plane diſpareant, reſtituta motus poteſtate (STÖRCK *Libell. de Stram. p.* 101. ANDREAE *Diſſ. cit. p.* 11. EHRHART in REINH. *Diſſ.* §. 11. SCHENCKBECHER *v. d. Kinkina p.* 159. EBERH. GMELIN. *l. c.*). Haecce Napelli efficacia nominatim etiam in podagram cadit (STÖRCK *Cont. experim. p.* 110. 121. ID. *de Pulſatilla p.* 58.). Aliquando in hiſce morbis febris ſimul adfuit, ſed nec validam metuit STÖRCKIVS (*Libell. de Pulſat. p.* 58.), modo nitrum addatur. Alii (GVERIN, EHRHART *Hiſt. γ. δ.* in REINH. *Diſſ.* §. 11.) videntur in Napello et ſtimuli et effectus eiusdem, febris, remedium quaeſiuiſſe.

Praecedat vero vſui, ſi indicia ſordium praeſto ſunt, alui purgatio, pro neceſſitate etiam ſub ipſa ſpecifici adminiſtratione interpolanda. Et quum vulgatiſſima criſis, quae curationem heic abſoluit, ſudore contineatur: hunc oportet ſollerter alere, augere, quod fit lecti fotu, ſero lactis calide poto

(RO-

(ROSENSTEIN *l. c.*), infuſo florum Sambuci, ptiſanis variis ſudoriferis. Plerumque per vniuerſum corpus ſudor profuſus erumpit. Subinde modo ſudor partis affectae obſeruatur (VOGEL *l. c. p.* 78.), qui, ſi ſerius in ea erumpat, tanto certius morbus tollitur (FRITZE *medizin. Annal. Vol. I. p.* 327.). Nonnunquam ſoluit morbum absque vlla criſi manifeſta. (STÖRCK *de Stram. p.* 103. GESNER *l. c. p.* 197.). Aliquando pruritus moleſtus et puſtulae rubicundae, acri humore plenae, ſubſequuntur (STÖRCK *Lib. de Stram. p.* 80.); deſquamatio itidem totius cutis. Sunt, quos et lotii copioſiori profluuio, vel citata aluo, iudicat (STÖRCK *l. c. p.* 110.). Id quod vero ſtirpem hanc commendabilem maxime reddit, eſt celeritas iſta, qua effectum ſuum edit, dum nimirum aegros, plures per menſes imo annos, doloribus afflictos, et libero partium exercitio priuatos, intra paucos dies leuat quin ſanat, idque cum conſtantia. Quod non in omnes et ſingulos hocce beneficium conferat, non maius derogat Napello meritum, quam Chinchinae, Mercurio, Opio, quod ſubinde ſpem multis documentis ſuſtentatam fallant. Ipſe STÖRCKIVS iam initio hanc impotentiam profeſſus eſt. (*l. c. p.* 111.). Dolet GESNERVS (*l. c.*) fruſtranea multa tentamina, etiamſi doſin ſolito maiorem praebuiſſet. Non miror igitur, quod in ſingulari caſu rheumatiſmi in brachio annum durantis nec conti-

 nuatus

nuatus per triginta dies Napelli, etſi copioſius dati, vſus non ſuffecerit (MIEG in *Epiſt.* HALLER. *Vol.* 5. *p.* 146.). Et in rheumatiſmo quodam epidemico aeque iners fuit, ac plura alia ceteroquin ſaepe proficua (STOLL *Rat. med. P.* 3. *p.* 167.).

Non rarae ſunt anchyloſes ex rheumatiſmis praeviis pertinacibus, ſiue muſculi ipſi, otiante eorum functione rigeſcant, ſiue inſuper ſub hocce languore ſmegma naturale articuli ſpiſſatum extrema oſſium coadunet, ſiue materies rheumatica ſtagnatione acrior facta ipſam cartilaginoſam et oſſeam articuli compagem partesque vicinas vitiet et in tumidam deformem immobilitatem conuertat. Diſplicet, quod non vbiuis, vbi tanquam anchyloſeos remedium Napellus laudatur, vera eius natura deſcripta fuerit. Laudatur tamen, idque vniuerſalius, vt coniiciam, non ſemper originis rheumaticae fuiſſe. Articulos rigidos eo reddi mobiles pronunciat STÖRCKIVS (*de Pulſ. p.* 58.); qui et vberius ſanationis anchyloſeos verae circa articulum cubiti exortae meminit, qua ipſa articulus in ingentem molem valde doloroſam intumuerat (*Lib. de Stram. p.* 108.). Alii quidem contigit dolorem diſſipare Napello, ſed remanente incuruatione rigida et tumida eiusdem, quem dixi, articuli (BLOM in *Vet. Acad. Handl.* 1773. *p.* 261.). Fuit tamen, in quo ſuperſtes genu immobilitas

bilitas vaporibus aquae calidae et vnguenti Althaeae inunctione ſublata (SCHENCKBECHER *l. c. p.* 161.).

Vix vero aliis documentis inſignis eius ſoluendi concretos morboſe humores potentia manifeſtius elucet, quam tumoribus in oſſeam fere duritiem denſatis liquandis, quorum quidam adeo Mercurii et Cicutae vim eluſerunt. Eius naturae tumor occupaverat immobilis totam fere ſiniſtram faciem, tumentibus ſimul glandulis maxillae inferioris iisque ſcirrhoſis et maxilla motum fere dolenter detrectante; in dies tamen decrementum cepit tumor (STÖRCK *de Stram. p.* 85.). Par effectus contigit foeminae, tumore duriſſimo, ouum anſerinum magno, infra parotidem dextram labefactatae, doloribus rheumaticis poſtea accedentibus (*l. c. p.* 87.). Euanuerat quoque fere omnino, Napello in ſecundum menſem adhibito, tumor ingens regionis iliacae dextrae (*l. c. p.* 90.). Ex arthritica cauſa qui tibiam vtramque corripuerat tumor, comitantibus dura malleolorum intumeſcentia et articulorum quorumuis doloribus, diſparuit tamen omnino cum triſti ſuo ſatellitio. (COLLIN *Obſerv.* §. 2. *p.* 130.).

Nuperrime glandularum ſcirrho vitiatarum, quem Napellus diſſipauit, exemplum memoraui. Sed proſtant plura. Nempe id contigit tumoribus ſcirrhoſis collum obſidentibus, contra quos nihil valuit Cicuta; certe pauca modo eorundem veſtigia ſuperfuerunt (STÖRCK *l. c. Caſ.* 6.). In quibusdam

aegris ob magnitudinem et ſitum harum glandularum in collo tumefactarum et induratarum tam deglutitio quam reſpiratio inſignem labem contraxerat, quorum e numero femina 35 annorum fuit a prima ſua infantia hocce vitio correpta, tamen ſanata (GREDING *verm. med. u. chir. Schriften. Caſ. I. p.* 90.). In maniaca et morbus mentalis miteſcere coepit, et tumor glanduloſus grandis ſterno vicinus Napello diſparuit (GREDING *l. c. Caſ.* 2. *p.* 92.). Quin in alia foemina, in qua totum ſyſtema glandularum inſigniter intumuerat, maxime conſpicuum decrementum hocce vitium inde cepit, licet ex diſpendio virium tandem mors ſuccederet (*l. c. Caſ.* 11. *p.* 111.). Memorabile etiam eſt leuamen, quod virgini, cui exulcerata et ſcirrhoſa cum doloribus vtraque mamma erat, praeſtitit, poſtquam Cicuta ſenſim auxilium ſuum denegaſſet (STÖRCK *de Stram. Caſ.* 8.). Inter haſce laudes non tamen querela alius medici, haud ignobilis, reticenda eſt, quod ſibi in ſcirrhoſis affectionibus, quibus Cicuta impar fuit, non ſuffecerit, prout nec in atrophia ſibi deſideratam opem tulit (WAHLBOM in *Med. Verkets tilſtånd p.* 107.).

Rebelles quoque intermittentes febres, contra corticem peruuianum adeo immorigeras, nominatim quartanam, ſanat. Hocce effectu gauiſus eſt iuuenis, in tertium annum febre hac detentus, vnde corpus macilentum et cachecticum euaſerat; auxit malum

lum in hoc lancinans dolor, qui ſub quolibet paroxyſmo membra et articulos omnes occupauerat (STÖRCK *de Stram. p.* 82.). Pari ſucceſſu extractum Aconiti, ſed, quantum apparet, Lycoctoni, militi Ruſſo in eodem morbo oblatum (SCHENCKBECHER *l. c. p.* 156.). Crebra experimenta huius generis obuiam venere cl. COLLIN, Anatomes Profeſſori (COLLIN *Obſeru. P.* 2. *p.* 147.), item cl. BERGIO (*Mat. med. p.* 483.). Diſcuſſit et intumeſcentiam leucophlegmaticam et oedematoſam poſt febres intermittentes difficiles ſuperſtitem (ODHELIVS in *Vet. Acad. Handl.* 1776. *p. 69.).*

Aſthmaticis etiam opem ſpondet; nam aſthma rebelle, tuſſi ſicca ſtipatum, ſub haemorrhoidum anomalarum et rheumaticorum dolorum ſatellitio, eius beneficio diſparuit (GREDING *l. c. Caſ.* 7. *p.* 101.).

Non minimo praeconio Napellus dignus eſt, quod venerea lue affectis ſubueniat, etiam tum, quum altas radices iam egit. Tophos adeo et exoſtoſes in fronte, tibiis, ſterno, membrorum articulis, exortos emollit, comminuit, liquat, diſpellit, vel ita mutat, vt fragmenta oſſea ſeparentur, aliaque ſymptomata venerea vel ſola vel iſtorum comitatu prodeuntia tollit, quorſum glandulae tumefactae, ſcabies, dolores artuum, vlcera tophorum vel faucium pertinent, quae ipſa depurat, coadunat, cicatrice obducit (STÖRCK de

 Stram.

Stram. p. 104. *Cont. exper. Caſ.* 1. 4. 5. 14.). Et huic quidem morbo ſubinde medetur, aliis remediis irritis. Extractum aequali portione mercurii dulcis mixtum (STÖRCK. *Cont. exper. p.* 102. 117. 119. 121.), vel mercurio viuo, per ſaccharum ſubacto, copulatum (FRITZE *med. Annal. Vol.* 1. *p.* 327.), potentia nonnunquam omnibus reliquis mercurialibus antiſtat. Optimo quoque ſucceſſu in caſibus, luis maxime ancipitibus, vel vt praeparetur corpus pro inunctione mercurii absque ptyaliſmo, vel etiam ſub ipſam inunctionem, extractum exhibetur (STÖLLER *l. c. p.* 146.).

Sanat et quandoque alia vlcera obſtinata, quae non a fomite venereo originem trahunt (STÖRCK de *Stram. p.* 111.), item ſpinam ventoſam. Hancque quidem puella in metacarpo manus vnius et dorſo pedis paſſa fuit, Napelli tamen vſu interno et fomentatione ex Cicuta, per noctem vero emplaſtro eiusdem impoſito, quibus ipſis fragmenta oſſea ſeceſſere, omnino fere ſanata (EIVSD. *Cont. exp. Caſ.* 8. *p.* 107.).

De efficacia Napelli in amauroſi et cataracta non comparuerunt quidem ſingulares hiſtoriae, augent tamen haec mala numerum morborum, quibus proſpexiſſe traditur (STRÖCK *Contin. exper. p.* 121.). Et varia felicis curationis in aliis paralyſeos ſpeciebus exempla ad noua experimenta in amauroſi excitant.

Huius

Huius generis eſt felix iſta curatio, quam ſubiit puella, loquela et motu brachii ac cruris dextri priuata, inſuper conuulſionibus diris vltra biennium vexata (COLLIN *Obſeru. P.* 2. *p.* 136. *Caſ.* 4.). Item caſus paralyſeos omnium artuum ex terrore ſubortae, ſed pari auxilio ſublatae (*l. c. p.* 143. *Caſ.* 6.). Femina decrepita adeo, in connubio aſthmatis tuſſis et arthritidis, paralyſi et brachii et cruris ſiniſtri laborans, ſenſim conualuit (GREDING *l. c. Caſ.* 4. *p.* 95.). Alia femina, octogenaria fere, in hemiplegia nihil quidem ſolatii inde obtinuit: incontinentiae tamen vrinae et rheumaticis doloribus, quibus ſimul conflictabatur, leuamini fuit (GREDING *l. c. Caſ.* 5. *p.* 98.).

Vix crederes, quod in reſtringenda epilepſia feminae ſub tanta deformitate cranii et tot vitiis intra cranium poſt mortem detectis, tantum valere potuiſſet, niſi fide digniſſimus auctor dubium omne tolleret (GREDING *l. c. Caſ.* 8. *p.* 104.).

Sequitur, vt curatius exponam, quomodo Napellus in hiſce dictis morbis commodiſſime exhibeatur. STÖRCKIVS propoſuit *puluerem* ex extracti Aconiti granis quatuor et ſacchari albi vncia dimidia, diu in mortario vitreo ſubtiliſſime contritis. (*de Stram. p.* 73. *Cont. exper. p.* 93.). Initio in doſi huius pulveris paullo timidior fuit, ita vt a granis decem, bis vel ter de die datis, incipiens ad drachmam vnam

et dimidiam intra nychthemerum aſcenderet. Ipſe vero dein faſſus eſt, quosdam extracti grana quatuor, quinque, ſex, ſupraque nychthemeri ſpatio probe tuliſſe (*Cont. exper. p.* 93. *de Pulſ. p.* 59.). Hinc et formulam aliam ſerius conſignauit ex extracti Acon. grano dimidio vel vno et ſacchari albi granis decem, cuius pulueris bis vel ter quotidie vnus ingereretur (*Unterricht für Feld-und Landärzte T.* 2. *p.* 180.), ſubiungens monitum, pro re nata doſin ſenſim notabiliter augeri poſſe (*l. c. T.* 1. *p.* 239.). Ampliores doſes alibi quoque tutas eſſe, cognitum eſt. Ita cl. ODHELIVS (*Vet Acad. Handl.* 1776. *p.* 68.), iamiam minorem nunquam extracti doſin, quam grana duo, aegris ſuis exhibet, idque ter, quater, ſexies vel octies, per diem, quibus ſemper potulentum ſuperbibi curat, quod perſpirationem augendi vim habet. Ipſe noui exemplum feminae, quae Gottingae, prae male intellecto conſilio, octo pulueres, quorum quilibet granum vnum extracti continebat, impune vna ingeſſit, quum ſinguli aptis interuallis capi debuiſſent. Homo quidam militaris mox initio contra arthritidem, ſuadente cl. CLOSSIO, extracti grana quatuor in miſcela antimonii diaphoretici et ſacchari lactis mane cepit; quin huius aegri frater, corpore fortior, grana adeo eius octo (TODE *med. chir. Bibl. T.* 7. *p.* 198.). Cl. SCHENCKBECHER (*l. c. p.* 160.) ſenſim aſcendendo per 24 horas ad grana viginti

ginti tria conſumſit. Nemo vero plus extracti offerre auſus eſt, quam cel. STOLL (*Rat. med. vol.* 3. *p.* 167.), aſſeuerans, aucta ſenſim doſi intra idem ſpatium aegros partitis vicibus ſcrupulos ſeptem absque incommodo tuliſſe. Maxime tamen ſuadendum eſt, vt parua doſi initium fiat, raroque tam magnis, quales proxime recenſui, opus eſt. Nec, ſi mediocribus doſibus auſcultare detrectet natura, magnis videtur morem gerere, vt multa medicamentorum exempla docent, et quoad Napellum cel. STOLLII nuperrime memorata experientia. Sine vllo autem damno per plures menſes vſus eius protrahi poteſt.

Forma dicta pulueris plerique acquieuerunt. Paucis quibusdam pilularis magis arriſit, e. gr. ex extracti et ſacchari aequali quantitate (SCHENCKBECHER *p.* 157.), vel ex extracti huius et extracti Gentianae rubrae q. ſ. (BLOM *l. c. Caſ.* 1.). Extractum, quod ex Acon. Lycoctono coctione herbae in aqua et liquidi ſubſequa inſpiſſatione paratur, altero ex ſucco Napelli non inferius vi iudicat cl. SCHENCKBECHER (*l. c. p.* 142.): equidem vero doſes largas, quibus porrigi potuit, indicium praebere arbitror, debilius longe eſſe. *Eſſentia* quoque ex herbae Napelli exſiccatae parte vna et ſpiritus vini partibus ſex, a quinque ad decem guttas, et progeſſu temporis ad quadraginta, contra arthritidem febris expertem et glandulas indu-

induratas eximio fructu propinari poteſt; quod praeparati genus ſub defectu extracti commodum, et effectus celeritate inſuper ſe commendat (KÄMPF in *Act. Societ. ſcient. Haſſ. T.* 1. *p.* 152.). Per ſe patet, miſcelae extracti cum aliis aliquando locum eſſe, item ſubinde auxiliatrices manus ferri debere aliorum ſubſidio. Connubii eiusmodi et ſubſidiariae opis aliquot exempla iam adfuerunt. Addo iunctum cum Cicutae extracto auxilio pluries eſſe, vbi alterutrum ſeiunctim non iuuat (STÖRCK *Cont. exper. p.* 114. 121.). In iſchiadico cruciatu vtiliter veſicatorium cum Napello coniunxi.

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM ACONITI poſt STÖRCKII publici iuris facta experimenta ſeriores libros pharmaceuticos omnes intrauit, *Ph. Würt. edit. a.* 1771. *p.* 88. *Ph. Dan. p.* 172. *Ph. Edinb.* 1774. *p.* 52. *Ph. auſtr. prou. p.* 171. *Ph. Roſſ. p.* 86. *Pharm. Genev. p.* 68. Quod in *Ph. Suec. ed.* 2. *p.* 78. deſcribitur, eo deflectit a reliquis, quod iubeatur folia, (non herbam totam) recentia conciſa pauxillo aquae irrorare, et ſuccum ad mellis ſpiſſitatem denſatum quarta parte pulueris foliorum commiſcere. *Pharmacopoea Dan.* et *Brunſv. p.* 253. tempus collectionis curatius determinarunt, nempe ante florum expanſionem.

331.

Pharm. ANTHORAE *Radix.*

Aconitum Anthora; floribus pentagynis, foliorum laciniis linearibus. LINN. *Spec. pl. p.* 751. Aconitum ſalutiferum ſ. Anthora C. B. Icon: IACQ. *Fl. auſtr. Tab.* 382. MILLER'S *Figures of Plants Tab.* 12. REGNAVLT *Botanique* l'Aconit ou Anchora. Pl. perennis, creſcens in alpibus Pyrenaeis, Taurinis, Sabaudicis, in monte Thuiri Heluetiae.

Pauciſſima certa de vi huius ſtirpis conſtant, vt non mirer, quod plurimi de ſimplicibus medicamentis libri eam plane omittant. Anthora dicitur, quaſi antidotum eſſet Thorae. Qualis vero planta ſit iſta venenata, olim ita dicta, et quam pro Aconito Pardalianche DIOSC. habuerunt, an Ranunculus Thora LINN., an Napellus, an alia, non liquet. Notum eſt diſcidium, quod olim hac de re interceſſit inter pugnacem MATTHIOLVM et modeſtum CONRADVM GESNERVM, qui de Ranunculo Thora agit.

RADIX anguloſa, mox rotunda mox oblonga, apparet, carnoſa, extus bruna, interne alba. Saporem prae ſe fert cum amaritie nauſeoſe dulcem, odorem debilem. Suſpectam omnino reddit cum Napello

Napello affinitas et effectus vehementiores in quibusdam notati, vt vel ideo dubitem, an virus alius ſtirpis acris eneruare poſſit. SPRÖGELII (*Diſſ. de venenis p.* 10. *ſq.*), bis in vna eademque fele capta experimenta, quae prima vice drachmas radicis duas conciſas, altera duplam poſtero die quantitatem deuorauit absque noxa, maius innocentiae eius documentum exhiberent, niſi cum lacte radix data fuiſſet. Tam per ſuperiora quam inferiora purgare radicem, in iuſculo vel vino quantitate Phaſeoli captam, et robuſtis exhiberi auctor eſt HVGO SOLERIVS (in *Schol. ad Aëtium.*). Strenue quoque euacuare ab vno ad duos ſcrupulos ſumtam inter purgantia memorat PRAEVOTIVS (*Oper. poſth. p.* 500.). Negat e contrario cl. GEOFFROY (*Matiere medicale Traité T.* 2. *p.* 16.), praeuio C. GESNERO (*Epiſt. p.* 66.), qui Anthoram ſalubrem ex ſuo experimento pronunciat, hanc vehementiam, et ad ſubigendas febres malignas, quae ſordes viſcoſas primarum viarum pro cauſa habent, et ad necandos vermes conducere obſeruauit, datam a ſcrupulo vno ad integram drachmam. Sit penes poſteros haſce componere lites. Creduli vero eſt, in hac medicinam viperarum aliorumque venenatorum animalium morſus, imo venenorum quorumlibet, item ipſius peſtis, quaerere (V. IO. BAVH. *Hiſt. pl. T.* 3. *p.* 661. *ſq.*). Ita vnus error ex altero, vt articuli in taenia, pullulat.

DEL-

DELPHINIVM.

LINN. *Syſt. veg.* p. 418. *Gen. pl.* p. 274.

332.

Pharm. CONSOLIDAE REGALIS ſ. CALCATRIPPAE *Flores.*

Delphinium Conſolida; nectariis monophyllis, caule ſubdiuiſo LINN. *Spec. pl.* p. 748. Conſolida regalis aruenſis C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 683. REGNAVLT *Botanique* Le Pied d'Alouette. Pl. annua, inter ſegetes frequens.

Carere poſſumus neglecta hac vbiuis hodie in medicina planta, de cuius vera virtute nec priſtina tempora mihi ſatisfaciunt. FLORES odore caſſi, amari. Idem ſapor etiam extracto tam aquoſo quam ſpirituoſo inhaeret. In aquoſo etiam mucilaginis veſtigia adſunt. Aqua illis infuſa coeruleo eorum colore tingitur. Plures repetunt, ophthalmiam diſſipari vel aqua eorum deſtillata applicata, id quod quidem GARIDELI (*Plantes aux environs d' Aix* p. 149.) experientiae aduerſatur; vel floribus ipſis aqua Roſarum in cataplaſma maceratis. Optimum ſucceſſum ex poſteriori applicationis modo aſſerit ſe expertum SIM. PAVLLI (*Botan. quadrip.* p. 258.). Magis adhuc ambiguae

biguae ſunt laudes in lotio pellendo, calculo ſoluendo, menſibus mouendis, obſtructionibus viſcerum obſtinatis referandis rel. quarum pars ad herbam pertinet. Nec vulnerariae virtuti ſub externa applicatione ſeſe exſerenti fido, etſi AMBROSII PARAEI nomen adponi poſſit. Facile patiar dictionis vbertate de huius ſtirpis viribus me a ZORNIO (*Botanol. p.* 154.) ſuperari.

333.

Pharm. STAPHIDIS AGRIAE *Semen.*

Delphinium Staphisagria; nectariis tetraphyllis petalo breuioribus, foliis palmatis lobis obtuſis LINN. *Syſt. veg. p.* 419. Staphisagria C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Staphisaigre. Pl. biennis, creſcens in Europa auſtrali.

Σταφις ἀγρια DIOSC. eadem videtur, licet Glaſti Flores adſcribat.

SEMEN amplius, griſeum, compreſſum, triquetrum vel tetragonum, incuruatum, lacunoſum. Nucleum oleoſum, initio album deinde ſordide luteum, includit. Amarities et acrimonia tam cortici quam nuleo inſidet inſignis, huic tamen inſignior. Acre aqua ad partem, alcohol vini omnino, extrahit (LEWIS *Hiſt. of M. m. p.* 554.). Oleum idque expreſ-

ſum

ſum ad $\frac{3}{16}$ circiter cenſetur (NEVMANN *Chymie P.* 4. *p.* 291.). Infeſtam ſuam naturam declarauit in cane, cui conciſum ad ſcrupulos quinque cum aqua ingerebatur. Nam poſt vomendi conatus debilitatem vniuerſalem, tremores, aphoniam, conuulſiones, involuntarias alui deiectiones, flacciditatem muſculorum, quarum affectionum vna alteram excepit, periit. Conſpecta tum in ventriculo pariter ac inteſtinis tenuibus inflammationis ſigna bene multa, in pulmone dextro maculae, mucro cordis dextrorſum ſubinflammatus, ſanguis in corde condenſatus (HILLEFELD *Diſſ. de venen. p.* 20.).

Maſticatum ſaliuam copioſe prolicit, vnde apophlegmatiſmis olim acceſſit. Quod vero ob acrimoniam aeque inſecurum, ac contra odontalgiam ſemen vel aceto coctum, ad conſilium DIOSCORIDIS (*M. m. Lib.* 4. *cap.* 156.), ore retinere, vel denti dolenti imponere, quod proxime dictum periculum quum SCHVLZIVS (*Mat. med. p.* 435.) ipſe ſubiret, tantam mali exacerbationem ſenſit, vt vix mentis compos perſiſteret. Temerarius tanto magis cenſendus internus vſus emeſeos ſcopo, cui olim grana decem aut quindecim dicata, ſed aqua mulſa ſeminibus ſuperbibita, ob ſtrangulationis et faucium aduſtionis metum (DIOSC.).

Quod pediculos necet, antiquitus iam cognitum eſt, quo et nomen φθειροκόκκον, herba pedicularis, et vox Germanica reſpicit. Aceto eo fine tritum et illitum fuit (DODON. *Pempt. Lib.* 2. *p*. 366.); item vnguento exceptum. Sed vel ideo eam adhiberi mihi diſplicet, quum ſaepe cum hac foeditate vlcuſcula iungantur, per quae in vaſa patula acre intrare poteſt.

COMPOSITVM.

VNGVENTVM PEDICVLORVM. *Ph. Würt. p.* 247. *Ph. Brand. p.* 227. VNGVENTVM AD PHTHIRIASIN. *Ph. auſtr. prou. p.* 289. Variant formulae inter ſe. Aſt quaelibet praeter hoc ſemen mercurium viuum recipit. Vnde tanto maiori cautione vel ideo in applicatione opus eſt, ne ptyaliſmus improuiſo in tenellis fiat. Plurium vero efficacium in hiſce commixtio meritum Staphidisagriae in ſuſpenſo relinquit.

NIGELLA SATIVA.

NIGELLA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 421. *Gen. pl. p.* 276.

334.

Pharm. NIGELLAE *Semen.* aroma

Nigella ſatiua; piſtillis quinis, capſulis muricatis ſubrotundis, foliis ſubpiloſis. LINN. *Sp. pl. p.* 753. Nigella flore minore ſimplici candido C. B. Melanthium ſatiuum CAMER. Icon: MILLER'S *Figures of plants Tab.* 187. *fig.* 1. Planta annua, in Aegypto, Creta, item Germania ſponte creſcens, abundantius in hortis colitur.

A CHOMELIO (*Pl. vſuelles T.* 1. *p.* 303.) HALLERO (*Hiſt. ſt. helu. n.* 1194.), et aliis quibusdam, huic ſpeciei ſubſtituitur *Nigella aruenſis*, piſtillis quinis, petalis integris, capſulis turbinatis. LINN. *l. c.* Nigella aruenſis cornuta C. B. quam depinxit REGNAVLT in *Botan.* La Nielle. Galliae, Italiae, Germaniae incola, annua. Ego ad LINNEI, ALSTONI, aliorum grauiorum virorum, exemplum Nigellam alteram praefixi.

Semen loquor exiguum triquetrum oblongum, vno extremo obtuſius, ſubcompreſſum, cortice nigerrimo transuerſe rugoſo veſtitum, intra quem medulla viridescens oleoſa. Odorem fuliginoſo aromaticum

ticum habet, ſaporem modice acrem ex cortice permanentem, donec ab oleo nuclei vincatur. Hic ſenſus dignam eam fecit, quae aromatum numerum pro cibis augeret, vnde et ſpeciatim in terris Hannoueranis colitur, idque ſub nomine *Tout-epice.* Qui vſus contra plures auctores docet, ſaltim non niſi magna copia ingeſtum vim valetudini inferre. Chemiae ope ex vnciis duabus ſeminis ſcrupuli quatuor, conſequenter $\frac{1}{12}$, olei vnguinoſi eruitur. Spiritus vini ſuper ſeminibus abſtractus odoris ſaporisque ſeminum plurimum recipit. Parum quoque olei eſſentialis ſemen continet (NEVM. *Chem. Vol.* 3. *p.* 420.). Extractum ſpirituoſum amaricans et ſubadſtringens eſt, aquoſum autem iners (CARTHEVS. *M. m. p.* 326.).

Hodiernae praxeos medicae exul, olim quidem, vt ex formulis SENNERTI, PLATERI, SIMONIS PAVLLI, aliorum, patet, medicis placuit, ſed commixtum cum aliis, vt, quid vere praeſtiterit, ignoretur. Igitur nonniſi vacillante fide ſubſcribere hiſce poſſum, qui praeterito ſeculo ſemen in pituita pulmonum attenuanda et excutienda, in menſtruis pellendis, lactis ſecretione adiuuanda, in coryza naribus attractum, valere perhibent. Nam piget plures morborum titulos, qui adhuc magis a veri fulcro abludunt, recenſere. Inſtar amuleti appenſum pectori lac pellere,

lere, geſtatum vero dorſo illud diſcutere, quis duabus matronis credet, praeter GOEZIVM, qui hocportentum anno adhuc 1730. (In *Act. N. C. Vol.* 2. *Obſ.* 159. *p.* 448.) propoſuit. Sine dubio de hac planta poſterior aetas ex Graecis et Arabibus plures virtutes hauſit, antequam de ipſa plantae ſpecie bene conſtiterit.

PAEONIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 417. *Gen. pl. p.* 273.

335.

Pharm. PAEONIAE *Radix; Flores; Semen.*

Paeonia officinalis; foliolis oblongis. LINN. *Sp. plant. p.* 747. Huius duae varietates ſeruantur pro vſu medico: *α. maſcula* L. Paeonia folio nigricante ſplendido, quae mas C. B. Huic foliola latiora, ſaturatius viridia, caules proceriores ramoſiores, flores pallidiores, radix primum recta deſcendens, dein ramoſa, competunt; *β, foemina* L. et C. B. Haec inſtruitur foliolis anguſtioribus, pallide viridibus, flore profunde rubro, radice, multa oblonga palmaria vel maiora tubera, digitum craſſa et ſurſum per tenuia fila nexa, formante. Vtraque planta perennis, creſcit

ſponte in Heluetia, inferiori Gallia, Italia. Colitur vero ob florum decus in hortorum areis, quin foemina tuberum ope ibidem luxuriat.

RADIX vtriusque extus bruna, interne alba et compacta eſt. Epidermide denudata, vel inſuper in taleolos ſecta, ſiccatur. Odor in ſingulis, dum recentes ſunt, ingratus, grauisque, qui in narcoticis plantis ſolet, praecipue in mare. Hic vero foetor ſiccando perit, non vero ſapor, qui et in ſicca primum ſubdulcis eſt, dein ingrate amarus. GALENVS ſaporem leuiter adſtringentem cum quadam dulcedine, ſed, ſi dentibus manditur, acrem et ſubamarum deſcribit (*de ſimpl. lib. 6. p.* 807. RICC.), cui ſubſcribit fere TISSOTVS (*Traité de l'epilepſie p.* 314.), recenti tribuens ſaporem acrem et potius acerbum, quam amarum. Foeminae radix frequentius proſtat in officinis, quam altera; etſi WILLISIVS aliique marem nominatim poſcant.

Extractum ſiccae radicis, aqua factum, ſubdulce, de reliquo fere inſipidum et inodorum eſt; alterum ſpirituoſum tam odorem Paeoniae, quam ſaporem initio dulcem dein ingrate amarum prae ſe fert. Ita et aqua deſtillata adhuc aliquid harum notarum ſeruat (NEVM. *Chem.* 2. *B.* 4. *Th. p.* 41.).

Si

Si breuiariis plerisque de materia medica conſcriptis, conſuetudini practicorum et farragini formularum pharmaceuticarum, quam auget haec radix, fidendum: eſſet vnum ex praecipuis contra epilepſiam remediis. Ad GALENVM (*l. c.*) prima huius virtutis laus referenda. Ambigua quidem haec ipſa ideo euadit, quod de radice collo ſuſpenſa loquatur: ſermo tamen illi eſt de radice recenti, h. e. odoris ſuis partibus adhuc inſtructa, et infantili epilepſia ſiue ea, quae in corpore contingit, cuius pori magis patuli et bibuli, et nerui facilius etiam a remediis afficiuntur et a cauſa, facilius vincenda; adiecto caſu ſingulari notabili. Recens an ſicca fuerit Paeonia, de qua collo ſubnexa FERNELIVS (*de abdit. rer. cauſis lib.* 2. *cap.* 17. *p.* 133.) binis modo verbis teſtatur, veriſſime ſanationem morbis comitialis ſe comperiſſe, non dixerim. WILLISIVS (*Pathol. cerebri cap.* 3. *p.* 30. *ſqq.*), in ſpecialibus momentis ſub hac applicatione obſeruandis vberior, taleolis et bracteolis radicis recentis filo transfixis totum collum circumdari iubet, et, vtprimum exaruerint, nouas ſubſtitui, ſimul vero radicem per os in puluere exhibendam curat. Sicco amuleto, quod et memorat, ex Paeonia omnino minor fides. Tantam vero fiduciam ille in hanc ſtirpem collocauit, vt non ſolum radicem in puluerem redactam ad drachmam vnam, duas vel tres bis de die daret, ſed vel hanc partem vel ſemina vel flores

 omnibus

omnibus fere compoſitis ſuis adderet. Et hiſce quidem ſubſidiis epilepſiae adultorum aeque ac infantili (*l. c. pag.* 4.) ſubuenire annifus eſt. In puluere autem radicis plerique medici acquieuerunt. Mirum, non ſuccum eius expreſſum reliquis exhibendi illam modis palmam praeripuiſſe; ex hoc enim plurimum ſpei capi poteſt. Placuit igitur mihi, inter alia antepileptica a WILLISIO propoſita, me et ſuccum radicis recentis vino Hiſpanico contuſae, ſaccharo dulcefactum (*p.* 39.), offendiſſe. Quid in epilepſia ſicca radix per os ſumta vere efficiat, nonniſi experimentis, fateor, euinci poſſe. Id vero guſtata radice certiſſime apparet, non deſtitui viribus quibusdam, nec inerti foeculae poſſe comparari. Nec contra ideo damnauerim, quod foeteat ſtirps: in morbis neruoſis foetores naturae non inimici ſunt. Quod b. noſter BRENDELIVS ſiccam olim radicem non repudiauerit (VOGEL *Mat. med. p.* 206. Recepit etiam illam inter formulas coll. practici mſptas) pondus virtuti non leue addit. Attamen nihil grandis neque radicem, nec ſemina, licet ſaepiſſime vſurpauerit, ſibi praeſtitiſſe, iam queſtus eſt DE LE BOE SYLVIVS (*Op. med. p.* 427.). Fallere exſpectationem agnouit LVDOVICI (*Pharm. modern. ſec. et* WEDEL *p.* 494.). Eiusdem inertiae teſtis exſtitit BOERHAAVIVS (HALL. *hiſt. ſt. helv. p.* 1187.). Deprimit quoque laudem eius TISSOTVS (*Traité de l' epi-*

l'epilepſie p. 314.). Bina epilepticorum exempla adducit cel. HOME (*Clinical Experiments, Hiſtories etc. Ed.* 2. *p.* 209.), in quorum vno quater de die drachma dimidia eo ſucceſſu data, vt inſultus per aliquot dies pauciores inde fierent, ſed ſubſequentibus frequentibus octauo die, in altero autem fruſtra radix eodem modo per vndecim dies ſubminiſtrata eſt.

De vi eius in reſerandis obſtructionibus viſcerum aliisque paſſim memoratis nihil veri ediſſeri poteſt. Tanto lubentius taceo maiorum noſtrorum ridicula de tempore modoque collectionis conſilia.

Qualis doſis eſſe poſſit, iam ſupra dictum. Praeſtat drachmam modo dimidiam vel ſcrupulos duos ſimul dare, ne quantitas taedium pariat. Forma bolaris etiam commoda.

FLORES oculos quidem paſcunt plenitudine ſua et coloris ſanguinei gratia, ſed naribus odore viroſo diſplicent. Et hic quidem in floribus quam vlla alia parte plantae, grauior, ſiccatione tamen euanidus, ſapor ſubdulcis. Tam aqua, quam ſpiritus vini hiſce infuſus, colore rubro tingitur, et dulcedinem poſt inſpiſſationem manifeſtam prodit. Etiam hi antepileptici reputati, quo fine conſeruam aptiſſimam formam iudico, quae et hinc inde vſu venit. Hodie vnice pro ſyrupo colliguntur.

SEMINA rotunda ſunt ſplendentia, nigra, album nucleum includentia, piſi magnitudine. Aqua contuſa emulſionem exhibent. Olim quoque epilepſiae oppoſita (v. WILLIS. *l. c.*) hodie negliguntur, licet quidam pulueres ſic dicti *epileptici* Pharmacopoearum eorum memoriam ſeruent.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA PAEONIAE *Ph. Würt. p.* 39.

AQVA *Ph. W. p.* 7. Ex floribus deſtillatur.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 216. Ex ſucco recentium florum aqua infuſorum expreſſo. Anodyni nomen tulit, ſaltim ad gratiam antepilepticis conciliandam ferri poteſt.

PVLVERES EPILEPTICI in *Ph. W. p.* 150. ſex adeo proſtant, quibus omnibus Paeoniae radix comprehenditur, e. g. *ad Guttetam*, *Holſaticus*, *Marchionis*, alii, triſtes reliquiae peruerſae ambitionis, quae olim inualuit in formulis farragine multorum exornandis. Praecipue in hiſce abſorbentium tribus arriſit.

HELLE-

HELLEBORVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 431. *Gen. pl. p.*284.

336.

Pharm. HELLEBORI vel ELLEBORI NIGRI vel MELAMPODII Ph. Ed. *Radix.*

Helleborus niger; ſcapo ſubbifloro ſubnudo, foliis pedatis. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Conf. *Mant. pl.* 2. *p.* 408. Helleborus niger flore roſeo C. B. Icon: SCHMIDEL *Icon. pl. et anal. part. Tab.* 6. *p.* 26. cum ampla ſynonymia et varietatum recenſu. IACQ. *Fl. auſtr. Tab.* 201. *Vol.* 3. *p.* I. REGNAVLT *Botan.* L'Hellebore noir. Planta perennis Auſtriae et montium apenninorum et pyraenaeorum.

In varietatum diſcrimine reſpectum eſt ad magnitudinem ſtirpis, caulis vel ſimplicitatem vel ramoſam naturam, qualis quidem vnice in orientali occurrit, foliorum vel maiorem vel minorem latitudinem, item florum magnitudinem et colorem; quorum omnium vix limites exacti poni poſſunt. Sufficiat hic indicaſſe, me varietatem intelligere, quoad foliorum latitudinem inter *Orientalem* et *Stiriacam* a multis dictam (Conf. SCHMID. *l. c. p.* 29.) mediam, ſiue *anguſtifoliam*, quae vulgaris in hortis eſt,

eſt, ſub niue, ineunte anno apud nos ſaepe florens, ibidemque non ornamenti vnice cauſa, ſed et in vſum veterinarium, colitur.

Species praefixa ad iudicium MATTHIOLI, CONR. GESNERI, CLVSII (cui ideo vocatur Elleborus niger legitimus in *Hiſt. pl. rar. Lib.* 2. *p.* 274.), SIM. PAVLLI, HERMANNI, BÖCLERI, POMETI, GEOFFROY, LINNEI aliorumque vera eſt, ex qua Hellebori nigri officinarum RADIX petenda. Huius vero loco, prout olim, ſic adhucdum, radices diuerſarum plane ſtirpium pharmacopolae, ſeruato eodem nomine, paſſim vendunt, ſiue inſcitia vel lucri cupiditate impulſi, ſiue a rhizotomis et aromatariis exteris ſeducti. Dicam primum de iſtis plantis, quae arctiori quadam affinitate cum vera iunguntur. Huius loci eſt *Helleborus viridis* L., cuius radix ex montibus Aluerniae Pariſios transfertur (GEOFFROY *M. m. Traité T.* 2. *p.* 122.), et in Gallia perinde cum altera vſu medico venit (*Cod. med. Pariſ. p.* 77.), item in Pyrenaeis et alpibus, quantum intelligo, Helueticis, Hell. nigri radici ſubſtituitur (HALL. *ſtirp. helv. n.* 1192.). Hanc quoque WEDELIVS quondam alteri potiorem viribus declarauit, ſibique in vſum domeſticae diſtributionis afferri curauit (BACHOVII *Diſſ. de Helleboro nigro Altdorf.* 1733. *p.* 9.).

9.). Ab aromatariis Francofurtenſibus pro alterius radice vendi praeterea lego (*Nov. Act. N. Cur. Vol. 6. p.* 144.). Diſcernitur a praecedente fibris numeroſioribus breuioribus tenerioribus magisque nigris, et, quod quibusdam videbitur memorabilius, ſapore amariſſimo valde nauſeoſo, magisque acri. Sed plura de hac in ſubſequente paragrapho. — Sequatur *Adonis vernalis* L. f. Helleborus niger tenuifolius Buphthalmi flore C. B. cuius iconem conſpicere eſt in IACQ. *Fl. Auſtr. T.* 44. teſte LINNEO in *Syſt. veg.* etſi ill. IACQVIN nomen Adonidis apenninae adſcripſerit. Iam TRAGI tempore (BOCK'S *Kreutterbuch* 1572, *p.* 192.), radicis eiusdem vis medica innotuit, qui et proficuam bene multis et ſine vlla vehementia operantem inuenit eamque in ditione Ingelheimenſi inter Bingium et Moguntiam a rhizotomis effoſſam et Venetias vſque deportatam teſtatur, qui nec dubitat illi nomen Hellebori nigri veri adponere. MATTHIOLVS, qui eum de nomine redarguit (*Oper. ed.* BAVH. *p.* 845.), fatetur tamen medicis pariter ac pharmacopoeis Ellebori nigri nomine veniſſe, et priuatim magno ſucceſſu ad pecorum morbos adhibitam. In Germaniae officinis potiſſimum radix proſtat. Nominatim in plerisque officinis Saxoniae adhiberi auctor eſt SCHVLZIVS (*M. m. p.* 152.). In Thuringia et ab Erfurtenſibus collecta

lecta ad Francofurtanos et Hamburgenſes transfertur (VOGEL. *M. m. p.* 197.). Circa Halberſtadium vero et Quedlinburgum, item in ducatu Magdeburgico tanta copia pro Hamburgenſibus effoditur, vt poſteriori tempore ſtirpis penuria ibidem enata ſit (*Hann. Magaz.* 1768. *n.* 105.). Ipſe pharmacopola peritus SIGEL, hanc radicem a Francofurtanis obtinuiſſe ſe et veri loco diuendiſſe, fatetur (in *Nov. A. nat. Cur. T.* 6. *p.* 146.). Quum vero tam officinae multae Germanicae quam exterae apparatum ſuum medicamentorum ex hiſce mercatoribus plurimam partem repetant, quam largi ambitus huius radicis diſtributio fiat, ſponte elucet. In Roſſia pariter vſurpatur, vbi in auſtrali parte collecta Moſcuam pharmacopolis transmittitur (SAM. GOTTLIEB GMELIN'S *Reiſe durch Rußland Tom. I. p.* 81.). Hinc et collegium medicorum imperiale non dubitauit eandem, Hellebori nigri radicis titulo, in Pharmacopoeam ſuam recipere (*Ph. Roſſ. p.* 26.); ſeruata tamen et altera, quam Hellebori nigri veri radicem nuncupauit. Cadit igitur DODONAEI (*Pempt. p.* 262.) vituperium, quaſi purgandi vi deſtitueretur, licet illud clari viri repetierint, TOVRNEFORT (*Mat. med. verſ. Angl. p.* 31.) et GEOFFROY (*M. m. l. c.*), et recentiſſima quaedam cl. PAVLLI CHRIST. MÜLLERI et LINCKII (in *Diſſ. de Hell. nigri vſu medico, praeſ.*

BÖHMERI

BÖHMERI, *Halae p. 2. not. 5.*), tentamina videantur contraria. Nominatim in inſania non inferiorem efficacia eſſe, noſtro tempore exploratum (VOGEL. *l. c.*). In hac radice ex capite breuiſſimo prodeunt fibrae copioſae ſimplices, carnoſae, octo ad duodecim pollices longae, aetate prouectiori contorti-plicatae. Et hae quidem recentes e nigro ſpadiceae, poſt ſiccationem autem nigerrimae, odoris nauſeoſi fortis, ſaporis acris, amari, dulcedine quadam mixti (SIGEL *l. c. p.* 145.). — In Teſchnitz Bohemiae *Adonis appennina* L. (*Abhandl. e. Privatgeſellſ. in Böhmen, Vol.* 4. *p.* 178.), loco veri Hellebori aegris praecipi fertur; quod non in dubium quidem vocabo, licet imponere facile poſſit huius cum praecedente Adonide ſimilitudo. — Radices *Trollii europaei* L. ſaepius circumferri, rhizotomi fide nititur (SIGEL *l. c. p.* 147.), quae ipſae, ex breuiſſimo capite oriundae, fibras ſex vel ſeptem pollicum craſſitie culmi frumentorum, ſed valde ramoſas praecipue verſus apices, emittunt. — *Actaea ſpicata* L. quam vetus opinio, quae et Aconiti nomen dedit, et LINNEI de baccarum exitiali vi experientia (*Flor. Lapp. p.* 176.), ſuſpectam fecit, numerum Pſeudohelleborum auget. BODAEVS A STAPEL (in *not. ad* THEOPHR. ERES. *p.* 1066.), iam indicauit hanc, Chriſtophorianam alias dictam, a quibusdam

busdam pro Helleboro haberi. Ita et LOBELIVS (*Stirp. adv. p.* 304.). In Gallia familiarior eiusdem vſus eſt, adeo vt MONNIERI (in cl. LORRY *de Melancholia libro T.* 2. *p.* 293.) teſtimonio ibidem haec ſola pro Hellebori veniret, quem morem tamen non publica auctoritate inualuiſſe ex ſilentio Pharmacopoeae Pariſienſis apparet. Sperni contra ea et vix in vſum tranſire, etſi omnino emeſin et deiectiones alui cieat, a cl. LIEVTAVD (*Syn. prax. med. p.* 640.) condocemur. Obſtupuit alius quidam Gallus SAVVAGES DE LA CROIX (in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1739. *p.* 470.) extracti eius granis duodecim puellae purgandi ſcopo praeſcriptis, percipiens ex Actaea eſſe, vim tamen hoc praeſtitit absque hypercatharſi, quod ille quidem arbitratur veneno per ignem diſſipato contigiſſe. Sed nec collectio harum radicum a Germania excluditur, etenim plures earum centenarii vno vere ad Bahlingam et Tuttlingam effoſſi. Diſcernitur radix caudice ramisque articulatis, quorum infimus articulus crebriores fibras edit, easque lignoſas (SIGEL *l. c. p.* 146.). — Incercedat vmbellata planta, *Aſtrantia maior* L., quam DODONAEVS (*Pempt. p.* 386.) adeo pro Elleboro nigro DIOSC. habuit. Competit illi radix fuſiformis articulata fibris vndique ſparſis trium vel quatuor pollicum ramoſis fuſco nigricantibus. Raro

hodie

hodie colligitur, ſed acris eſt, aluum ducens, mitior tamen Helleboro (HALL. *l. c. n.* 790.) — Nullus vero capitalior error eſt, quam is, quo in genuinae locum *Napelli* radix ceſſit, quem, vt olim in Sabaudia et in Gallia, ita et in Germania adhuc hodie aliquando committi ſupra (*p.* 10.) dixi. SCHVLZIVS (*Mat. med. p.* 151.) adeo queritur, ſaepius olim id factum eſſe. Hinc et admonuit huius erroris medicos ZWÖLFFERVS (*Pharm. veg. p.* 107.), quem bis contigiſſe ipſe obſeruauit. Euitari vero is facile poteſt vel vnice conſpecta radice. Nam in hac ex caudice vel ſubgloboſo vel fuſiformi fibrae prodeunt copioſae ſupradecompoſitae, tres ad quinque pollices longae, craſſitie culmum Zeae aequantes. Siccatae nigro griſeae nec lignoſae, ſed fragiles, exſtant (SIGEL *l. c. p.* 148.). Et huic radici ſuppoſititiae ſine dubio mortes binae repentinae tribuendae, quae ante aliquot annos in ducatu Würtembergico, poſt vehementiſſima tormina, anxietates, vomitiones et alui deiectiones creberrimas rel. et inflammationem internorum variorum viſcerum, contigerunt; quae ipſa radix adeo acris fuit, vt exigua modo portione ſub fiſſuris leuibus linguae ſcorbuticis guſtata ardorem oris intenſum excitaret febremque cum plurium ambiguorum ſymptomatum ſyndrome (*l. c. p.* 131.). — Alias plantas, quarum

radices perperam ſubſtitutae, e. gr. Arnicam, rel. iam non moror.

Sub tanta igitur radicum varietate, quae genuinae ſuppoſita, quarum pars vel opinione mitior, alia iuſto fortior vel noxia, ſuadendum maxime, vt pharmacopolae Hellebori nigri radicem non ex peregrinis aromatariis emant, ſed ipſi eandem ſuis in hortis alant. Noua tum cum genuina radice experimenta capta accuratius doſin, exhibendi modum, vires declarabunt.

Quum vero de ipſa iſta radice, quae noſtro tempore praecipitur, non vbiuis conſtet: non minum, quod de ſtirpe, quae Graecis olim Ελλεβορος μελας dicta, item ſubinde Μελαμπόδιον, CELSO et interpretibus Graecorum autem Veratrum nigrum, nihil certi pronunciari poſſit. Diſſenſus ſententiarum, qui de hac ipſa re apud interpretes ſeriores inualuit, aliquot iam ſpecimina nuperrime notaui, quem conciliare mea parum refert, et vix dabitur ſub iſto deſcriptionum ſtirpis, quas reliquerunt, defectu. Quod Helleborus niger veterum cum Linneano idem ſit, inde aliquod fulcrum obtinet, quod qui in loca Hellebori prouentu celebria, vt in Olympum et inſulam Anticyram, peregrinati ſunt,

e. c.

e. c. BELLONIVS, TOVRNEFORTIVS, ſpeciem noſtram ibidem creſcentem inuenerint, vt taceam effectuum ab iſtis notatorum cum iis, quos adhuc hodie experimur, conuenientiam, quae quidem nonniſi fallacem plerumque de ſpeciebus concluſionem admittit.

RADIX ſtirpis, pro genuia deſignatae, ex tubere ſubgloboſo profert vndique ramos breuiſſimos articulatos, ex quibus proueniunt copioſae fibrae carnoſae glabrae teretes, in annoſioribus contortiplicatae. Et hae quidem annoſiores fibrae a ſpithama ad pedem longae calamum frumenti exaequant craſſitie, reliquis craſſioribus. Exſiccatione rugoſae et fragiles euadunt et tertia parte gracileſcunt. Recentium radicum color externe pallide fuſcus, ſiccatarum vero fuſco nigricans (SIGEL *l. c. p.* 143. *ſq.*) et intrinſecus albus. Sapor amaricans et ſubacris. Eſt qui dulcedinem quandam immixtam percepit nihilque amari (SIGEL *l. c.*). Paullo amaritie ſerius caloris ſenſus ſeſe prodit (GREW *on taſts in anatomy of plants p.* 283.); ſed ſupra horam dimidiam durat. Amarities vero initio apicem linguae afficit, dein ſeſe ſpargit ad mediam linguae partem (*l. c. p.* 284.). Curatius guſtata radix ſtuporem quaſi linguae relinquit (*l. c. p.* 280.). Nares re-

 cens

cens radix ſenſu nauſeoſo acri afficit, quem ſi vetuſtate imprimere ceſſat, vi quoque medica exutam radicem eſſe cenſeas (HALL. *l. c. n.* 1192.). Sed mora et ipſe acris ſapor omnino fere perit. Fibrae, vt ſapore, ita et vi radicis tuberi praecellunt, et in hiſce corticalis pars medullari, quae ipſa vero vix auferri poteſt, niſi in tubere et craſſioribus fibris, nec vnquam hodie a pharmacopolis aufertur.

In analyſin chemicam inquirens non audeo rationem habere eius, quam profert BOVLDVC (*Mem. de l'acad. R. d. ſc. de Paris* 1701. *p.* 192. *ſqq.*), quippe qui experimenta ſua inſtituit cum radice in Heluetia lecta, in qua tamen regione, teſtimonio grauiſſimo HALLERI, Helleborus niger L. non ſponte creſcit, vt igitur ad Hell. viridem potius vel Hell. foetidum L. haec ipſa referenda videatur. Gummoſae partes dimidium fere pondus radicis conſtituunt, quae ipſae arcte et vix ſeparabili vinculo cum reſinoſis nectuntur. Hinc et fere idem pondus ſpiritu vini, quod aqua, eruitur. Oleum, quod ineſt, tam tenaciter quoque reſinae adhaeret, vt ſuetam alias fragilitatem induere renuat. Praeter dictas pondere determinandas partes, reliquum terreſtribus conſtat; nam libra vna radicum ZWÖLFFEERO grana modo decem ſalis fixi erogauit. Sed plurimum virium

ſine

ſine dubio a ſubtilibus particulis dependet, quas dixi ſiccatione auolare et quae diuturniori coctione in aqua pariter aufugiunt (NEVM. *Chem. P.* 3. *p.* 113.), item ex protracta per aliquot dies digeſtione (DE MAYERNE *Prax. med. p.* 68.), ita vt ſenſim purgandi poteſtas radicis pereat. Hae ipſae particulae et deſtillando aquam impraegnant et acrem reddunt; vnde ex eiusdem cochlearibus duodecim in cane quatuor vomitiones duaeque deiectiones aluinae ſubortae, et ex cochlearibus octo in iuuene tormina et laxandi molimina (BORRICH. *in Apologia contra* CONRINGIVM *p.* 341.).

In hodierna medica praxi longe rarius radix obuiam venit, quam in priſtina; dum quidam eam ob ferociam effectus, quae potius ad Helleborum album pertinet, alii ob inertiam, quae quidem vitio aetatis vel praeparationis locum habere poteſt, reprehendunt. Qualis fuerit Hellebori apud Graecos veteres vſus in variis morbis, iis praecipue, in quibus vel aluus ducenda, vel vbi fortioribus reſoluentibus et depurantibus opus eſt: malo ex SCHVLZIO (*Diſſ. de Elleboriſmis veterum Hal.* 1717.) et LORRYO (*de Melanchol. T.* 2. *p.* 288. *ſqq.*) ingenioſa antiquorum monimentorum comparatione, quam meo ſtudio, intelligi. Quorundam Arabum autem

de Helleboro ſenſa diſerte exponit FREINDIVS (*Hiſt. med. p.* 254. *ſq.*). HIPPOCRATES, quoties ſimpliciter Hellebori voce vtitur, album ſignificat, vocem autem nigri aut deorſum purgantis addit, quoties nigrum intelligit (Conf. CASTELLI *de Helleboro epiſt. ſec. Rom.* 1622.), cum quo GALENVS et PAVLLVS conueniunt. Intermiſſum eius per plurium ſeculorum intercapedinem vſum iterum ex obliuione protraxit ANT. MVSA BRASSAVOLVS (*de medicamentis cathart.*) medio ſeculo decimo ſexto.

Quae de mitiori eiusdem purgandi vi, quam quae albo ineſt, veteres reliquerunt, conſpirant cum recentiorum experientia. Ad noſtrum igitur pertinere nequit peculiare iſtud curationis genus, apud veteres contra grauiſſimos morbos adhibitum, quod helleboriſmum vocabant, ad quod varia arte corpus praeparabant, ſub ipſa pharmaci adminiſtratione quoque ad effectum eius dirigendum valde ſolliciti; ſed ad aliam ſtirpem, de qua infra ſub Veratro ſermo erit. Efficaciorem tamen eſſe orientalem plantam, quae omnium maxima caule ramoſo foliis pedalibus, noſtra, TOVRNEFORTII (*Voyage du Levant. T.* 2. *p.* 189. *ſq.*) narratio, ex ore quorundam Armenorum de extracto petita, innuit. De noſtra vero non vereor ſubſcribere FREINDII (*Hiſt. med.*

med. verſ. WIGANI *p.* 255.) effato, medicamentum eſſe perquam innoxium atque efficax, et moderata quantitate datum ita parum vehementer purgare, vt ſaepiſſime nullam omnino purgationem excitet, et, quanquam aliquando vomitum moueat, haud raro tamen ne minimas quidem in ſtomacho turbas creare. Innocens medicamen eſſe, modo rite paretur, declarauit HEVRNIVS (*Prax. med. p.* 402.). Ita ex numeroſiſſimis inſtitutis experimentis colligit BOVLDVC (*Mem. de l'acad. de ſc. de Paris* 1701. *p.* 103.), remedium eſſe mite et moderate aluum ſtimulare. Quod omni virtute caſſum ſit, non dabo, niſi de effoeta radice vel male praeparata. Miror igitur, quod a cl. MÜLLERO, medico Anhaltino Serueſtano, item a cl. LINCKIO (*Diſſ. de Helleboro nigro, praeſ.* BÖHMERO *p.* 12.) drachmae radicis dimidium ſine vllo effectu datum fuerit. Fateor, diſperſas hinc inde exſtare obſeruationes contrarias, querelas moveri de vomitionibus effraenis inde contractis (DOERING *de medicina et medicis p.* 242.), hypercatharſi (*Act. helv. Vol.* 5. *p.* 326.), torminibus, anxietate, ſiti, ſingultu, animi deliquiis, ſudoribus frigidis, faucium ſtrangulatione (BÜCHNER *Diſſ. de ſalut. et noxio Ellebori nigri vſu. p.* 22.), conuulſionibus, ſternutatione (HILDAN. *Obſerv. med. chir. cent.* 4. *obſ.* 12.) torpore quodam artuum et inſueta rigiditate (SCO-

POLI *Fl. carn. ed.* I. *p.* 557.), inflammatione ventriculi et inteſtinorum (MORGAGNI *de ſed. et cauſ. morb. Epiſt.* 59. *art.* 15.), quin morte pediſſequa (TIMAEVS A GVLDENKLEE *Oper. ed.* RIVIN. *p.* 276. MORGAGNI *l. c. Act. helv. l. c.*) praeuiis variis dictis malis. Quis vero extra dubium ponet hiſce funeſtis caſibus deſignatae ſtirpis radici non aliam deleteriam fuiſſe ſurrogatam, quum in hac medicina, vt qualibet alia, raro medicus ante vſum pharmacopolam de origine eius ſciſcitetur, hic vero, etiamſi eum perconteris, vix aliud regerere poſſit, quam quod radicem ex hoc vel illo celebriori aromatario coëmerit, qui et ipſe a mercatore quodam extraneo eam mittendam ſibi curauit. Manifeſta ſubfuit ſtirpium confuſio, quum modica extracti doſis ex vno pharmacopolio petita in maniaca femina nihil fere efficaciae exſereret, eadem autem ex alia officina praeſcripta tam vehementer aluum purgaret et tam vehementes vomitiones excitaret, vt animi deliquia inſequerentur (HAARTMAN in *K. Vet. Acad. Handl.* 1762. *p.* 276.). Vitium quoque non raro incuria exhibitionis vel doſi iuſto maiori commiſſum fuit, vt in caſu iſto, quo infanti decenni et tribus aliis aetate paullo maioribus abſente medico a famulo rudi infuſum helleboratum praebebatur, effectu tam noxio, vt duo infantes interirent, alii duo vix lactis calen-

tis

tis liberaliori potu et ſubiuncto opii vſu mortis periculum effugerent (*Act. helv. l. c.*). Quem ex Helleboro periiſſe narrat magnus MORGAGNI quinquagenarium et antea melancholicum, huic extracti drachma dimidia ex recens effoſſis radicibus data fuit, et poſtea in vitium verterunt illum neglexiſſe ſerum ſuperpotare. Facile circa haec dabitur, potentius longe obtineri extractum ex recens euulſis radicibus, quam temporis mora et ſitu effoetis. Largior etiam in tenerioribus cautione opus eſſe. Continuato vſu moleſtam cephalalgiam cum conſtrictione narium quaſi praefocatoria et ſtimulo ad haemorrhoides febremque conqueritur SCHVLZIVS (*Mat. med. p.* 152.).

Doſin veram, qua conducat, definire, quam arduum ſit, ex dictis difficultatibus palam fit; nec mirum, quod ab auctoribus tam diuerſa proponatur. Pulueris grana decem vel duodecim CLAVDINVS (*de ingreſſ. ad infirm. p.* 223.) permittit; gr. quindecim ad ſcrupulos duos SIMON PAVLLI, alii, quos recenſet, maiorem ad integram vſque drachmam (*Botan. p.* 648.); gr. viginti ad quadraginta ſine noxa exhibuit SCOPOLI (*Fl. carn. ed. I. p.* 557.). Taceo ſtudio veterum magnas doſes. Sed vix vnquam pulveris forma hodie capitur. Infuſione et tanto magis

 deco-

decoctione miteſcere ſuperius allata experimenta iam demonſtrarunt; hinc ad vnam vel alteram drachmam ſupraque, tres drachmas pro infuſo aſſignat CLAVDINVS (*l. c.*), ſub leui et cum aqua praeparatione aſcendere licet. Sexcentis fere hominibus dilutum, (exiſtimo in infuſo datum) ſeſe exhibuiſſe, nullo prorſus incommodo teſtatur MATTHIOLVS (*ed. cit. p.* 460.), ſicque mitiorem, quam in puluere eſſe. Suetiſſimus vero exhibendi modus hodie in extracto eſt, praeterquam in aliis quibusdam praeparatis infra indicandis. Nec facile aliquis noſtro tempore purgandi vnice fine hoc remedium ſubminiſtrat, quum certiora proſtent, ſed vt pertinacioris quasdam morborum chronicorum cauſas vel reſoluendo vel depurando corpus vincat.

In morbis mentis, quos ab atra bile deriuarunt, veteres (DIOSC. *M. m. lib.* 4. *cap.* 151. PLIN. *Hiſt. nat.* 25. 5.) praecipue Helleboris indulſerunt. Non moror hic narratiunculam de PROËTI regis filiabus furore percitis, ſed a MELAMPO per Helleborum (qui albus potius videtur) curatis; nec aliam de HERCVLE furente a ciue quodam anticyrano ſanato (SCHVLZ *de Elleborismis*), quod meritum nigro tribuitur. Dignior omnino fide curatio, quam ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS (*l. c.*) in maniaco ex MA-

LATE-

LATESTARVM illuſtri gente noſtro Helleboro perfecit, et per quam Helleborus nouam famam acquiſiuit. Extracti Hellebori (puto intelligi nigrum) drachma dimidia ter per diem data furioſas aliquot mulieres reſipuiſſe, ſuo teſtimonio confirmat PECHLINVS (*de purgant.* p. 315.). Item melancholia extracti granis quindecim quotidie a cel. LORRY (*de melanch. Tom.* 2. *p.* 343.) exhibitis deſaeuiit. In melancholia et mania plurimum quoque fidei tribuit radici VOGELIVS (*Diſſ. de inſania longa p.* 21.), vel eiusdem drachmas duas ad vnciam dimidiam cum octo vnciis aquae decoquens, addito terrae foliatae tartari drachmis duabus cum ſyrupo quinque radicum aperientium, et ſubinde admixto inſuper extracto Hellebori nigri; vel hoc ipſum in liquore terrae foliatae tartari ſoluens; vel ſolutionem huius ſalis valde dilutam in miſcela tincturae martis helleboratae Wedelii exhibens. Subiunxit hiſce aliquando alia purgantia, et ſubinde opium. Abludunt ab hiſce praeconiis, quae de extracti in mania etiam larga doſi exhibiti inertia crebris caſibus in Finnia obſervata ſunt a cel. HAARTMANO (*l. c.*).

Menſtrua autem referat Helleborus non ſolum vi, qua lentos humores ſoluit, ſed et per ſtimulum, quo ſanguinem ad eorum fontem pellit. Sane reliquis

quis ſuppetiis illum ob hanc efficaciam praetulit MEADIVS (*Mon. et praec. med. p.* 138.), vt vix vnquam ſpem ſuam fefellerit. Vſus ille fuit tinctura Melampodii ad cochleare minimum, ex aquae tepidae hauſtulo bis de die exhibita, addens, niſi per deſtinatam viam ſanguinem eliminaret, illam per alias eundem protrudere. Sed cel. HOME (*clinic. Experiments and Hiſt. p.* 410.) inter nouem vel decem foeminas, in vnica modo ſcopo potitus eſt, etiamſi quatuor huius generis cochlearia per diem caperentur. Reſtringit quoque pro merito cl. PASTA *Diſſertaz. mediche ſopra i meſtrui delle Donne p.* 192. *ſqq.*) virtutem emmenagogam Hellebori.

Haemorrhoides praeterea prouocat; quod vlterius SCHVLZIVS (*M. m. l. c.*), item IVNCKERVS (*Therap. gen. Tab.* 3. *n.* 28.), comprobant.

Pluris in hydrope fieri meretur, quam vulgo fit. Poſt AVICENNAM expertus laudat eius vim diureticam FREINDIVS (*Hiſt. med. p.* 256.). Non audeo huc trahere Oxymellis helleborati C. GESNERI (V. *Libell. de hoc ipſo p.* 21. *annexus* EIVSD. *epiſtolis*) vires, in hydrope quoque exploratas, quum illud iuſto magis compoſitum ſit. Magis ſimplicitati noſtri ſeculi conſentaneum eſt infuſum ad hydropem

BRVNNE-

BRVNNERI ex radicis Hellebori nigri recentis vncia vna, herbae Abſynthii manipulo vno, conciſis et infuſis in cereuiſiae vel vini Moſellani libris quatuor, quarum cyathus vnus vel alter ſtomacho vacuo exhibeatur, (KLEIN *ſel. medic. p.* 108.). Sed efficaces BACHERI pilulae tonicae, de quibus paullo poſt, ſine dubio Hellebori haud leuem in hoc morbo commendationem praebent.

Tanquam quartanae febris remedium multis in locis proponitur, plerumque autem nudo tantum febris nomine: cito igitur HILDANVM, qui tam ſe quam alios a quartana extracti ope feliciſſime liberauit (*Oper. p.* 914.).

In vitiis variis cutis vt Helleborum adhibeamus, incitat quoque veterum de nigro ſuo fauens iudicium. Spectat hoc ad lepram, in qua, nominatim elephantiaſi Graecorum, vtrumque Helleborum laudauit ARETAEVS (*Oper. ed.* BOERH. *p.* 136.), nigrum vero expreſſe CELSVS (*ed. Krauſ. p.* 177.). Sine dubio hiſce veſtigiis commotus cel. SCHMIDEL (*Diſſ. de lepra* in HALL. *collect. Diſpp. pract. T.* 6. *p.* 83.) duobus aegris Graecorum lepra, quae tamen elephantiaſi dicta mitior eſt, affectis extractum noſtri Hellebori manifeſto ſucceſſu exhibuit. — Ita

et

et ſcabies foeda extracti ope in puella ſanata (HILDAN. *Op. l. c.*).

Adhuc noto radicem vermibus infeſtam eſſe. Pertinet huc miſcela ex ſcrupulo vno extracti eius et vitrioli martis ſcrupulo dimidio, ſolutis in aquae Cardui benedicti vncia vna, et ſyrupi Violarum vel mellis circiter drachma vna dulceſactis, cuius cochleare exiguum mane ieiuno infanti ingeritur. ROSENSTEINIO (*Barnſjukd.* p. 362.) potius, quam cl. DE LILLE (*de palpit. cord.* p. 253.), haec adſcribenda, quum hic confectionem Hamech addiderit, alia quoque norma in miſcela exhibenda vſus.

Poſſent multo plures virtutes recenſeri, ſiue ad veterum effata reſpicere volupe eſſet, ſiue ad varia ſerioris aetatis, quae ipſa vero vel ambigua breuitate lectionem expediunt, vel Helleborum in multorum aliorum comitatu depraedicant. Sileo igitur de efficacia in epilepſia, arthritide et rheumatiſmo, paralyſi rel., donec hiſce auguſtiis iterata experimenta ſubueniant, quibus item ad confirmandas reliquas vberius a me ſignificatas vires, quo nihil dubii ſuperſit, radix eſt digniſſima.

Medicis veterinariis antiquum et celebre remedium eſt, in variis equorum et boum affectionibus,

bus, morbo ſcil. pituitoſo, aſthmate, lepra, lue, ſetacei inſtar, recentes huius radicis fibras per auriculam vel cutis aliquam partem traiicere, et ſuppurationem enatam alere. Hoc auxilio haud ita pridem a lue bouilla 400 adeo pecora D. MALZAC liberauit, dum nimirum inciſiones quinque vel ſex vtrinque ad ſpinam vertebralem a ſcapula ad caudam vſque per cutem fierent, et per haſce fibrae radicis introducerentur et curaretur, vt diu vulnera aperta ſeruarentur (VICQ D'AZYR *Expoſé des moyens contre les maladies peſtilentielles des Bêtes à cornes p.* 304. *ſq.*)

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI. Coctione radicum cum aqua paratur. *Edinburgenſes* (*Ph. nouiſſ. p.* 92.) ad mellis modo ſpiſſitudinem illud ſinunt condenſari; reliquis pharmacopoeis ſpiſſitudo maſſae pilularis placet. Extractum vinoſum, quod autem alias vſu non venit, altero efficacius eſt (HAARTMAN *l. c.*). Blandius arbitror aquoſum ipſo puluere ob iacturam volatilium partium igne factam. A granis quinque (KLEIN *ſelect. med. p.* 98.), decem (SCOPOLI *l. c.*) ad viginti capi pro doſi genuinum poterit. Extracti orientalis plantae ſcrupulus vnus

tamen

tamen iam varias difficiles turbas imo ſpaſmos et motus conuulſiuos excitaſſe obſeruatum (TOVRNEF. *l. c.*), qui idem effectus ab eadem quantitate ſub forma fluida capta quibusdam exemplis BÜCHNERO (*Diſſ. de Helleb. cit. p.* 23. 24.) obuiam veniſſe fertur; id quod a pilulari forma, ſub qua, vtpote ſenſim deliqueſcens, non tota ſua vi ſimul operari poteſt, minus metuitur (*Ibid.*). Drachma dimidia eius idque recentis fuit, quae ſingulari caſu necem attulit (MORGAGNI *l. c.*): ſed de planta adhuc dubium ſupereſt. Vetuſtate noxium fieri (KLEIN *l. c.*).

TINCTVRA HELLEBORI COMPOSITA *Ph. Würt. p.* 226. Varia aromata et Crocus praeter radicem cum ſpirituoſis digeſta. Morbis dictis mentalibus et menſium fluxui reſtituendo apta a drachma vna ad ſeſquidrachmam declaratur.

TINCTVRA MELAMPODII *Ph. Lond. p.* 71. *Ph. Ed. nouiſſ. p.* 76. Ex ſpiritu vini tenuiori, Helleboro et Coccinella.

TINCTVRA MARTIS HELLEBORATA *Ph. Würt. p.* 228. Continet extractum Hellebori in tinctura martis Ludouici ſolutum. WEDELIO debetur compoſitio. Reſoluit viſcerum obſtructiones ſimulque aluum aperit. Plures ſupra de radice recenſitae

virtu-

virtutes huc redeunt, guttis quadraginta ad ſexaginta exhibitis.

EXTRACTVM CATHOLICVM *Ph. Würt. p.* 91. item EXTR. PANCHYMAGOGVM CROLLII *l. c. p.* 94. inter alia fortiora purgantia hoc quoque complectuntur.

Additur et extractum Hellebori inclytis PILVLIS POLYCHRESTIS BECHERI ſecundum quorundam mentem.

PILVLAE TONICAE GEORGII FRIDERICI BACHER: Rc. Extracti Helleb. nigr. Myrrhae ſolutae āā ℥j. pulu. Card. bened. ʒiij ℈j. M. F. ſ. a. maſſa aëre ſicco exſiccanda, donec formandis pilulis apta ſit, ſingul. ad gran. ſemiſſ. Auctor metuens volatilem Hellebori partem, in hac ipſa deſtruenda multum laboris, tam addito alcali quam repetita exhalatione, poſuit. Exſiccatas ſcilicet radices et mola truſatili comminutas irrorauit ſpiritu vini per Alcaheſt alcaliſato, tum poſt duodecim horas et variam agitationem hiſce vinum Rhenanum bis poſt aptam intercapedinem infudit et easdem cum eo totidem decoxit. Liquidum vtrumque ſic impraegnatum et cum expreſſione colatum aqua demum coquitur, poſt primam condenſationem iterum affundenda, et tan-

dem addendo ſub finem ſpiritus vini nonam partem in extractum conſiſtentiae terebinthinae redigitur. Myrrhae praeparatio eo abſoluitur, quod iſta, in puluerem groſſum redacta et per cribrum transmiſſa, aqua calida ſoluatur et ſoluta per linteum transigatur, demum in extracti ſpiſſitudinem leni igne condenſetur, (RICHARD DE HAVTESIERCK in *Recueil d' Obſervat. en Medecine T. 2. p. 434. ſqq.* item MILMAN *Animadu. de natura hydropis eiusque curatione p. 26. ſqq. et 163. ſqq.*). Multum inclaruit haec miſcela noſtro tempore ob vim ſuam in hydrope vario. Formulam cl. BACHER, pater, medicus in Thann Alſatiae, iam a. 1731. compoſuit, ſed a. modo 1772. per cl. RICHARDVM DE HAVTESIERCK, iubente rege Galliae, qui eandem pecunia redemerat, publici iuris facta, poſtquam experimenta, in diuerſis quatuor noſocomiis militaribus diſſitis a ſcitis medicis inſtituta, eius efficaciam comprobarent (BACHER *Expoſition des differens moyens uſités dans le traitemens des Hydropiſies*, vbi ſubiunguntur *Obſervations ſur les effets des pilules toniques par M.* DESMILLEVILLE, BONAFOS, DAIGNAN, DEHORNE 1771.), quorum multa lectu digna cl. RICHARDVS libro ſuo inſeruit (*l. c.* inde a *p.* 368.). Decem pilulae, quarum quaelibet granum dimidium pendet, ſimul ſumendae et horae interuallo eadem doſis ter inte-

randa

randa. Pilulae initio aluum laxant, poſtea lotium copioſe pellunt et morbum vincunt (MILMAN *l. c. p.* 31. 34.). Sed iungendus ſub vſu potulenti diluentis copioſus vſus, imo tum, quum tenſio ventris paracenteſin deſiderare videtur, quo ipſo ſolo contra vulgarem medendi normam multi hydropici conualuerunt. Locum vero non habent hae pilulae praeſente phlogoſi, inflammatione, ſuppuratione interna vel initio gangraenae. Multum et ſpondent in aſthmate humido et tuberculis pulmonum, cuius quoque virtutis exemplum exſtitit (DAIGNON in RICHARD. *l. c. p.* 384.).

337.

Pharm. HELLEBORI VIRIDIS *Radix.*

Helleborus viridis; caule bifido, ramis folioſis bifloris, foliis digitatis. LINN. *Syſt. veg.* p. 431. Helleborus niger hort. flore viridi. C. B. Icon: IACQ. *Fl. auſtr. Tab.* 106. *vol.* 2. *p.* 4. REGNAVLT *Botanique* l'Hellebore à fleur verte. Pl. perennis, in montanis et ſubalpinis Auſtriae creſcens, rarius in Heluetia. Göttingae in hortis pomiferis inter gramina crebra.

RADIX. Characteres eius ſupra iam expoſui (*p.* 45.). Addere vero quaedam iuuat. Cortex eiusdem atro-viridis. Sapor, quem amarum inſigniter et nauſeoſum deſcripſi, in cortice potentior, quam in medullari parte eſt, item potentior in fibris, quam craſſiori radicis parte. Acerrimum adeo deſcribitur corticale fibrarum tegmen. (LINCKE *Diſſ. de Helleb. nigri et praeſertim viridis vſu medico praeſ.* BÖHMERO, *Hal.* 1774. *p.* 17.). Odor neque recenti nec ſiccae radici vllus. Extractum eius aquoſum amarum valde eſt, nauſeoſum et leniter acre; ſpirituoſum amaritiem quidem participat, ſed non valde nauſeoſum eſt, magis contra balſamicum cum odore acidulo. Radicis vncia vna erogauit cum alcohole vini particularum reſinoſarum drachmas tres,

et

et extracti gummoſi ſecundi drachmam vnam et dimidiam; et ſub iterato experimento extracti gummoſi primi drachmas tres, ſpirituoſi autem ſecundi drachmam vnam cum dimidia (LINCKE *Diſſ. l. c. p.* 18.); vnde apparet et in hacce ſpecie connubium arctum inter reſinam et gummi obtinere.

Perperam ob inertiam eſſe reprobatam, ex ſuperioribus elucet (*p.* 44.). Nouiſſime quoque cl. MÜLLERVS, medicus Anhaltino-Serueſtanus, de purgante et reſoluente eius vi certiores nos reddidit, praecipue in extracto aquoſo ad granum vnum vel alterum, vel ad tria pro robuſto homine aqua ſoluta, quod ipſum ille in humorum viſciditate et in intermittente febre eximio fructu explorauit (LINCKE *l. c. p.* 19.); annuente experientia clmi LINCKE (*p.* 20.). Obtulit hic quoque pulueris fibrarum radicis grana octo, extractum aquoſum vero dedit a gr. vno ad ſex, aqua fontana ſolutum. Mentio etiam fit virtutis antiputredinoſae, qua ipſa cortici adeo peruuiano non cedere legitur (LEONHARD et LINCKE *l. c.*).

Haec quoque radix ſetacei vſum apud pecudes praeſtat (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1192.).

338.

Pharm. HELLEBORASTRI Ph. Par. v. HELLEBORI FOETIDI (vulgo hodie) *Folia.*

Helleborus foetidus; caule multifloro folioſo, foliis pedatis. LINN. *Spec. pl. p.* 784. Helleborus niger foetidus C. B. Helleboraſter maximus GERARDI *Herball*, 1597. *p.* 827. Helleboraſter maximus flore et ſemine praegnans. LOBEL. *ic. p.* 679. Icon: REGNAVLT *Botanique* Pied de Griffon. Biennis in horto botanico eſt, non perennis. Creſcit copioſe in Heluetia ad alpium radicem, item in Anglia, Gallia, Germania, aliisque auſtralioribus regionibus. Facile in hortis colitur ſub dio.

Recens herba foetorem contactu ſpargit; recenti vero aeque ac ſiccae ſapor ineſt acerrimus amaricans. Maſticata os et fauces corrodit acrimonia vix eluenda; nec ſiccatione hanc deponit. (*Berg. M. m. p.* 498.).

Infeſtum porro naturam docent ſiniſtri quidam euentus. Purgauit enim aluum in hypocatharſin vſque et interitum aegrorum (THRELKELD *Iriſh Herbal*). Alii, qui non inde perierunt, vomitum, cardialgiam, deliquia animi perpeſſi ſunt, quidam perdide-

diderunt pilos et vngues quin ſeparationem ſubierunt epidermidis in toto corpore (IOHN COOK in *Oxford Magaz. for March*, 1769. *p*. 99.). Addo ex radice eius in pulpa pomi data infantem intra biduum Londini obiiſſe (*Lond. Chronicle* 1768. *n*. 1760).

Haec omnia tamen pro eo iudicio, quod hodie de venenis ferimus, non repudiare plantam omnino, ſed caute modo et circumſpecte adhibere nobis iniungunt. Ita efficax et tutum anthelminticum euadit. Recentius hanc laudem folia praeprimis ſibi vindicarunt. Olim et *Radix*; quae ipſa effectum purgantem reliquosque, quos radix nigri Hellebori, exercet, et nominatim vermes enecat. Puluis eius ad drachmam vnam vino maceratus tanto efficacior repertus (GERARD'S *Herball*, *a*. 1597. *p*. 827.).

FOLIA vero iam per ſecula in Anglia domeſtici inſtar contra vermes fuerunt; et ſic quidem quondam, vt in furno piſtorio poſt coctum panem ſiccarentur, et ſiccatorum puluis carica ſiue paſſulis exciperetur, vel inſpergeretur pani melle oblito (GERARD *l. c.*). Eadem vis VOLPINO, Italo, (*Opere medicó-pratiche* 1726. *p*. 18.) probe et cognita fuit, vt qui puluerem Helleboraſtri foliorum in electua-

 rium

rium melle redactum commendat. Sed quum de doſi ex dictis non conſtet et ſenſim ſtirps excideret ex medicorum memoria: non diffitendum eſt meritum cl. BISSETI (*Eſſay on the medical conſtitution of Great Britain p.* 333. *ſq.*), qui commodiſſimam et tutiſſimam rationem efficacem hancce medicinam exhibendi memoriae prodidit. Potentiſſimam in lumbricis fugandis ex propria experientia declarat. Plebs vero ducatus Cleuelandiae in ditione Noueboracenſi infantibus verminoſis plerumque folia ingerit vermium ſuſpicione enata. Decoquunt ſcilicet aqua foliorum recentium circiter drachmam vnam vel pulveris foliorum ſiccatorum circiter grana quindecim, hancque quantitatem vna doſi infantibus quadriennibus vel ſeptennibus propinant. Plena et ſufficiens doſis plerumque magis vel minus vehementem emeſin ſuſcitat, et ſaepe aluum non nihil ſoluit. Subſequentibus duobus et ſubinde tribus diebus mane doſin iterare mos eſt. Secunda ſolet efficacior eſſe priori, nec vnquam capitur absque ſubſequa vermium praeſentium per aluum expulſione. Subinde absque ſolutione alui medicina dicto ordine data operatur, et ſubinde pleroſque vermes viuos elicit. Praeſtat tamen, vbi aluum non ſoluit, ſubiungere poſtea modicam Rhei doſin. Quodſi in doſi modus nimium excedatur: anxietas dira ſuccedit, quae

vero

vero vomitu ſubſequente mox ceſſat, qui et ipſe raro valde vehemens eſt. Nec exceſſus in doſi, quem ſaepe plebs committit, nocuit. Quin absque detrimento haec medicina infantibus inde ab anno aetatis primo ingeſta.

Commodius tamen ſuccus, in Syrupum per ſaccharum crudum farinaceum redactus, propinatur. Ante expreſſionem ſucci ex foliis contuſis recentibus, humectari haec debent pauxillo aceti vini, vnde vis mitigatur et nauſeae vel nimiae emeſi obuiam itur. Huius ſyrupi cochleare vnum pro Thea veſperi tempore ſomni capiendi, et vnum vel duo cochlearia mane duobus vel tribus diebus ſucceſſiue infantibus duo ad ſex annos natis ingeritur, ita tamen vt augeatur vel diminuatur doſis non nihil pro virium ratione. Quoniam vero raro haec doſis ſola aluum ſatis mouet, BISSETO in vſu eſt, illi aequalem portionem tincturae Rhei ſpirituoſae admiſcere, vt deiectiones fiant neceſſariae, nec aluum poſtea eluere opus ſit. Ita et ſapori proſpicitur et mitiori effectui, imo praeſente febre conducit. Haec ſi deſit, guttulae paucae olei deſtillati Sabinae commode adduntur. Sub inopia ſyrupi dicti, eius loco, decocto fortiori foliorum tincturam Rhei addere conuenit, ſerie eadem in prae-

biis obſeruata. In vniuerſum praeſtat ea doſi exhibere, vt aeger paullo moleſtius in vomitum vſque afficiatur. Memorabile puerum deieciſſe aliquot lumbricos ex ſolo olfactu crebrius repetito foliorum recentium, dum contunderentur. — Contra aſcarides vermiculares vero vix remedium hocce valet, ob remotiorem in inteſtino recto ſedem, niſi aluum ſollicitet.

Vis pulueris foliorum anthelmintica probata quoque experimentis ill. Equ. et Arch. Suec. BÄCK (LINN. *Diſſ. obſ. in mat. med. p.* 4.). Et ipſe cl. COOK (*l. c.*), qui planta timide vtitur, eximie ſuccedentem curationem puluere eorum factam proponit.

Non vnice vero vermibus cladem affert hic Helleborus, ſed et reſoluendi vim poſſidet haud mediocrem. Id quod apparet in aſthmate pituitoſo, vti et affectionibus hyſtericis et hypochondriacis, quae ſtimulantibus non exaſperantur. Ita et apud infantes miſcela iſta ex ſyrupo dicto et tinctura Rhei commoda ad eliminandum mucum viſcidum inteſtinorum, quin imo ad febres remittentes, intermittentes et erraticas, tollendas, quae ex humorum viſciditate prouenerunt (BISSET *l. c. p.* 339.). Nolo

lo inter cauſas horum vitiorum labem ſcorbuticam a BISSETO poni, quae opinione rarior extra mare eiusque confinia eſt.

Veterinarii et huius ſtirpis radicem vel caulem per auriculam vel aliam corporis partem morboſi pecoris, inſtar ſetacei, tranſigunt (RAII *Hiſt. plant. T. I. p.* 698. COOK *l. c.*).

RANVNCVLVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 428. *Gen. pl. p.* 281.

339.

Pharm. RANVNCVLI PRATENSIS *Folia.*

Ranunculus acris; calycibus patulis, pedunculis teretibus, foliis tripartito-multifidis, ſummis linearibus. LINN. *Spec. pl. p.* 779. Ranunculus pratenſis erectus acris C. B. Pl. perennis, in paſcuis pratisque vulgatiſſima.

Acrimonia, quae cognatas plantas ſuſpectas reddit, inſignis ſpeciebus tantum non omnibus huius generis inſidet. Quibus deeſſe viſa, in harum ſingulari parte tamen plerumque latet. Quaedam cuti admotae pruritum, rubedinem, inflammatio-

nem

nem cient, epidermidem in veſicas eleuant, ſuppurationem, intumeſcentiam partis, profundam latamque eroſionem, excitant, ſubinde cum metu gangraenae; maſticatae linguam excoriant inflammantque, guſtum obtundunt et delent, deglutitae ſub doloribus intenſis ventriculum inflammant, convulſiones ipſamque mortem concitant; naribus attractae ſternutationem et excoriationem pariunt. Erodendi et exulcerandi vis antiquitus iam cognita (DIOSC. *Mat. med. Lib.* 2. *cap.* 206.). Ad naturam vero Ranunculorum venenatam curatius pernoſcendam faciunt experimenta varia a cl. KRAPF (*Experimenta de nonnullorum Ranunculorum venenata qualitate, horum externo et interno vſu. Vienn.* 1766.) inſtituta, quibus acrimonia inſignis Ranunculi breyniani Cranzii, bulboſi, ſcelerati, acris, aruenſis, Thorae, illyrici, Sardoi Cranzii, euincitur; quorum plerorumque radicem, caulem, folia, flores, germina immatura, ſuccum expreſſum, extractum, decoctum, infuſum, vel in ſe vel in canibus tentauit. Acerrimis ſpeciebus quoque annumerari debet Ranunculus alpeſtris L. (HALL. *hiſt. ſtirp. helv. n.* 1167.); et manifeſta acrimoniae ſuae indicia praebet R. Flammula L., de qua paullo poſt vberius. Acre horum continetur volatili, inodora licet parte, quae igne, coctione, ſiccatione et maturatione conſumitur, qua

ablata

ablata nutritioni adeo aptae plantae fiunt. Haec neque acida nec alcalina eſt (KRAPF. *l. c. p.* 100.). Augent acrimoniam acetum, mel, ſaccharum, vinum eiusque ſpiritus, acida mineralia, oleum tartari per deliquium, aliaque ſapida. Nec minuit eandem Caſtoreum, quod AËTIVS quidem vt antidotum propoſuit, nec magni habita a veteribus Meliſſa, vel Meliſſophyllum, vel vinum dulce. Sed inter plantas ſeptingentas exploratas, folia vnice Acetoſae manducata vel contuſa acre mitigant et eneruant, modo non iam eroſio facta fuerit; incaſſum vero tentatur ſuccus eiusdem. Proxime vi Acetoſae accedunt baccae Ribium immaturae. Aqua vero omnibus antidotis antecellit in veneno hocce mitigando (KRAPF *l. c. p.* 101. *ſqq.*). Et haec omnia articulo ſequente de R. ſcelerato vlterius enucleabuntur.

Sunt tamen et ſpecies adeo mites, vt olerum inſtar iis veſci liceat, R. auricomi et lanuginoſi exemplo (KRAPF *l. c. p.* 98.).

Sed memet continebo in cenſura Ranunculorum, qui medica praxi inclaruerunt, de quibus iterum ingemiſcere cogor, quod botanica cognitione deſtituti ſaepe inſcios nos de ſpecie auctores reliquerint,

querint, quam tamen ſeorſim noſſe tanto magis opus eſt, quum cl. KRAPFIO docente non ſingulis partibus eadem vis inſideat.

Ranunculus acris L. igitur primum trutinandus. Huic acrimonia per omnes partes fere aequalis competit eaque valde pungens. Germinibus florum tamen dirior ex linguae iudicio ineſt, quam et dolentius et diutius afficit. Cultura miteſcit haec ſpecies, nec ſpontanea, prout et de aliis Ranunculis obſeruatur, vbiuis eundem acrimoniae gradum ſeruat (KRAPF *l. c. p.* 90.).

Hactenus acquieuerunt medici fere omnino in Ranunculorum applicatione externa, quod et de ſignificato valet. In hac aemulantur cantharidum vires, ſtimulandi, deriuandi, reuellendi potentia, quin in eo praeferri videntur, quod non ita, vt veſicatoria ex cantharidibus, lotii vias moleſte afficiant, quod doloribus parcant, et citius effectum exſerant (KRAPF. *l. c. p.* 105.), nec eos febri praeſenti igniculos ſubdant. Hoc ſi concedamus, moleſtum tamen eſt, Ranunculi bulboſi bulbis exceptis, hieme non ſuccoſos obuenire. Nec horum applicatio ob funeſtas ſequelas oſcitanter fieri debet. Imo diutius longe vlcera inde nata ſerum ſtillant et difficilius coaleſcunt,

quam

quam quae a cantharidibus fiunt (STÖRCK *Ann. med.* 2. *p.* 123.). Duo vero vbiuis ad auertendos malos effectus caueri debent, ne ſcilicet iuſto ampliori ſpatio vis ſeſe diſpergat, nec per iuſto diuturniorem moram profundius aequo partem exedant. Non ſuperuacaneam igitur cenſeo clmi. CHESNAV (*Obſerv. med. p.* 11.) prouidentiam, qui folia Ranunculi (foliis Anemones aſſimilare eum enuncians praefixam ſpeciem ſine dubio intellexit) in mortario ligneo vel marmoreo contuſa et multo ſucco madentia per emplaſtrum (denarii amplitudinis alicubi mentio fit, *l. c. p.* 14.) perforatum applicuit, ſuperimpoſito emplaſtro non perforato, vnde duarum horarum ſpatio cutis aperitur in tenero loco et depilato. In capitis vero capillata parte non facile cutem erodit, ſed partem in tumorem attollit. Ita ſubuenit ſtirps cephalalgia atroci nominatim hemicrania correptis, medio loco dolenti impoſita. In capitis parte, quam pili obtegunt, longior mora trium vel quatuor horarum concedi poteſt; in fronte contra, circa oculos et alibi, vbi cutis tenera eſt, altae facile exulcerationes fiunt. Parcior igitur ibidem quantitas applicetur, nec pluribus locis ſimul. Ex neglectu huius cautionis in muliere quadam nobili inflatio ingens faciei, colli et ſuperioris pectoris exorta, ſed naturae ſolius beneficio euanida (CHESNAV *p.* 12.). Nouiſ-

ſime

ſime indicato more applicata podagrae etiam remedium exſtat (*l. c. p.* 420.), item mali iſchiadici (*p.* 425.), in quo abceſſui, vt alia reuellentia, praevertit. In eodem malo vel aliis doloribus ſucceſſit pariter BAGLIVIO (*Oper. p.* 113.). Pari gauiſus eſt ſucceſſu L. B. A STÖRCK (*Ann. med.* 2. *p.* 123.) in pertinaciſſimis ac inueteratis articulorum doloribus ſaepius, copioſo ſero in veſica epidermidis collecto. Exiſtimo equidem ſermonem de hoc praeciſe Ranunculo fuiſſe.

Febrium intermittentium curationem pluries ſtimulantia vel inflammantia extrinſecus cardiae, praecipue autem carpis, applicata abſoluerunt, ſiue hoc factum fuerit puſtulis ibidem excitatis materiam febrilem reuellendo, ſiue eandem turbando et confundendo, ita vt calore intenſiori per totum corpus producto frigus ſubſequentis paroxyſmi anticiparetur. Quod ſi intempeſtiue contingat, metus, ne plus noxae quam emolumenti inde capiatur. Rutam, Sinapi, Erigeron acre, veſicatoria ipſa rel. in delectu fuiſſe nouimus, et inter haec etiam Ranunculos varios. Quorum omnium vis in carpis tanto maior, vtpote in loco neruis diuite, iisque pene nudis. Ita quidam, quartana adeo diuturna laborans cum acutiſſimo dolore humeri, Ranunculo carpo

impo-

impoſito, tam febrem quam dolorem ſufflaminauit (SENNERT. *Oper. Tom. I. p.* 263. *Lugd.* 1676.). Fuit ruſticus, plures a febre intermittente ſubito liberans, Ranunculum huncce ad pultem contritum intra manuum digitos alligando, effectibus dictis comitibus (SWIETEN *Comment. Tom.* 2. *p.* 571.). Non intempeſtiue autem hocce epicarpio fugandam eſſe febrem, docet caſus pueri octennis, qui a febre quidem liberatus mox in aſciten cum hydrocele incidit, et vlcus, ſine dubio ex protracta nimis epicarpii mora, ſibi contraxit, ligamentum annulare et tendines adeo flexorum digitorum male afficiens. Soror eius e contrario paullo ante ſine vllo malo pediſſequo hac medela vnice e febre emerſit (*Breſſl. Verſuche* 1719. *p.* 177.).

340.

Pharm. RANUNCULI PALUSTRIS *Folia.*

Ranunculus ſceleratus; foliis inferioribus palmatis, ſummis digitatis, fructibus oblongis. LINN. *Spec. pl. p.* 776. Ranunculus paluſtris apii folio, laeuis. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 571. REGNAULT *Botan.* La Renoncule des marais. Pl. annua, in paludibus et foſſis non infrequens.

Ex acerrimis haec ſpecies eſt. Radix tamen mitis, certe acrimonia eius exigua mox in lingua euaneſcit. Caulis eo acrior, quo floribus propior, et quo planta iunior; nam ſub antheſin radicem verſus inſipidus. FOLIA inter dentes contrita ſenſum vſtionis cum ſaliuae vberiori prouentu pariunt, iterato autem aliquoties experimento linguam inflammant, excoriant, guſtu priuant, anteriorem linguae partem ſtiptica quadam aſpredine imbuunt, apicem eius findunt, ſtuporem dentium inducunt, gingiuas pariter doloroſas et ad attactum cruentas reddunt. Superant tamen acrimonia florum germina omnes reliquas plantae partes. Alligato folio vel floribus digiti laterali parti per dimidium horae, leuiſſimus modo ſubſequitur pruritus, abiecto autem apparatu, rubedo primum, dein veſica, duodecim horas poſt vel

vel citius naſcitur. Veſica haec aperta initio ichorem flaueſcentem, dein pus, plorat, nec vlcus hoc ſuperficiale facile ſponte ſe claudit, id quod vero ope balſami peruuiani fit. Planta recens contuſa, vel manibus tractata, volatile ſpargit inodorum, ſed tam acre, vt nares oculosque afficiat, in ſternutationem et illacrymationem vsque. Siccando herba exuitur acredine ſua; item ſuccus, vtut antea vrens, magisque quam folia vel flores deguſtati, ſi in extracti ſpiſſitudinem denſetur. Par decocti herbae vel florum ratio, vt et oleris inſtar a paſtoribus Murlachiae cum debito condimento ingeratur. Decoctum ipſum grate dulce, niſi paullo meracius, cuius tamen acredo ferri poteſt. Infuſum recens contra acerrimum, vt tamen ſenſim miteſcat. Ex deglutito folio vel floris pauxillo etiam poſt lautum prandium dolor in abdomine acutus et valde ſingularis naſcitur, balſamo etſi peruuiano vel iuſtius aqua fontana expiandus. Ex ſucci guttulis duabus moleſtior adhuc longe ſenſus, vt inflammari viſus eſſet oeſophagus. Canis ex ſucco faucibus largius infuſo, anxius vomuit, clamauit et ſclopeto occiſus ventriculum praebuit contractum, variis locis inflammatum, et pylorum tumidum rubro liuideſcentem, vix peruium. Si diluitur ſuccus aqua, ita acrimonia mitigatur, vt drachma ſucci dimidia cum vnciis ſex

aquae miſta tuto deglutiatur. Ea forma vel et decocto ſine noxa tentari poterit in morbis, qui ſtimulantibus et blande ſoluentibus opus habent (KRAPF *l. c. p.* 11. *ſqq.*).

Siquidem haec ſpecies nequitia priorem ſuperat: tanto maior ſollertia in eiusdem adminiſtratione requiritur. Valet hoc et de externa. Mendici aſtuti nundinas petentes ea exulcerant pedes, vt miſerationem aliorum in ſe conuertant (LINN. *Flor. Svec. n.* 499.). Sed peius e contrario aliquando cecidit res, quando tamen ſcopus laudabilis proſperum euentum meruiſſe videtur. Intermittentem febrem quidem pollici Ranunculus applicatus (Ranunculum paludenſem vocat auctor) ſubinde fugauit, ſed in longe grauiores morbos nimio ſtimulo aegros coniecit (TISSOT *epiſt. med. pr. p.* 317.). In centurione pollice ad os vsque cum immanibus doloribus deſtructo ſaeuum vlcus per plures menſes reliquit. Auriga inde inter paucas horas immenſam veſicam per totum brachium cum febre, deliria, phrenitide, rabiei ſpecie, imo gangraenam ſibi contraxit, et vix ſeruare eius brachium chirurgus peritus potuit (*l. c.*).

Quum

Quum radicem mitem vel decoctione in aqua facile miteſcentem deſcribat KRAPFIVS, innuatque impune quocunque modo, ſiue in acetario ſiue decoctam aqua vel iure, ingeri: fere ad credendum inducor, quod ex alia ſpecie fuerint radices (Ranunculi paluſtris nomen licet adhibeatur), ex quibus, loco oleris comeſtis, homines quidam dira cardialgia correpti, quorum vnus poſt ſingultum, ſudorem frigidum, oculorum contorſionem, riſum ſardonium et conuulſiones obiit (SCHARFF *in Ephem. nat. cur. Dec.* 3. *a.* 2. *obſ.* 87. *p.* 106.), Sunt qui hanc ſtirpem pro Herba Sardoa SALLVSTII habuerunt, contra quam ſententiam ſaltim exemplum dictum riſus excitati non pugnat. Quidni vero non plures eidem huic effectui ciendo ſufficerent.

Ad experimenta in morbis, qui ſtimulantibus et ſoluentibus opus habent, ferri tamen poteſt ſuccus herbae, aqua caute dilutus vel et decoctum. Ita diureſin mouet et viſcidos humores incidit. Hactenus coniectura potius quam repetita experientia eius in morbis efficacia nititur. In tuſſi tamen ab acri ſtimulo, ab excoriatione vel catarrho incipiente, probum effectum praeſtitit (KRAPF *l. c. p.* 22.). Et in ſene decrepito ſic dyſuriam ſanauit, vlcera pulmonum depurauit, venerem effoetam reſtituit (KRAPF *l. c. p.* 103.).

341.

Pharm. FLAMMVLAE *Herba.*

Ranunculus Flammula; foliis ouato - lanceolatis petiolatis, caule declinato. LINN. *Spec. pl. p.* 722. Ranunculus longifolius paluſtris minor. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 575. Pl. perennis, in pratis vdis crebra.

Ad acriores ſpecies pertinet, vnde et Flammula dicta, quae cuti pariter impoſita eandem rubefacit, quin veſicas excitat. Haec eius vis in intermittentibus febribus, illa praecipue, quae prima hominem infeſtat, tantum fidei ſibi in Suecia comparauit, vt a morbo (Älta) nomen (Ältgräs) ipſa ſtirps ibidem reportauerit. Imponi ſolet carpis. Saepe fini reſpondere, graues teſtes ſunt (LINN. *Fl. Suec. n.* 494. ROSENSTEIN *Barnſjukd. p.* 315), modo febrili paroxyſmo appropinquante vim ſuam exerceat, ſicque tantum colorem excitet, vt frigus ſufflaminetur. Addere tamen conuenit, curationis genus eſſe, quod a mulierculis potius, quam a medicis, in vſum trahitur. Non mirum igitur, ſimplici huic medelae allini myſtica quaedam artificia, praecidi ſcilicet vngues vel crinium extrema, quae medicatrix ex aedibus reportat, abdomen ad ductus pecu-

peculiares fricari rel. quae ſanior quilibet iudicio ridet.

Sed et in huius epiſpaſtici applicatione cautione ea opus eſſe, quam ſupra iniunxi, docet caſus ſingularis, quem mox proferam. Matrona quaedam, multiplici aliorum ſibi notorum hominum exemplo ducta, vt tolleret obſtinatam febrem, prope carpum ſiniſtro antibrachio Flammulam impoſuit. Quum per nychthemerum integrum effectu deſtitueretur, ei adhuc per dimidium diem moram conceſſit: ſed die poſt locus applicationis albus inſenſibilis durus exſtitit, doluitque intenſe brachium et locus dictus, poſtea in ſphacelum tranſiit, ita vt tendines muſculorum et ipſum os in conſpectum prodirent; obicem tamen malo poſuerunt antiſeptica et chinata (SKRAGGE *om Sjukdom. omkring Drottringholm p.* 162. *ſq.*) et ſanitatem priſtinam aegrae reſtituerunt. Patet inde, peccari, ſi vltra tempus herbam relinquas; nam et in veſicatoriis ex cantharidibus obſeruaui, veſicam ſaepe poſt emplaſtrum iam ablatum formari, vel iam natam ampliorem fieri.

342.

Pharm. RANVNCVLI BVLBOSI *Bulbus.*

Ranunculus bulboſus; calycibus retroflexis, pedunculis ſulcatis, caule erecto multifloro, foliis compoſitis. LINN. *Syſt. veg. p.* 430. Ranunculus pratenſis, radice verticilli modo rotunda. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 551. Pl. perennis, in pratis et ad vias copioſiſſima. In fertiliore ſolo maior omnibus partibus, conſequenter et bulbo; cuius varietatis figura conſpicitur in IO. MILLERI *Illuſtr. Syſt. ſex.*

In vniuerſum acris, dum tenera eſt, ita tamen, vt linguam non tam cito vellicet, vt Ranunculus ſceleratus, ſed diutius eam afficiat, quin periculoſiora et pertinaciora mala linguae, dentibus, gingiuis, afferat (KRAPF *de Ranunc. p.* 69.). Mirifice autem herba miteſcit, dum floribus ornatur, remanente quauis aetate acrimonia in bulbo radicis, qui acrior potius fit floreſcentiae tempore, fibris radicis contra ante antheſin modo acribus.

Radix BVLBVM ſubrotundum conſtituit, infra radiculas paullo mitiores in vniuerſum protrudentem. Veſicis excitandis hic ipſe bulbus prae reliquis

quis ſtirpis partibus, item prae reliquis Ranunculis, idoneus eſt; nam ad ſerum vsque autumnum recens in pratis obuenit, et coli quoque poteſt absque virium notabili iactura, et virides bulbi facile in ſabulo per hiemales menſes ſeruari queunt (KRAPF *de Ranunc. p.* 105.). Diu etiam ſeruari ſeſe patiuntur calido aëre abſque acrimoniae diſpendio (*l. c. p.* 74.).

Efficacia huius prompta, quippe taleolus eius digito interius applicatus iam poſt duo minuta prima vſtionis ſenſum impertit. Abiecto illo cutis vix rubra apparet et pruritus ceſſat, poſt duas tamen horas leuiter prurit et intra decem horas veſica generatur ſero plena, quam excipit vlcus dolens tardius conſolidandum et tardius pus concipiens. Taleolo vltra primum pruritum relicto dolor ſenſim increſcit, et vis erodentibus eiusmodi communis in vniuerſum maior (*l. c. p.* 70.).

Silentio praetereo alia tentamina, eo fine capta, vt vel radicis vel aliarum partium huius plantae acrimonia exploraretur, quum multa ſimilia habeant iis, quae de Ranunculo ſcelerato ſupra dicta ſunt, et ea, quae ſub articulo 339. in medium prolata, in hanc ſpeciem pariter plurimam partem quadrent.

343.

Pharm. CHELIDONII MINORIS *Folia; Radix.*

Ranunculus Ficaria; foliis cordatis angulatis petiolatis, caule vnifloro. LINN. *Syſt. veg. p.* 428. Chelidonia rotundifolia minor. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 499. Pl. perennis, primo vere florens, in gramineis et vmbroſis tam crebra, vt vicinas plantas ſuffocet.

Hodie a medicis ſpreta. Ex cenſu mitiſſimorum Ranunculorum eſt. FOLIA enim et flores eius acredine omni deſtituuntur. Folia ideo et verno tempore cum aliis plantis in acetariis comeduntur (KRAPF *de Ranunc. p.* 97.); item in Vplandia cum oleribus coquuntur (LINN. *amoen. acad. T.* 6. *p.* 127.). Laudem quoque antiſcorbutici tulerunt.

RADICIS vero alia ratio eſt. Haec ex bulbis ficiformibus faſciculatim congeſtis, quibus interiacent fibrae tenues, conſtat. Haud parum illa acris eſt cum ſapore ſtiptico, primum acido dein amareſcente et nauſeoſo. Contuſa cutem pariter in veſicam eleuat, etſi languidius, quam radix Ranunculi bulboſi, et conſolidationem non tam diu moretur.

retur. Acrior ante floris expanſionem. Succus radicis tutius ſternutatorium eſt, quam reliquorum Ranunculorum dictorum (KRAPF *l. c.*). Virtus applicationis externae radicum recentium, vel et earundem in puluerem redactarum et ſebo coctarum in ſtrumis, vel linimenti mox dicti in haemorrhoidibus, nondum tam comprobata eſt, vt fidem mereatur.

ANEMONE

LINN. *Syſt. veg. p.* 424. *Gen. pl. p.*279.

344.

Pharm. RANVNCVLI ALBI *Flores; Herba.*

Anemone nemoroſa; ſeminibus acutis, foliolis inciſis, caule vnifloro. LINN. *Spec. pl. p.* 762. Anemone nemoroſa flore maiore. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 549. Pl. annua verna, in nemoribus et dumetis habitans.

Obſoletae hodie famae apud medicos. Seruauit tamen eandem *Pharmacopoea Suec. ed.* 2. *p.* 27. cuius in cenſuris rigor notus; forſitan vnice ob aquam. Acris planta, herba et floribus. LINNEVS pro

pro Herba Sanguinaria veterum ſcriptorum rei ruſticae habet, quae mictum cruentum et dyſenteriam boum generaret (*Fl. Suec. n.* 485.). Certe pluribus Sueciae plagis haec planta ruri creſcit, in quibus haematuria correptum pecus, nec ſuſpicio noxae in aliam ſtirpem cecidit (LINN. *Skånſka reſa p.* 249, 370.). Folia cum floribus contuſa et bis per diem capiti applicata intra paucum tempus tineam ſanare lego (CHOMEL *Vſuelles T.* 2. *p.* 376.). Epiſpaſticum pariter ex hiſce recentibus parari poteſt ad auerruncandas febres intermittentes, vt de Ranunculis dictum: ſed eadem cautione opus eſt.

PRAEPARATVM.

AQVA RANVNCVLI ALBI. *Ph. Suec. p.* 57. Fit deſtillatione herbae cum aqua. Acris eſt. Lauant ſubinde faciem eadem puellae, venuſtatis male cupidae, eo, dum ſaturatior eſt, euentu, vt peſſime facies erodatur.

345.

Pharm. PVLSATILLAE NIGRICANTIS *Herba.*

Anemone pratenſis; pedunculo inuolucrato, petalis apice reflexis, foliis bipinnatis. LINN. *Spec. pl. p.* 760. Pulſatilla flore minore nigricante C. B. Icon. *Fl. Dan. Tab.* 611. item STÖRCK *Libell. de Pulſatilla nigric.* Pl. perennis vernalis, creſcens in campis apricis ſterilibus Germaniae e. c. prope Brunſvigam, inter Hamburgum et Lubecum, circa Vindobonam, item in Oelandia et Scania, vnde per iter petii aliquot exempla, quae vltra decennium probe viguerunt in horto botanico. Similis primo aſpectu Anemoni Pulſatillae LINN., quae vero altior, hirſutior, flore maiori petalis rectis.

Lib. Baronis a STÖRCK ſagacitate a. 1771. numerum officinalium plantarum auxit. Omnibus partibus paullum maſticatis acerrima et vrens, ſapore diu perſiſtente (STÖRCK *l. c. p.* 8.). Imo concidendo herbam recentem in naſo, lingua, labiis, ore, ſenſus mordacitatis oritur (*Hann. Mag.* 1779. *n.* 105. *p.* 1665.). Radix mitior (STÖRCK *l. c.*). Haec aquam ſub deſtillatione ſpumeſcentem reddit, vt ſaponaceae naturae indicium inde feratur (HEYER in cel.

CRELL

CRELL *chem. Iourn. P.* 2 *p.* 105.). *Aqua*, ex herba et floribus, abiecta radice, cum aquae fontanae octo partibus ad dimidium deſtillata, valde acris et penetrans (STÖRCK *l. c. p.* 10. Conf. *Hann. Magaz. l. c.*). Saturata et ex ſuccoſis (non exſiccatis) hiſce partibus parata poſt aliquot hebdomades, vel alio experimento poſt dimidium annum, in vitro cryſtallos lacteas, planas, ſtriatas, camphoraceae in quibusdam momentis naturae, in fundo generat, quae ipſa camphora tamen cum vera eo conuenit, quod ſapore pingui inſtruatur, flammam concipiens tota deflagret et in bractea ferrea calida ſenſim omnino auolet vaporibus nares vellicantibus (HEYER *l. c. p.* 103. Conf. *Hann. Magaz. l. c.*). Praeter dicta aliaque phaenomena, quae haſce cryſtallos explorans vera cognoui, ſingulare aliud expertus ſum, ſcil. quum easdem, quae integrae ſaporis expertes ſunt, flamma candelae liquatas guſtarem, ſaporem mox tam pungentem et lancinantem in lingua ſenſi, vt ferre eum non potuiſſem, niſi crebra linguae abſterſione mitigaſſem dolorem et inflammationem auertiſſem. Quin diebus aliquot poſtea ſtupor quidam linguae cum maculis albidis in locis applicationis ſuperfuit. Extractum mollius ex reſidua poſt deſtillationem parte paratum, licet initio adſtringere linguam videatur, dein tamen ciet punctorium ſenſum, tandem

dem ardorem diu permanentem. Ex huius *Extracti* granis ſeptem vel et quatuordecim cum ſacchari drachma vna puluerem parauit tenuiſſimum STÖRCKIVS (*l. c. p.* 11.). Item *infuſum* ex herbae ſiccae drachma vna cum aquae feruidae q. ſ. per quadrantem horae maceratae, addito colaturae librae vnius ſaccharo, quantum eius pro gratia opus eſſet. Si fortius deſideraretur infuſum: herbae drachmae duae vel tres vel vncia dimidia adhibita (*l. c. p.* 13.). Quid triplici hocce praeparatorum genere praeſtiterit, caſus quadraginta vnus ab eo recenſiti teſtantur.

Experimentis in oculorum variis affectionibus chronicis hac ſtirpe inſtituendis anſam dedit ſenſus, quem ipſe STÖRCKIVS expertus in proprio oculo, qui biennio antea inſignem contuſionem paſſus fuerat, vt quem pluries minuta aliquot prima poſt ingeſtum puluerem dictum dolor lancinans vexauit. Felix experimentorum ſucceſſus ſpecificam quandam vim in oculorum morbis ſtirpem exſerere illi perſuaſit. Pertinet huc amauroſis (*Caſ.* 18. 20. 21. 23. 25. 33.), quam in quibusdam curauit, in aliis egregie leuauit. Cauſa huius mali varia non cuilibet quidem hiſtoriae adiecta. Fuit inter hoſce aegros foemina, ex profluuio aurium ſubito ſopito coecutiens

cutiens (*Caſ.* 21.); alia ex partu difficili (*Caſ.* 23.). Adeo in puella quatuordecim annorum amauroſi vtriusque oculi laborante effectus celer fuit, vt intra binos fere menſes viſum recuperaret (*Caſ.* 18.). In aliis, quibus imperfectus remanſit, magni tamen omnino faciendum, quod diſtinguendi obiecta et colores, ambulandi ſine cadendi metu, item legendi facultatem pluribus reſtitueret. — Cataractae eius ope diminutae plura etiam exempla exſtant (*Caſ.* 24. 32. 38.). In hiſce ſcilicet viſus obſtaculum tenuius inde euadere apparuit, ſplendor candelae accenſae denuo percipi coepit, vel obiecta quaedam diſtinguendi poteſtas rediit. — Pannos, vngues vel albugines oculorum in variis quoque diſſipauit (*Caſ.* 16. 19. 22. 26. 31. 35. 36.), quorum malorum originem vulnus corneae, vel ophthalmia, item variolae, in quibusdam conſtituerunt.

Bonum indicium praebet in oculorum vitiis, ſi in hiſce dolor, etiamſi terebrans lancinansque, percipitur (STÖRCK *l. c.* MOHRENHEIM *chirurg. Beob. T.* 1. *p.* 77.).

Praeter dicta oculorum vitia, in aliis variis morbis efficaciam ſuam comprobauit. Multa ſymptomata venerea, vt dolores artuum nocturni, tophi, vlcera

vlcera pudendorum, faucium, linguae, caries, teſticulus induratus, condylomata, plantae huius vi ſublata fuerunt (STÖRCK *l. c. Caſ.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 13. 15. 28. 30.).

Vlcera quoque quaedam, absque cauſa venerea exorta, ſanari eadem ſe paſſa ſunt, prout illud foediſſimum in lingua natum, quo lingua fere tota exſtitit bifurcata (*Caſ.* 12.); et vlcus ſordidum pedis cum ſerpigine colli et ſcapulae (*Caſ.* 37.). Ita vlcus in genu ex aperto tumore lymphatico conſolidatum (*Caſ.* 14.).

Nec ſpernenda haec Anemone in paralyſi. Etenim diſparuit brachii immobilitas cum rigiditate et emaciatione, quae per quinquennium durauerat (*Caſ.* 1.). Alius paralyſin annoſam crurum eius ope deuicit.

Si ex caſu ſingulari concludas: multum et ſpondet in melancholia, ex qua reſipuit vir pertinaci morbo cum macie correptus (STÖRCK *l. c. p.* 54.).

Multis igitur nominibus efficax dicenda haec ſtirps eſt. Significatos inter caſus probi ſucceſſus alii quidam occurrunt, in quibus parum vel nihil auxilii attulit; id quod auctori honori non dedecori ver-

vertendum. In commendationem quoque cedit ſtirpi, quod in multis aegris voto reſponderit, in quibus complura alia remedia fruſtra tentamen ſubierant.

Puluis vero ex extracto et ſaccharo initio parua doſi capitur ſenſimque augetur, ita vt, ſi extracti grana ſeptem ſumta ſint pro drachma vna ſacchari, huius pulueris initio ter de die grana viginti ingerantur, dein drachma vna, duae, tres per diem; et poſtea ſubſtituatur puluis, qui inter drachmam ſacchari grana quatuordecim extracti continet. Extracto vis efficax reſoluendi ineſt. Aqua deſtillata drachmis duabus ad vnciam dimidiam bis de die capitur. Infuſi vero deſcripti ter de die vncias tres vel quatuor aeger ſumit (STÖRCK *p.* 11. *ſqq.*).

Facilius ferunt aegri extractum, quam aquam deſtillatam, vt quae quibusdam maiori doſi nauſeam conatumque vomendi excitat (*l. c. p.* 55.). Non ſpernenda tamen ipſa aqua. In vlceribus, carie, ſerpigine, infuſi vſus externus vtiliter cum interno coniungitur. In multis haec ſtirps lotium mouet copioſius; quibusdam tormina et leuem diarrhoeam cum euphoria; ſunt et quibus inde fluxus menſtruus antea ſuppreſſus vel haemorrhoides reſuſcitatae.

Quum

Quum camphorae ex hac ſtirpe ſupra deſcriptae granum dimidium cum ſaccharo feminae amauroſi laboranti offerretur: et lotium ſucceſſit copioſe et crebro, et capitis lancinans dolor ſubſequutus eſt. Idem contigit feminae alii iuniori (HEYER *l. c. p.* 106. *ſq.*).

Quae vero de efficacia ſtirpis in affectionibus oculorum obſtinatis innotuerunt, non vnica STÖRCKII auctoritate nituntur, ſed acceſſit aliorum fides. Hafniae in noſocomio amauroſin eadem diſcuſſam obſeruatum. Eundem euentum cl. GVLDBRAND ter in praxi ſua expertus eſt. Variis quoque oculorum vitiis pharmacopola quidam Danicus eius ope ſubuenit (TODE et NIELSEN *Diſſ. de praeſtantiſſ. ratione illuſtrandi mat. med. p.* 11.). Dignum memoria eſt ſolatium, quod extractum attulit theologo cuidam Heluetico, ſeptuagenario maiori. Hic vno oculo iam omnino coecutiens alterum quoque ita obſcurari ſenſit, vt faciei obuia diſcernere nequiret. Senſim doſis ita aucta, vt dolor circa oculos et in eorundem vicinia naſceretur; vnde poſt binos circiter menſes tantum leuamen obtinuit, vt ipſe medico ſuo, cl. HOTZ, exarare epiſtolam et poſtea litteras legere, etſi cum difficultate, poſſet (IO. IAC. ZIMMERMANN *Diſſ. Obſervat. circa Mercur. Extr. Cicutae et Pulſatill.* §. 14. *Argent.* 1779.). Accedit cl.

MOHRENHEIM (*l. c.*) iis, qui hanc plantam in amauroſi, cataracta et opacitate corneae, laudant. Quae iſte, de panno in vtraque cornea viri militaris diſſipato ope pulueris Anemones, narrat, magis fauerent eiusdem vi, niſi ſimul decoctum quoddam interne et externa varia efficacia, vt collyrium ex Vitriolo coeruleo et Tutia et vnguentum ex Mercurio praecipitato rubro et ſaccharo vſurpaſſet, ſimulque applicationi lapidis infernalis et fonticulis indulſiſſet. Perfecit tamen ſaltim omiſſis reliquis dictis curationem hanc ſtirps noſtra (*l. c. p.* 73. *ſqq.*). Idem duobus exemplis incipientem cataractam extracto in pilulis dato, a granis tribus, ſenſim granum vnum per diem addendo ad drachmam vnam, in connubio collyrii cum ſpiritu ſalis ammoniaci diſcuſſit (MOHRENHEIM *Wiener pract. Beytr. Vol.* 1. *p.* 287.). Memorabilis etiam caſus eſt foeminae, quem adducit, cataracta depreſſione liberatae, ſed viſu iterum ſub dilatatione pupillae ſenſim priuatae: rediit in hac viſus extracto Pulſatillae, a tribus granis incipiendo et augendo doſin quotidie granis duobus, ad drachmam vnam vsque (MOHRENHEIM'S *chirurg. Beobacht. Vol.* 2. *p.* 24.). Ita pannum corneae diſſipauit interno vſu ſalium mediorum et Pulſatillae vna cum collyrio, quod fel bovillum exceperat (*l. c. p.* 169.).

Inter

Inter tot ſecundi in amauroſi effectus teſtimonia dolendum, ſtirpem hanc, crebro in aedibus, quibus milites rude donati Berolini aluntur, tentatam, ſpem in iſto vitio fefelliſſe (SCHMVCKER in *verm. chir. Schrift. T. 2. p. 26.*). Ita et, licet in oculorum morbis, praecipue in amauroſi oculorum et panno, extractum, idque magna doſi, exhibuerit ill. BERGIVS, ſibi tamen non ſatisfeciſſe queritur (*Mat. med. p. 491.*). Negat et ill. AVG. GOTTL. RICHTER (*chir. Bibl. Vol. 6. p. 584.*), ſeſe vnquam auxilium vllum hacce ſtirpe in amauroſi afferre potuiſſe, qui tamen extracti ad ſummum grana modo quindecim obtulit.

PRAEPARATA.

AQVA DESTILLATA PVLSATILLAE NIGRICANTIS. Hanc ciuitate iam donarunt *Pharm. Edinb. noviſſ.*, *Brunſvicenſis*, *Roſſica.*

EXTRACTVM. *Item.*

346.

Pharm. HEPATICAE NOBILIS *Herba.*

Anemone Hepatica; foliis trilobis integerrimis. LINN. *Spec. pl. p.* 758. Trifolium hepaticum, flore ſimplici. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 610. Pl. perennis, in ſyluis primo vere copioſe florens. Varietas flore pleno vulgare hortorum ornamentum.

Rariſſime HERBA hodie a medicis praecipitur. Deſtituitur ea acrimonia, quae aliis ſpeciebus congeneribus competit, leuiter contra ea adſtringit. Tonica olim reputata in viſcerum laxitate, in primis hepatis et renum et veſicae vrinariae, et mictui cruento et haemoptyſi coërcendae apta. Nominatim et BOERHAAVIVS (*Hiſt. pl. hort. L. B. p.* 50.) egregiam opem in gonorrhoea inueterata ex organorum laxitate depraedicat. Malo hypochondriaco mederi decocto feruntur Gotlandi (LINN. *Fl. Suec. n.* 480.). Hodie vix vltra gargariſmata extenditur eius vſus. Pulueri alias vel infuſo theaeformi locus fuit.

Clema-

CLEMATIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 426. *Gen. pl. p.*280.

347.

Pharm. FLAMMVLAE IOVIS *Folia; Flores.*

Clematis recta; foliis pinnatis, foliolis ouato-lanceolatis integerrimis, caule erecto, floribus pentapetalis tetrapetalisque. LINN. *Spec. pl. p.* 767. Flammula recta. C. B. Icon: IACQV. *Fl. Auſtr. Tab.* 291. STÖRCK *Libell. de Flammula Iouis Tab.* 1. Pl. perennis in collibus et dumetis Auſtriae, Hungariae, Valeſiae et alibi in Heluetia, item circa Monſpelium.

Haec, vt congeneres ſpecies, valde acris, vnde et nomen Flammulae variis impertitum. Nobilitauit tamen hanc ill. a STÖRCK, et extra ſuſpicionem veneni poſuit (*Libell. cit.*), idque a. 1769.

FOLIA recentia in lingua et faucibus ardorem cient, diutius in lingua retenta rubefaciunt, veſiculas excitant et exulcerant. Sicca vero mitiora ſunt, vtpote ſaporis acido ſubdulcis, leniter adſtringentis, parum vrentis. Conterendo tamen ea niſi tibi proſpicias, in naribus, faucibus, pectore, ardor

 ſubſe-

ſubſequitur. FLORES pariter cum conſtantia acres, ſiue ſicci explorentur, ſiue in infuſo. Paucis in animalibus captis experimentis. ad alia in morboſis humanis corporibus tranſitus factus. Et in hiſce infuſum foliorum praecipue placuit; dum ſcilicet eorundem drachmae duae cum ſ. q. aquae feruentis per quadrantem horae vaſe clauſo infundantur, et, ebullitione per momentum ſubiuncta, colatura librae vnius exhibeatur. Fortius hoc infuſum ſenſim redditur ſumendo foliorum drachmas tres vel vnciam dimidiam. Tentatum et infuſum ex florum drachma vna et aquae feruentis q. ſ. ad colaturam librae vnius; quod pariter fortius fieri poteſt florum duplam vel triplam quantitatem addendo, et ſacchari vel ſyrupi miſcela gratius. Doſis horum infuſorum ſunto per diem bis, ter vel quater, vnciae quatuor. Extracto herbae recentis etiam locus eſt, per diem ad granum vnum, duo vel tria ſupraque, ſumto. Puluis ex huius extracti granis tribus et ſacchari albi drachma vna paratur, in ſex doſes diuidendus, quarum tres per diem capiuntur. Alius puluis fit ex foliorum granis tribus cum dupla quantitate ſacchari, bis vel ter de die capiendus. Senſim quoque licet augere pondus pulueris foliorum ad grana decem pro qualibet doſi.

Sic

Sic effectus ſtirpis nunquam noxius, verum multis in morbis maxime ſalutaris ſubſequitur. Ex horum cenſu memoro tophos, dolores oſſium aliaque ſymptomata venerea, nominatim vlcera (STÖRCK *l. c.* *Caſ.* 1. 4. 5. 7. 15.), quae quandoque tollit, contra aliud quodlibet remedium immorigera (*l. c. p.* 34.). Sed exſtant et vlcera, fomitis venerei expertia, quibus pariter auxilio eſt (*Caſ.* 6. 8. 10. 14. 18.). Inter quae ſeorſim notanda ſunt cancroſa in labiis oris enata (*Caſ.* 3. 11. 23.). Subfuit apud alios in huius partis cancro vitium venereum (*Caſ.* 4. 9.). Magis adhuc votis ſatisfieret, ſi ipſi cancro mammarum ſufficeret: fungoſus tamen et exulceratus huius partis legitur hac ſtirpe curatus (*Caſ.* 24.), item alius cuilibet medelae generi obnitens (LEBER in STÖRCKII *Libell. de Pulſat. nigric. p.* 57.). Porro excreſcentias varias fungoſas delet, e. gr. in dorſo manus (*Caſ.* 12.), in glande penis (*Caſ.* 20.), obuias. Scabies annoſa, humida, cutem totius fere corporis erodens, intra paucas hebdomades euanuit (*Caſ.* 13.). Nec minimum meritum eſt, quod aliquando cephalaeas diriſſimas tollat, ſiue cauſa venerea ſubſit (*Caſ.* 1.), ſiue deſit (*Caſ.* 2. 17.). Sigillatim noto tumorem durum, circa articulum ſuperiorem oſſis femoris enatum cum immobilitate femoris et vlcere ſinuoſo, manifeſte leuatum (*Caſ.* 22.).

22.). Foeminae denique plures triſtiſſima melancholia affectae omnino inde reſipuerunt (STÖRCK *de Pulſat. p.* 57.).

Atque in hiſce morbis, ſi extus ſimul in conſpectum veniant, ſaepe vſus externus cum interno vtiliter copulatur. Puluis ſcilicet herbae inſpergitur vlceribus vel carni fungoſae, quo ipſo illa pura euadunt et ſenſim coaleſcunt, haec conſumitur absque eroſione carnis viuae ac ſanae. Subinde ſolus inſperſus puluis curationem abſoluit (*Caſ.* 8. 12. 18. 20.). Creat tamen ille aliquando primis diebus ardorem in vlceribus inſignem; vnde ea re eſt, initio exiguum eius modo inſpergere (*l. c. p.* 35.). In ſcabie iuuat praeter vſum infuſi internum eodem ſimul corpus lauare. Contra vlcera vrethrae pariter vna iniectiones cautae infuſi proſunt (*Caſ.* 21.).

In quibusdam aegris lotium, in aliis ſudorem, in paucis aluum, haec ipſa ſtirps mouet.

Quis vero in tam multiplici morborum recenſu mirabitur, quod plura inertiae exempla (e. gr. *Caſ.* 16. 19.) exſtiterint.

PRAEPARATA.

EXTRACTVM FLAMMVLAE IOVIS receptum a *Pharm. Edinb. nouiſſ.* et *Ph. Roſſ.*

INFVSVM. *Ph. Edinb. cit. p.* 57.

THALI-

THALICTRVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 426. *Gen. pl. p.* 280.

348.

Pharm. THALICTRI *Radix.*

Thalictrum flauum; caule folioſo ſulcato, panicula multiplici erecta. LINN. *Spec. pl. p.* 770. Thalictrum maius, ſiliqua anguloſa ſ. ſtriata. C. B. Pl. perennis, in pratis humidis frequens.

RADIX extus fuſca, ſcatens ſucco ex dulci amaro. Lanam imbuit colore flauo, prout et folia. Virtus Rheo aemula dignam eam facit, quae ſuppellectili medicamentariae inſeratur, etſi hactenus vix a medicis praecipiatur. In Germania olim Rhabarbarum pauperum dictum. Colorem aureum lotio impertit, item odorem peculiarem, tingit et foeces et ſaliuam. Doſis triplo maior Rheo proponitur (BOERHAAVII *Hiſt. pl. hort. L. B. T.* 1. *p.* 69.). In decocto purgantem eius vim agnouit DODONAEVS (*Pemptad. p.* 59.). Aperiendo, roborando et inteſtina firmando, pariter excellere legitur (BOERH. *l. c.*). Apud Iemtios in malo iſchiadico cataplaſma applicetur (ex HAGSTRÖMIO LINN. *Fl. Succ. p.* 486.).

DICTA-

DICTAMNVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 330. *Gen. pl. p.* 209.

349.

Pharm. DICTAMNI ALBI, item FRAXINELLAE *Radix.*

Dictamnus albus; LINN. *Spec. pl. p.* 548. Dictamnus albus vulgo Fraxinella. C. B. Icon: MILLER'S *Figures of Plants Tab.* 123. IACQ. *Fl. Auſtr. Tab.* 428. REGNAVLT *Botan.* La Fraxinelle. STÖRCKII *Libell. de Flamm. Iouis Fig.* 2. Pl. perennis, in ſyluis montoſis et collibus ſaxoſis Galliae, Italiae, Heluetiae, Germaniae, Roſſiae et Sibiriae auſtralioris ſpontanea. In hortis vulgare arearum, ob elegantiam floris, vel rubri vel albi, ornamentum.

Tota ſtirps odorem ſpargit fragrantem bituminoſum, qui ex oleo eius eſſentiali prouenit. Hoc in ſuperficie extremorum caulium item internarum floris partium inter veſiculas exiguas latet. Adeo hoc inflammabile eſt, vt admota veſperi candela poſt diem ſiccum effluvia flammam capiant, modo aërem inflammabilem ventus non difflauerit (DV HAMEL *Phyſ. des arbres T.* 1. *p.* 150. NOLLET *Cours de*

de Phyſ. Vol. I. *p.* 300.). Reſina ex floribus nondum expanſis collecta lotium efficaciter pellit (HILL in *Virtues of Sage Verſ. germ. p.* 56.). Potior virtus in capſulis ſtellatim diſpoſitis reſidet.

Sed in RADICIS conſideratione praecipue ſubſtitit medicorum ſollertia. Haec craſſa, ramoſa, externe pallide flaua, interne alba, odoris, dum recens eſt, hircini, ſaporis ex aromatico amaricantis. Seruatur in officinis modo pars eius corticalis craſſa ſpongioſa, quae, poſtquam a lignoſa inerti medulla ſeparata fuerit, ſponte in cylindricam formam conuoluitur. Craſſiſſima pollicem fere diametro aequat. Quo vero exilior eſt, eo efficacior (NEVMANN. *Chem.* 2. *B.* 2. *Th. p.* 275.). Sapor ſiccae radicis haud parum amarus et nonnihil aromaticus eſt. Amarities tranſit manifeſte infuſione in aquam, ſicque haec largitur extractum pariter amarum, quod tamen amaritie cedit extracto ſpirituoſo, cuius longe quidem minor quantitas eruitur.

In ſtomacho roborando, malignitate morborum delenda, menſtruis pellendis, vermibus necandis aliisque quibusdam morbis, a quorum curatione haec radix remotior videtur, valere, olim a medicis ſtatutum fuit, vt vel in compendio a GEIERO (*Dicta-*

(*Dictamnographia*) et BÜCHNERO (*Diſſ. de Fraxinella reſp.* HENR. CHRIST. BERTVCHIO *Erford.* 1742. inde *a pag.* 9.) traditum legimus. Senſim vero ita in deſuetudinem abiit, vt dubitarent multi, an operae pretium eſſet, in loculo officinarum illam ſeruare, quin inertem omnino pronuntiarent. Fefelliſſe hoſce ſuum iudicium, paucos ante annos didicimus experimentis L. B. DE STÖRCK (*Lib. de Flamm. Iouis cap.* 2. *p.* 36. *ſqq.*). Exhibuit illam quibusdam in puluerem redactam optimo euentu contra tertianam (*Caſ.* 4.), contra lumbricos (*Caſ.* 6. 7.), quibus ſubigendis pluries praecipue in Ialappae miſcela par fuit (*p.* 46.), ad fluxum menſtruum reſerandum, in fluore albo inueterato erodente (*Caſ.* 9.); doſi quidem in hiſce diuerſa, cuius ſcrupulus vnus bis per diem maximum pondus conſtituit.

Eſſentia quoque ex radicis recentis et conciſae vnciis duabus ſpiritusque vini vnciis quatuordecim, digeſtione bene ſaturata (*p.* 38.), profuit, idque quidem binis epilepticis a guttis viginti ad triginta vel quinquaginta ter de die, etſi in vno redeunti malo non ſufficeret. Auxilio quoque fuit, ad ſexaginta guttas ter de die data (*Caſ.* 3.), foeminae melancholicae, in qua irregularitas menſtruorum ſubfuit.

Chloro-

Chloroticis demum et menſtruorum retentione grauatis *Vinum* medicatum ſuppetias fert ex pulueris radicis vncia vna, Limaturae martis non rubiginoſae drachmis tribus cum vini generoſi libra vna digeſtis, cuius cochleare vnum omni bihorio datur (*p.* 38.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLVIS EPILEPTICVS AD GVTTETAM *Ph. W. p.* 151. ORVIETANVM *l. c. p.* 133. radicem in farragine multiplici aliorum recipiunt.

TINCTVRA ſ. ESSENTIA DICTAMNI ALBI. *Ph. Edinb. nov. p.* 75.

VINVM *l. c.* Eſt ſupra dictum martiale.

RVTA.

RVTA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 331. *Gen. pl. p.* 102.

350.

Pharm. RVTAE *Herba*; *Semina.*

Ruta graueolens; foliis decompoſitis, floribus lateralibus quadrifidis. LINN. *Syſt. veg. p.* 331. γ. Ruta hortenſis latifolia C. B. Graecis Ρυτη ſ. Πεγανον. ICON: REGNAVLT *Botanique*, la Rue des Jardins. Suffrutex, creſcens in rupibus et locis ſterilibus Europae auſtralis, in Hiſpania, Gallia inferiori, Heluetia. Colitur in hortis copioſe.

Planta ſpontanea acrior et odoratior hortenſi eſt. Acquieſcimus vero hortenſi. Sapor eiusdem ſtimulans, calidus, amaricans, odor grauiſſimus. Adeo vero recens acris eſt, vt pruritum in manu illam colligentium cieat (DIOSCOR. *Mat. med. Lib.* 3. *cap.* 52. CLVS. *Hiſt. rar. plant. Lib.* 5. *p.* 136. qui adeo per triplices chirothecas penetrare acrimoniam obſeruauit); vnde probe caueas, ne contrectata paullo ante planta oculos confrices.

Infuſum HERBAE Rutae aqua factum ſubuiride vel brunum eſt. Hoc etſi in fibra animali adſtrictionis

nis vim non edat, ſolutione tamen vitrioli martis mixtum debili nigredine ſuffunditur (PERCIVAL *Eſſays medical and experimental T.* I. *p.* 119.). Patet inde, non adſtringentia vnice addito ſale martis nigreſcere. Aqua extractum erogat amarum calidum, maiori quantitate, quam ſpiritus vini, qui vero extractum acrius, hinc efficacius, largitur, coloris fuſco-nigricantis. Deſtillatione per aquam aſcendit oleum coloris flauidi vel ſubbruni, odoris paullo gratioris, quam qui herbae ineſt, ſaporis moderate acris, ſed tam paruo pondere, vt alius (CARTHEVSER *Mat. med. T.* 2. *p.* 129.) vix vnciam dimidiam eius ex libris decem, hoc eſt vix $\frac{1}{320}$, alius (SPIELMANN. *M. m. p.* 292.) modo $\frac{1}{464}$ obtinuerit. Hoc ipſum frigore coit (NEVM. *Chem.* 2. *B.* 3. *Th. p.* 131.). Fructus maturitati proximus oleo ditior eſt, ea proportione, vt quum herbae librae duodecim circiter drachmas tres modo offerrent, fructus eadem quantitas ſupra vnciam vnam ſuppeditaret (LEWIS *Hiſtory of the Mat. med. p.* 489.). Haec quoque pars viribus herbae antiſtare cenſenda eſt.

Apud veteres in multis morbis magno in pretio ſtirps haecce fuit (V. compendii cauſa *Diſſ. de Ruta* praeſ. STENZELIO, reſp. STERNBERG *Witt.* 1735. item ZORNII *Botanol. med. art. Rut. p.* 588. *ſqq.*),

nec hodie ſpreta, licet omnino pluris fieri mereretur, et optabile eſſet, vt vires, per exempla variorum morborum et hominum eundo, vlterius confirmarentur. In neruos illam exſerere vim, vel ipſe odor grauis fragrans docet, item efficacia in morbis, in quibus ſyſtematis neruoſi labes. Horum e numero epilepſia, in qua iam veterum, nominatim TRALLIANI (*Oper. Lib.* 1. *cap.* 15. *p.* 80.), auctoritate inclaruit. Hic tamen, quem dixi, magis ad excitandum aegrum ſub paroxyſmo odore Rutae, quam ſanandum omnino a malo, reſpexiſſe videtur. Multa et diuturna experientia ſuccum Rutae cum melle ſcillitico mixtum comprobaſſe ſuam in hoc morbo virtutem, teſtatur VALLERIOLA (*Obſſ. med. Lib.* 3. *obſ.* 7. *p.* 156.). Hyſtericis foeminis non raro ſolamen affert Ruta, et inter varios exhibendi eam modos etiam oleum eiusdem deſtillatum (BOERH. *Chem. T.* 2. *p.* 112. CHOMEL *Uſuelles T.* 1. *p.* 218.) ſeſe commendauit, item aqua deſtillata (BOERH. *l. c. p.* 68.), quam nunquam ſatis pro dignitate ſeſe laudare poſſe innuit ſummus BOERHAAVE in epilepticis et hyſtericis leuandis, in veneno (miaſmate puto) pellendo, in ſudoribus ciendis. Hyſtericis Ruta tanto plus promittit, ſi menſium obſtructione ſimul laborant, quos reſerare in multis compertum eſt.

Diſpel-

Diſpellere colicam a flatibus, ſperare a medicina ſtimulante et aromatica licet, iudicium vero plurium teſtimonia comprobant, quos inter illud SIMONIS PAVLLI (*Quadrip. p.* 510.), qui decoctum, item oleum eius clyſmate miſtum vel epithema, depraedicat.

Antidotum vniuerſale venenorum, cuiuscunque cenſus ſint, illam cum antiquis habere diſſuadet ſana ratio, et facile dabo in malignitate et contagio morborum, ipſius adeo peſtis, laudem eſſe reſtringendam, quum multiplicis iſta malignitas naturae ſit. Stimulus vero, quo neruos vellicat, antiputredinoſa vis et ſudorem excitandi efficacia, alexipharmaci titulo eam non omnino indignam reddunt. Succus herbae cum vino, praeſertim vero acetum rutaceum, hiſce nominibus inclaruit. Sed et limitem putredini viuae partis ponere, vſu in gangraena, epithematis vel cataplaſmatis forma e. c. cum ſale communi, addito vino et aceto, conſtat. Ita vinum, in quo herba cocta, permixtum melle Roſarum, ſanauit ozaenam foetidam et exulcerationem putidam gingiuarum cum carie alueolorum dentium coniunctam (PLENCK *Mat. chir. p.* 268.). Sic et in aliis vlceribus imo verminoſis valet. Ad ſeruandos dentes confert os decocto tepido Rutae et

Scordii bis vel ter per hebdomadem ſollicite colluere; vel et aqua, ex Herbae Saluiae duabus partibus et Herbae Rutae vna parte, antequam flores emittant, collectis, deſtillata, quae ipſa aqua etiam coërcet cariem in dente iam natam (v. ex *Deutſch. Memoires Ed. Vienn. T.* I. *p.* 174. *Hann. Magazin* 1767. *n.* 60.).

Epiſpaſtici inſtar herbam recentem adhiberi poſſe, ex ſuperioribus euincitur, quo fine vel ſola vel aliis commiſta plantis pedum vel aliis commodis locis imponitur. Sic epicarpium ex ſummitatibus Rutae et ſeminibus Sinapi contritis febrem intermittentem in pluribus profligauit, licet aliquando ſucceſſu caruerit (BOYLE in HAENII *Rat. med. T.* II. *p.* 66.).

In debilitate viſus ſaepe prodeſt halitus hominis ſani et integri oris, qui Rutam maſticauit, oculo alterius aperto adſpirandus, in ea praeſertim oculorum caligine, quae ex lectione aſſidua originem traxit (ROSENSTEIN *Reſeapot. p.* 40.). Suppanes habentur vapores decocti per infundibulum inuerſum admiſſi (CHOMEL *Uſuelles T.* I. *p.* 220.).

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA RVTAE. *Ph. Lond. p.* 24 Eximium praeparatum, ſeruans virtutem recentis plantae potiorem.

OLEVM DESTILLATVM. *Ph. omn.* Efficax. Criteria et vires eius ſupra iam dixi.

OLEVM COCTVM. *Ph. Würt. p.* 127. Recentium foliorum coctione cum oleo oliuarum paratur. Externo vſui deſtinatur, inſtar neruini, carminatiui, cui vix ſufficit.

ACETVM. *Ph. W. p.* 1. Vis eximia aceti vini reſtaurans et antiputredinoſa, addita Ruta, qua infunditur, augetur. In ipſa peſte olim pretium tulit.

EXTRACTVM. *Ph. Lond. p.* 27. *Ph. Edinb. nouiſſ. p.* 93. Eſt aquoſi generis.

BALSAMVS. *Ph. W. p.* 31. Ex oleo Rutae deſtillato, Nuciſtae et pauxillo viridis aeris. Abeſſe poteſt.

ORDO XXVII.

SENTICOSAE.

SPIRAEA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 392. *Gen. pl. p.* 253.

351.

Pharm. FILIPENDVLAE ſ. SAXIFRAGAE RVBRAE *Radix.*

Spiraea Filipendula; foliis pinnatis, foliolis vniformibus ſerratis caule herbaceo, floribus corymboſis. LINN. *Syſt. veg. p.* 393. Filipendula vulgaris. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 635. REGNAVLT *Botan.* La Filipendule. Pl. perennis, in paſcuis ſiccis creſcens.

RADICEM conſtituunt fibrae longae tuberibus oualibus inſtructae coloris extus fuſci, interne albi. Tubera haec carnoſa autumno odorem florum Naphae gratum prae ſe ferunt, ſaporem ſubdulcem; aeſtate minus fragrantia, magis vero amara et ſicciora. Recentia raſa aquam frigidam colore rubeſcente imbuunt, quae mora amylum album deponunt, quod decoctione in gelatinam tenacem transit

(BERG.

(BERG. *Mat. med. p.* 424.). Vnde apparet nutritias partes ineſſe. Iamque dudum notatum eſt, annonae caritati radices ſubuenire (LINN. *Fl. Svec. p.* 439.), prout et ſues auide illas euellunt.

Nobis potiſſimum cum ſiccis tuberibus res eſt, quorum vero vſus hodie nullus, idque non immerito. Sapor eorum amaricans, aquam infuſione reddunt ſaturate rubram, cum vitriolo martis nigreſcentem. Adſtringendi ideo veſtigia quaedam illi inſunt. De diuretica et lithontriptica vi, quam quidam iactitant, fas eſt dubitare. Nec a SIMONE PAVLLI (*Bot. quadripart. p.* 332.) aliisque laudata eiusdem in fluore albo efficacia nuperorum experimentis confirmatur.

352.

Pharm. VLMARIAE *Flores; Herba.*

Spiraea Vlmaria; foliis pinnatis impari maiore lobato, floribus cymoſis. LINN *Spec. plant. p.* 702. Vlmaria. CLVS. *ſtirp. pann. p.* 100. Barba caprae floribus compactis. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 547. REGNAVLT *Botan.* La Reine des Près. Pl. perennis, in paſcuis humidis et ad foſſas creſcens.

Rarius a medicis praecipitur, quam pro fragrantia odoris mereri videtur. Ob hanc diebus feſtis et in conuiuiis ruſticorum in Suecia mos illis eſt, plantam recentem per pauimentum ſpargere, quae tripudiis conquaſſata totas aedes odore ſuo replet, delicatioribus naribus non admodum grato. Plus omnino commodi generi humano offert, ſi ſatis verum ſit, vermes frumento noxios in granariis odore eius fugari (GADD *om Svenſka Landſkötſeln T.* 3. *p.* 560.). Pabulum quoque affert capris expetitum, quum contra ea in paſcuis, quae occupat copioſius, vituli tabeſcant (LINN. *Amoen. acad. Vol.* 2. *p.* 250.).

FLORVM, qui ſuavem odorem ſpirant, vſu hodie acquieſcimus, qui ob vim pellentem et ſudoriferam

feram non ſpernendi ſunt. Infuſum eorum calidum aqua factum variolas et morbillos languente eruptione prouocat (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1135. ROSENSTEIN *om Barnſjukd. p.* 134. 217.). Idem in connubio florum ſulphuris inſeruit ſcabiei retropulſae ad cutem reuocandae (*l. c. p.* 271.). Aqua deſtillata leuiter aromatica ſimilem pellendi vim habet (HALL. *l. c.*), hinc inde ideo in formulis b. A ROSENSTEIN obuia.

HERBA ſaporis adſtringentis. Coriario adeo ſcopo valet (BERNHARD *von d. Wieſenbau p.* 166.). Non morabor multum vim eius alia profluuia ſiſtendi et vulnerariam, quae paſſim memoratur, quum effata mihi non ſatisfaciunt.

GEVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 399. *Gen. pl. p.* 256.

353.

Pharm. CARYOPHYLLATAE, ſ. GEI VRBANI *Radix.*

Geum vrbanum; floribus erectis, fructibus globoſis villoſis, ariſtis vncinatis nudis, foliis lyratis. LINN. *Spec. pl. p.* 716. Caryophyllata vulgaris. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 672. REGNAVLT *Botan.* La Benoite. Pl. perennis, vulgatiſſima ad ſepes et in vmbroſis.

RADIX extrinſecus fuſca, interne albida, conſtat, dum aetate paullo prouectior eſt, ex breui trunculo oblongo, copiam fibrarum craſſarum longarum attenuatarum ſpargente. Iunior ex meris fibris conflatur. Verno tempore, ſi ſolo ſicco creuerit et recens ſit, caryophyllaceum odorem ſpirat, quem et in conclaui amplo, quo recens effoſſam per tempus ſeruaueram, intrans absque conciſione radicum ſenſi. Sapor ſimilis, in quo tamen auſteritas et amarities haud mediocris praeualet. Siccata radix aromate ſuo ad ſenſum priuatur. Certe ad eius iactu-

iacturam praeuertendam caue, ne nimio calore eam exſicces; nam vna cum eo vim febrifugam ſufflaminari affirmatur (BVCHHAVE *Obſſ. circa radicem Gei vrb.* 1781. *p.* 20. *not. n.*). Virtute quoque radicis craſſior pars fibris antiſtat (*l. c. p.* 26.). Euelli debet vere vel aeſtate. Praeſtat verno tempore et locis montanis collecta, prout circa Naumburgum in Saxonia euulſa radix efficacior viſa eſt illa, quam ager Kilonienſis fert (WEBER et KOCH *Diſſ. de nonnullorum febrifugorum virtute et ſpeciatim Gei vrbani radicis efficacia Kilon.* 1784.). Contrita puluerem pallide rubellum ſiſtit. Aquam vel ſpiritum vini colore obſcure rubro tingit. Aromaticam partem optime ſpiritus vini extrahit. Deſtillatione per aquam facta pauxillum concrementi albidi oleoſi euoluitur (LEWIS *M. m. p.* 190.), et aqua ipſa, quae tranſit, fragrans eſt. Secundum cl. MÜHLENSTEDT (Pharmacopolae Hafn. in Litt. cl. BVCHHAVE d. 11. Octob. 1783. ad me ſcriptis) experimenta multo plus extracti aquoſi elicitur, quam reſinoſi, ſcilicet iſtius, ex radicis vnciis ſedecim, vnciae quinque, huius ex eadem quantitate radicis vnciae tres cum ſcrupulis duobus. Neutrum tamen horum extractorum omnino purum eſt, ſed ex gummoſis et reſinoſis partibus compoſitum. Cl. ANJOU (*Diſſ. de radice Caryophyllatae p.* 34. *ſq.*) contra ea tertia

parte

parte plus extracti reſinoſi, quam aquoſi, ſe eruiſſe refert.

Cereuiſia radice fragrantior fit et ab acore munitur (LINN. *Fl. Svec. n.* 460.). Vulgari adeo experimento cereuiſiae contra acorem inditur (OVELGVN in *Act. nat. cur. Vol.* 5. *p.* 303.).

Vi antiſeptica corticem peruuianum, ſaltim ſecundum experimenta carnibus inſtituta, ſuperat (BVCHHAVE *l. c. p.* 121. *ſqq.*).

Rarius etſi olim adhibita: non caruit tamen ſua laude variis in morbis. Non magni facio efficaciam ſudorem et exanthemata pellendi (LINN. *l. c.*), nec aphrodiſiacam (OVELGVN *l. c.*), nec emmenagogam (GASSER *Obſſ. med. in* WELSCHII *Sylloge p.* 41.), nec alexipharmacum, quae illi adſcribitur. Eſt qui in malignis continuo deliria inde enata dolet (HALLER *Hiſt. ſt. helv. n.* 1130.). Plus omnino fidei meretur, quod proficiat in vlceribus ſcorbuticis, in fiſtulis et gingiuarum laxitate (CRANZ *Mat. med. et chir. P.* 2. *p.* 158.). Adiuuat vſum aliorum antiſcorbuticorum potulentum ex decocto (WERLHOF. *Litt.* in ENGEL. *Specim. med. p.* 164.) vi roborante, praeterea hypochondriis, neruis, ſtomacho amicum. Hiſce effectibus praeſtandis ſymbolam ſine dubio

attulit

attulit virtute ſua antacida (OVELGVN *l. c.*). Nec res noua eſt, conducere eam in dyſenteria ſub finem datam, in qua ipſa pulueris radicis grana triginta vel quadraginta opportuna (SCOPOLI *Fl. carn. Ed.* 1. *p.* 571.). Item iam dudum conſtitit ad febrem intermittentem tollendam facere. Nimirum radicis vncias duas vel herbae integrae manipulum vnum in aquae fontanae vel zythogali libris duabus decoctum, ad quartae partis conſumtionem, aduerſus haſce febres praeſertim tertianas duabus horis ante paroxyſmum vel in ipſo paroxyſmo optimo cum ſucceſſu propinari ſolere, iam ante ſeculum fere notatum (ab Anglo medico HVLSE in RAII *Hiſt. pl. Tom.* 1. *p.* 607.). Alii ſuperioris aetatis medico placuit decoctum vino factum, quod, initio horroris exhibitum, ſudorem mouit, et vna cum hoc promte febrem ſanauit (CHOMEL *Uſuell. Tom.* 2. *p.* 140.).

Sed haecce omnia paſſim conſignata experimenta aliaque, quae ad alios morbos ſpectant, de quorum fide adhuc dubito, non eam tamen ſtirpi celebritatem conciliarunt, quam nouiſſima medicorum Hafnienſium illi pollicebantur, quorum pleraque cl. BVCHHAVE (V. *lib. cit.*) auctorem habent, reliqua cum eo a cll. AASKOW, CALLISEN, BANG,

SCHÖN-

SCHÖNHEYDER et TODE item Chirurgo WALDSTEDT communicata ſunt, et quae caſibus ſingularibus multis enucleatis et ſimplici forma, ſub qua medicina ingeſta, attentionem cuiuslibet medici in ſe conuerterunt. Commendabat eandem praecipue exiguus ſtirpis valor, egenis fauentiſſimus. Pleraque in vi febrifuga confirmanda verſantur. Mirum, ſaepe absque vlla praeuia euacuatione paruulam doſin ſubinde totam morbi vim fregiſſe, non rediiſſe febrem, etiamſi continuatio remedii neglecta, diaetae rigorem requiri nullum (BVCHHAVE *l. c. p.* 19. *ſqq.*). Nec vnquam nocuit. Exhibetur vero radix, ad cl. BVCHHAVE nutum vel in eſſentia, vel in decocto, vel in puluere.

Eſſentia paratur ex radicis vnciis quatuor, quae conciſae et contuſae infunduntur ſpiritus vini Gallici libris duabus, digeſtione per ſex dies in balneo arenae et colatione ſubſequa (*l. c. p.* 31.). Ad debellandam febrem huius eſſentiae vncia dimidia, raro vna, bis ter vel quater intermiſſionis die, opus fuit. Pauci vero et maiores hauſtus certius et efficacius auxilium praebuerunt, quam multa et exigua praebia guttatim capta. — Pro decocto radicis ſiccatae vncia dimidia, drachmae ſex, vel vncia vna, requiritur ad aquae ſimplicis libram vnam et dimidiam

diam, coctam donec libra vna in colatura ſuperſit, ſyrupo communi q. ſ. miſcenda. Si recens radix ſeligitur: eius, vtpote debilioris, vncias tres vel quatuor ſumere oportet. Et ex hac decocti quantitate febris euanuit (*l. c. p.* 25. 31.). — Pulueris drachmae tres, ad ſummum vncia dimidia, vt refert, febrem compeſcunt. — Quibus Electuarium magis placet, hiſce mel ſufficiente copia admixtum ſatisfacit. Quartana diuturna vero maiorem quantitatem, quam reliquae ſpecies, ſibi vindicat (*p.* 26. 32.) Sicque hominibus multiplicis aetatis et conditionis et vtriusque ſexus ſubuenit, imo in febribus autumnalibus et pertinaciſſimis ſpeciebus febris intermittentis, teſtibus Daniae medicis ſignificatis. Etiam Gottingae tentata radix ex voto legitur, ſed paucis exemplis, quorum vnum ſpectat ad tertianam, alterum ad ſemitertianam (ANIOU *Diſſ. cit. p.* 28. 29.).

BVCHHAVII partibus de vi febrifuga radicis praecipue fauent numeroſa cel. WEBER, Prof. Kilonienſis et Reſpondentis eius in conflictu doctorali, cl. KOCH (*Diſſ.* ſupra *cit. inde a p.* 20.) corollaria, quae ſupra ducenta experimenta felicis exitus ex febricitantium numero cenſent. Horum 32 aegri tertianis duplicatis, 48 quartanis, et 1 quintana, reliqui

liqui tertiana ſimplici, decubuerunt. Vndecim a quartana, et 5 a tertiana, corticis peruuiani vim eludente, hac vnice radicis ope liberati ſunt. Fatentur tamen, 52 fuiſſe aegros, quibus non ſuffecit ad debellandam intermittentem febrem, quorum plerique tamen ex cortice peruuiano conualuerunt. Inanis quoque in haud paucis autumno a. 1783. et hieme ſubſequente fuit eius vſus, forte, vt addunt viri cll. dicti, vitio radicis. Et hi quidem puluere ad drachmam ſemis, vel, quod praeſtitit, ad ſcrupulos duos ſiue drachmam vnam ſingulis horis dato, de induſtria acquieuerunt. Non ſuffecit ad febrem omnino tollendam parca BVCHHAVII quantitas drachmarum duarum vel trium, ſed multi ſanati vncia vna ingeſta, plerique ſeſquialtera, interdum duabus, indiguerunt. Fuerunt quartanae et nonnullae etiam tertianae, vnciis modo quatuor vel quinque ſublatae. Ante vſum primis viis, ſi ſordes ſubeſſent, probe proſpectum fuit; praeſentibus viſcerum obſtructionibus, hiſce reſerandis etiam in anteceſſum opera data eſt. Securius multo vero radix haecce in febribus, praeſertim quartanis, cum obſtructione hepatis copulatis, exhibita fuit, quam cortex peruuianus. Laruatarum febrium, iſta radice ſanatarum, duo exempla exſtiterunt.

Dolen-

Dolendum, haec non parum differre ab euentu experimentorum, in Suecia ſecundum normam cl. BVCHHAVE a. 1781. captorum. Plura huius generis narrat fuſius cl. LVND (in *Vecko-ſkrift för Läkare och Naturforſkare Vol.* 3. inde *a. p.* 161.). Plerique ſcil. aegrorum eius curae commiſſorum non neglectis etſi euacuantibus vomitu remedium reiecerunt, ſaltim nauſeam inde paſſi ſunt, nemo inde febre, certe non autumnali, liber euaſit, quam tamen cortex peruuianus, eius in vicem exhibitus, deuicit. Non multo mitius eſt cl. BRANDELII (*l. c. p.* 173. *ſq.*) iudicium, qui inter triginta ſupraque caſus, in quibus hocce Geum tentauit, queritur, quater modo ſibi ſucceſſiſſe et quidem in febre autumnali; quod aliquando poſtea febri vernali ſuffecerit: benigniori huius naturae adſcribit, cuius beneficio ſponte ſubinde ſileat. Vterque tamen radicem ipſam tam quoad tempus collectionis quam praeparationem labe omni caruiſſe aſſeuerat. Eodem tendunt querelae, ſed paucis modo exemplis nixae, cll. CHRISTOPHERSON (*l. c. p.* 188.) et BARFOTH. Teſtes accedunt litteris ad me datis pereximii viri AB ACREL et DALBERG, ſub ea experimentorum opportunitate, quam hiems a. 1780. et 1781. Stockholmiae exhibuit, Geum effectum ſperatum non praeſtitiſſe. Noui quoque varia in ipſa

Dania mota fuiſſe clmo. BVCHHAVE contra efficaciam ſtirpis dubia, quorum quaedam in cel. TODE periodico opere (*Sundhets tidningar*) comprehenduntur: ſed neque de hiſce, vtpote a me non lectis, nec de reſponſionibus cl. BVCHHAVE ad eadem iudicare poſſum. Eadem de cauſa ſilentio praetereo, quae in Kilonienſi diario litterario (*Kieliſch. Litteraturjournal* 1781, *n.* 4. *p.* 359.) in laudem eius proferri dicuntur. Ipſe vero cl. vir ſerius per litteras ſtrenue in vſu eiusdem ſe pergere mihi declarauit, licet non diffiteatur, poſtea tertianas et quartanas quasdam ſibi obueniſſe, quae maiores et iteratas doſes exegerunt, alias, et contra corticem peruuianum et radicem Gei immorigeras, nonniſi interpoſitis reſoluentibus et euacuantibus Geo tandem obſequutas fuiſſe. Reliquas eius virtutes ab eo vel nouiter recenſitas, vel vlterius confirmatas ex noua potius editione libri eius, quam molitur, cognoſcere, quam ex litteris, lectorum intererit.

Quum igitur vis febrifuga radicis nondum omni dubio careat, de modo, quo illam radix exſerat, diſpicere intempeſtiuum videtur. Qui eandem defendit cl. BVCHHAVE, ab adſtringente et amara indole vnice illam dependere ideo dubitat, quoniam iuncta haecce vis in aliis remediis tanta non patrat. Praeci-

Praecipuam in neruos potentiam exſerere, illi perſuadet huius virtutis diſpendium ſiccatione praecipiti et iuſto fortiori factum, item velox eſſentiae effectus, quae ſcilicet hora ante paroxyſmum exhibita, frigus ita aliquando praeoccupat, vt vel nulla febris, vel mitis modo calor, inſequatur (BVCHHAVE *l. c. p.* 19.).

In morbis variis praeterea, in quibus, prae infirmitate fibrarum, vitioſae excretiones contingunt, Geum hocce commendabile eſt. Diarrhoea et dyſenteria ex hoc numero ſunt, fluor albus, etiam haemorrhagiae ex variis viis, vtero, ventriculo, vrinariis. Spaſticis et hyſtericis affectionibus, colicae flatulentae, quin tuſſi conuulſiuae, medelam pariter attulit. Commemorandum et robur, quod febribus acutis ſuperatis ſubminiſtrat, et quo vires deiectas breui erigit. (Conf. de his BVCHHAVE *l. c. p.* 27. et caſus ſparſi) Diarrhoeae chronicae mirifice Geo leuatae exemplum recenſet cl. ANJOU (*Diſſ. cit. p.* 29. *obſ.* 2.), qui ſtudioſe congeſſit vires, quas alii auctores de hac radice vel vere explorarunt, vel exploraſſe ſibi viſi ſunt. Efficaciam ad haemorrhagias vteri ſiſtendas et ſua et cl. TRENDELENBVRG experientia confirmauit cl. WEBER (*Diſſ. cit. p.* 24.). Idem etiam iuvenis meminit, qui fluxu geniturae per

annum laborans, aliis ceterum congruis fruſtra tentatis, puluere radicis et infuſo eius ex vino rubro Gallico ſanatus fuit. Prout illi vero radix variis a BVCHHAVIO ſignificatis morbis non ſucceſſit: ita nec eadem diarrhoeam colliquatiuam neque diarrhoeas chronicas ex debilitate exortas coërcere valuit (*l. c. p.* 25.).

354.

Pharm. GEI RIVALIS *Radix.*

Geum riuale; floribus nutantibus, fructu oblongo, ariſtis plumoſis tortis. LINN. *Syſt. veg. p.* 399. Caryophyllata aquatica nutante flore. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 722. Pl. perennis, creſcens in pratis ſubhumidis et paludoſis copioſiſſime.

RADIX fuſca vel rufa, cylindrica, craſſitie pennae anſerinae, ſubinde ſupra ramoſa, palmaris et vltra, emittens infra fibras filiformes. Inodora quidem, ſed ad guſtum auſtera. Radicis ſiccae vncia vna erogat extracti aquoſi drachmas tres et dimidiam, et extracti ſpirituoſi drachmas duas; quod vtrumque ſalinum et auſterum ſaporem imprimit (BERGIVS in *Vet. Acad. Handl. Vol.* 18. *p.* 121.). Vix vltra Sueuiam officinas pharmaceuticas hactenus intrauit.

Anſam

Anſam illam tentandi ibidem primum dederunt KALMII (vid. e. c. *Reſa til Norra-America T. 2. p. 463.*) narrationes de vſu eiusdem apud Americanos ſeptentrionales, nominatim in Prouincia Noueboracenſi in febribus intermittentibus eximio. Et hi quidem vel puluere vtuntur, vel illam aqua coquunt, vel aqua frigida modo infundunt, vel ſpiritu vini. Tantamque auctoritatem apud illos ſibi conciliauit, vt ipſa Chinchina eam efficaciorem pronuncient. Vtinam ita eſſet; aſt in magnis iam honeſtum eſt, in inferiori quodam gradu conſiſtere.

Ita non poenituit cel. BERGIVM (*Vet. Acad. Handl. l. c.*), in examinanda huius Gei vi pro virili laboraſſe. Experimentorum adeo in triginta et vno aegris ſuſceptorum iam a. 1757. copiam nobis fecit. Ex hiſce elicitur, tam in tertiana febre, quam, natura ſua obſtinatioribus, quotidiana et quartana, profuiſſe (*Caſ.* 10. *ad* 20.). Plus tamen efficit in intermittentibus vernalibus. Quin ſunt, in quibus radix, etiamſi ad vncias quinque data, nihil opis praeſtat et ad corticem peruuianum confugere opus eſt (*Caſ.* 2. *ad* 9.). Praecedere autem debet corporis iuſta per reſoluentia et commoda euacuantia praeparatio, ne tumor abdominis oedema pedum vel dolor corporis vagus incidant.

 Inter-

Interdum vero radix oedema pedum, vi febris iam enatum, diſſipat (*Caſ.* 3. 14. 20.).

In aliis quoque morbis illa efficaciae non ſpernendae eſt, ſcilicet in diarrhoeis diuturnis emaciantibus corpus et alio modo difficilibus (*Caſ.* 22. 23. 24. *et* 27.), in haemorrhagia vteri (*Caſ.* 28. 29. 30.), in haemorrhoidibus nimiis (*Caſ.* 31.) et labe varia ventriculi ex laxitate eius oriunda (*Caſ.* 25. 26.). Eſt vero, qui extractum radicis diarrhoeae leuiori ſufficere expertus eſt, non vero dyſenteriae (HEVERMANN *Bemerk. B.* 1. *p.* 215.).

Capitur radix contra febres intermittentes vel in puluere ad ſcrupulos duos aliquoties de die, cui pluries admiſtus tartarus tartariſatus vel Rheum, vel in decocto, vel in bolo, vel in electuario cum Robe Sambuci parato. Extracti quoque frequens vſus eſt ſub dicta varia miſcela.

In reliquis recenſitis morbis, pro eorum diuerſa natura, alia quaedam addere conuenit, e. gr. in alui profluuio Rheum, in haemorrhagia vteri blandum opiatum vel corticem Aurantiorum, vt taceam reliqua, quae cuiuslibet ingenium pro conditione aegri varia facile ſubminiſtrat.

Mirum,

Mirum, poſt tot praeconia et vſum in Suecia, dum ante bis denos annos ibidem degerem, creberrimum, radicem iam in neutro nouiſſimorum indicum pharmaceuticorum Sueciae comparere.

POTENTILLA

LINN. *Syſt. veg. p.* 396. *Gen. pl. p.* 255.

355.

Pharm. ANSERINAE vulgo v. ARGENTINAE Ph. Ed. *Herba.*

Potentilla Anſerina; foliis pinnatis ſerratis, caule repente, pedunculis vnifloris. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Potentilla. C. B. Argentina. DODON. *pempt. p.* 600. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 544. REGNAVLT *Botan.* L'Argentine. Pl. perennis, vulgatiſſima ad vias et locis humectis.

Folia in ſolo argilloſo ſericea ſunt, in arenoſo viridia.

HERBA huius, vt totius familiae, dum ſicca, adſtringit. Praeter ſaporem de hac id edocet nigredo, quam ſolutioni vitrioli martis impertit. Attamen in Scotia et Hibernia ſeptentrionali radix

 in

in cibum vertitur (SLOANE *Voyage Vol.* 1. *Introduction p.* 21.). In tanto numero adſtringentium potentiorum ſenſim deſueuit. Non defraudanda tamen ſuo merito in coërcendis alui profluuiis, a laxitate inteſtinorum oriundis. In fluore albo de miris adeo effectibus a ſe ab iſta cum iuſculo cancrorum cocta perceptis loquitur TOVRNEFORTIVS (*Hiſt. de pl. de Paris T.* 1. *p.* 56.). Siſtere haemorrhagias internas, vulgare ſolet adſtringentium eſſe praeconium, in plerisque tamen caſibus me iudice ambiguum; conſequenter et huius. Succum eius expreſſum tamen linteo complicato exceptum et fronti applicatum ſanguinis ex naribus ſtillicidium ſiſtere, auctor eſt VOGELIVS (*Mat. med. p.* 55.); anne frigoris vnice efficacia, vt gelida aqua experimur? Memorabile exemplum phthiſeos pulmonum exulceratae, decocti Anſerinae libris duabus quotidie ebibitis curatae, huc omnino pertinet. Laborauit illa vir quadragenarius fere, poſt praeuiam pectoris inflammationem multum puris ſub febre emaciatione et ſudoribus exſcreans, et extrinſecus inſuper inter coſtam quartam quintamque tumorem concipiens. Et ſic iam tredecim hebdomades praeterierant, donec ROSENSTEINIO ſuadente decoctum herbae ingereret, eo ſucceſſu, vt tumor lateris ſenſim decreſceret, ſputa ceſſarent vna cum febre et reli-

quis

quis malis, et aeger inter quinque hebdomades perfecte ſanitatem et vires recuperaret. Nonniſi vnicus hicce tam felicis euentus caſus in noſocomio Stockholmienſi generoſſiſſimo Equiti AB ACREL (*chirurg. Händelſer p.* 227. *ſqq.*) occurrit. Addendum igitur, cel. BERGIVM (*Mat. med. p.* 442.) multum auxilii ex ſucco expreſſo et infuſo herbae in empyemate obſeruaſſe, ſub quibus momentis et apud quot aegros, non adiicit.

Quomodo in vniuerſum commodiſſime Herba exhibeatur ex dictis ſatis apparebit.

PRAEPARATVM.

AQVA ARGENTINAE ſ. ANSERINAE. *Ph. W. p.* 6. Iners.

356.

Pharm. PENTAPHYLLI *Radix*; *Herba.*

Potentilla reptans; foliis quinatis, caule repente, pedunculis vnifloris. LINN. *Syſt. veg. p.* 398. Quinquefolium maius repens. C. B. icon: REGNAVLT *Botan.* La Quinte-feuille. Pl. perennis, ad vias creberrima.

Haec quoque obſoleta in tanto adſtringentium numero, quem et merito ob ſaporem et nigredinem, qua ſolutionem vitrioli martis tingit, item ob vires, auget.

RADIX fibras multas conſtituit, calamum craſſas, longas, ſimplices, vel parce ramoſas, epidermide rubro fuſca, carne albida. Medulla lignoſa, et auſteritate et amaritie, corticali parte cum epidermide deglubenda imbecillior eſt. Febres intermittentes radice fugari poſſe, expertus iam eſt HIPPOCRATES (*de morb. l.* 2. *p.* 473. FOËS.). Nec ſequentibus temporibus in contemtu habita contra haſce febres neque a medicis neque a plebe variis in locis (V. RAII *Hiſt. pl. Tom.* 1. *p.* 610.). Pondus haud leue accedit teſtimonio ill. SENAC (*de recond. febr. interm. nat. p.* 185.), vt tamen dubium ſuper-

ſuperſit, vtrum ille radicem, an herbam, intellexerit. Contumaces vero abegiſſe febres Pentaphyllum ſignificat, diſſuadens tamen ab vſu adſtringentium pro hoc ſcopo in vniuerſum, ne partes veneno febrili (ita vocat id, quod alii materiam febrilem dicunt, de cuius praeſentia diſputare etiamnum datur) infectas conſtringant, et altius infixum remanere cogant.

In diarrhoea et dyſenteria quoque ſubinde vſurpata radix cum ſucceſſu, etiam tum, quando euacuatio per Ipecacuanham non ſuffecit (CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 296.*).

Pro gargariſmate decoctum eius inſeruit, quando adſtringentibus leniter, ad reſolutionem adiuuandam vel putredinem corrigendam, opus eſt.

Vſui interno vel puluis vel decoctum commodam formam ſuppeditat.

FOLIA virtute ſupparia, ſed debiliora.

TORMEN-

TORMENTILLA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 399. *Gen. pl. p.* 256.

357.

Pharm. TORMENTILLAE *Radix.*

Tormentilla erecta; caule erectiuſculo, foliis ſeſſilibus. LINN. *Spec. pl. p.* 716. Tormentilla ſylueſtris. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 589. REGNAVLT *Botan.* La Tormentille. Pl. perennis, in ſyluis et paſcuis ſterilibus non rara.

RADIX conica, ſubinde ſubrotunda, extrinſecus fuſca, interne rubicunda, odoris omnino expers, ſaporis ſtyptici et ſubaromatici. Aquae aeque ac ſpiritui vini adſtringentes partes impertit, huic abundantius. Infuſa colorem rubrum adſciſcunt. Aqua cum illa deſtillata odorem ſaporemque roſaceum habet (NEVM. *Chem. B.* 2. *Th.* 4. *p.* 485.).

Tam vero adſtringens eſt radix, vt ad coria denſanda in inſulis Feroenſibus (BARTHOL. *med. Danor. dom. p.* 23. item EJVSD. *act. Hafn. Vol.* 1. *p.* 88.), nec non orcadibus (MARTIN *weſtern Islands p.* 355.), adhibeatur, quin per iſtam firmiora euadant, quam vulgo per corticem Quercus fit (*Muſ. ruſt. Vol.* 3. *n.* 3. *p.* 51.).

Tanto

Tanto igitur maiori prudentia aegris exhibere illam conuenit, quibus in laxitate varia fibrarum et tenuitate liquidorum ſuccurrere poteſt. Valet haec admonitio de adminiſtratione in dyſenteria, quae nonniſi poſt ſollicitas euacuationes locum habet. In iis quoque haemorrhagiis, quae a reſolutione ſanguinis proueniunt, auxilium ſpondet. Sic in Belgio ad haematuriam pecorum ſiſtendam a ruſticis adhibetur (GORTER in LINN. *Fl. Suec. p.* 459.). Circumforanei ſaepe hac radice intempeſtiue febres intermittentes ſuffocant (LÖSECKE *ausel. Arzneym. p.* 467.). In puluere ad ſcrupulos duos ſupraque vel in decocto vel extracto ſumitur.

In vuulae porro relaxatione, dentibus cum cruentatione vacillantibus et in varii generis prolapſibus externa applicatio locum habet. Valuit et ad vlcera antiqua conſolidanda et quidem ita, vt decoctum pluribus diebus mane propinaretur, eodemque ſubinde vlcera abluerentur, dein emplaſtro triapharmaco tegenda (VESAL. *Rad. Chin. vſus p.* 18.*b.*).

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM TORMENTILLAE. *Ph. W. p.* 90. aqua paratur. Vis ſupra iam definita.

FRAGA-

FRAGARIA

LINN. *Syſt. veg. p.* 396. *Gen. pl. p.* 255. 358.

Pharm. FRAGARIAE *Baccae; Herba; Radix.*

Fragaria veſca; flagellis reptantibus. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Fragaria vulgaris. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Fraiſier. Conf. DV HAMEL DE MONCEAV *Traité des arbres fruitiers Tom.* I. *p.* 224. et Figura ſub nomine *Fraiſier commun.* Pl. perennis, in campis ſylueſtribus apricis per ſingulas quatuor mundi partes frequens.

BACCAE. Hoc nomine intelligitur receptaculum ſuccoſum, ſubrotundum, molle, quod in ſuperficie ſemina gerit, delapſis petalis increſcit et ſenſim edule fit. Maturatione adſciſcit ſaporem acido dulcem, vinoſum, odorem gratum ſpecificum, laetam rubedinem, et nexu cum calyce ſuo ſoluitur. Quae cultura adiuta in hortis ſeruantur fraga (de quorum multiplici varietate et cultura v. DV CHESNE *Hiſtoire naturelle des Fraiſiers et* DV HAMEL *l. c.* vbi pleraeque quoque depinguntur) maiora quidem ſunt et ſuccoſiora, gratia tamen tam ſaporis quam odoris ſponte prouenientibus poſtponenda. Cupediarum

rum ſpeciem vſitatiſſimam per aeſtatem conſtituunt, quae ſimul humectant, diluunt, ſitim exſtinguunt, refrigerant, leuiter reſoluunt et putredinem humorum coërcent, appetitum cient, renes expurgant. Nec diſplicent, nec nocent, etiamſi magna copia ingeſta. Hi modo qui acidulas potant, veſperi fraga ingerentes mane alui laxitatem experiuntur, quae vitari debet, ne vi acidularum benefica deſtituantur. Aliis aluum non ſoluunt, niſi large ingeſta. Non aduerſantur ſalutari eorum naturae exempla quaedam ſingularia hominum, qui inde exanthemata varia, eryſipelatoſa (GRÜNDEL. *in Eph. nat. cur. ann.* 5. *Obſ.* 214. *p.* 439.) vel petechialia (V. exempla duo in Suecia obuia in LINN. *Diſſ. de Fraga veſca p.* 8.), vrticata (GRVNERI *Progr. de febre vrticata a cancris fluiatilibus et Fragar. veſcae fructu, Ien.* 1774.), aliaue (V. *Eph. nat. cur. cit.*) totius corporis tumorem (VIRIDET *bon chyle p.* 141.), deliquia animi (HILDAN. *Cent.* 5. *Obſ.* 38.), febrem tertianam, contraxerunt; quum haecce incommoda nonniſi diatheſi corporis peculiari originem ſuam debeant. Nec aliter explicari poteſt, quod copioſius ingeſta caput tentare et inebriare dicantur (CAESALP. *de plantis p.* 554.).

Sed praeter dicta commoda, quae ſub cibario vſu praeſtant, manifeſtius in morbis quibusdam effica-

efficaciam ſuam medicam demonſtrant. Nempe liberalius ingeſta aliquando eximie profuerunt, quin reſtituerunt omnino valetudinem hecticis et phthiſicis in deſperato adeo caſu (SCHVLZ *Diſſ. de fruct. horaeis p.* 13. *ſq.*). Quae fortuna et contigit iuueni, cuius vires fere omnino ex nimio ſcreatu et febre cum macie conſumtae, fragis hortenſibus lente comeſtis, adeo vt intra duos menſes ſanitatem recuperaret (HOFFM. *med. ſyſt. T.* 4. *P.* 4. *p.* 330.). Diluendo et refrigerando item vi antiſeptica tantam virtutem exſerunt.

Furentiſſimi ex melancholia maniaci fragis vel ceraſis, ad viginti et vltra libras per aliquot hebdomades ſumtis, reſipuerunt (SWIETEN *Comment. T.* 3. *p.* 480.), quod ipſum non ſolum reſoluendo, ſed diarrhoea ex tanta copia horum fructuum enata, praeſtiterunt.

Soluunt tartarum dentium tam efficaciter, vt hi ipſi intra quatuordecim dies hocce cortice omnino exuantur (LINN. *Diſſ. cit. p.* 11.). Non multum differre ab hac materia iſta videtur, quae in arthritide prouecta nodos generat. Quam vero cognationem vlterius proſequi non opus eſt, quum ipſa experientia confirmatum, quantum in arthritide et

podagra

podagra valeant. Conſtat id praecipue auxilio, quod ſummo LINNEO, olim podagrico, attulerunt, illudque praeſentaneum, et, poſtquam per quinque annos quauis aeſtate ad illud rediret, conſtans; quod exemplum et multos alios in Suecia ad fragorum vſum in eodem malo ſimili ſucceſſu excitauit (*Diſſ. cit.* §. 6.).

In affini morbo, calculo vrinario, item varia forma proficua ſunt. Calculus granorum duorum frigide cum ſucco fragorum digeſtus intra viginti dies et mollior et dimidio pondere leuior euaſit (LOBB *de diſſolv. calcul. p.* 36. *Exper.* 26.). Calculus alius in ſpiritu fragorum, cui ſaccharum additum, retentus in duo fragmenta quidem tactu diſſiluit, ſed dura (*Exper.* 27.). Alius ſpiritu fragorum, aqua diluto, adiuuante calida digeſtione, valde emollitus apparuit (*Exp.* 28.). Licet, ex LOBBII experimento (*Exp.* 27.) cum calculo, ſpiritu vini vim fragorum calculum ſoluendi impediri videatur: impenſius tamen commendat C. GESNERVS (*Epiſt. p.* 926.) liquorem ex fragis cum ſpiritu vini maceratis expreſſum, ad cochleare mane ſumendum, nixus ſolatio, quod quidam per viginti annos calculoſi inde experti ſunt. In feminibus potiorem vim quaeſivit BOERHAAVIVS (*Hiſt. pl. hort.*

Lugd. bat. p. 62.), quae ipſa exſiccata ad drachmam vnam vel duas mane ex vino albo hauriri iuſſit.

Sed praeſtat in hiſce omnibus morbis ſimpliciſſimus fraga ingerendi modus, nempe ſola vel cum ſaccharo. Pro eſca addito vino vel aromate gratiora fiunt. Concedi et poteſt connubium lactis, modo ventriculus id ferat.

FOLIIS et RADICE carere poſſumus, quae vtraque pars adſtringentis quidem naturae eſt, ſed in deſuetudinem abiit. Folia Theae ſuccedaneum commodum cenſentur (*Wittenb. Wochenblatt* 1769.). Herba recenti contuſa et applicata vetuſta vlcera pedum coaluerunt (NEBEL in *Eph. nat. cur. Dec.* 3. *ann.* 3. *Obſ.* 80. *p.* 116.). Radix aqua decocta hanc rubro colore tingit, qui ipſe et in foecibus conſpicitur.

PRAEPARATA.

AQVA FRAGORVM. *Ph. Würt. p.* 7. E baccis cum aqua deſtillatis. Fragrans eſt, hinc ſubinde, ſed rarius pro excipiente analeptico mixturis inſeruit.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 211. Ex ſucco fragorum et ſaccharo. Fragrans, gratus. Rari vſus.

AGRIMO-

AGRIMONIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 372. *Gen. pl. p.* 241.

359.

Pharm. AGRIMONIAE *Herba.*

Agrimonia Eupatoria; foliis caulinis pinnatis impari petiolato, fructibus hiſpidis. LINN. *Spec. pl. p.* 643. Eupatorium veterum ſ. Agrimonia. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 588. REGNAVLT *Botan.* l'Aigremoine. I. MILL. *Illuſtr. ſyſt. ſex.* Pl. perennis, crebra in pratis apricis, ad ſepes et vias.

HERBAE recentis odor aromaticus, ſiccae vix vllus, ſed ſapor amaricans ſubauſterus. Tam aqua quam ſpiritus vini efficaces eiusdem partes extrahit. Solutio vitrioli martis in infuſi aquoſi miſcela ſubito nigreſcit. Deſtillatione herbae cum aqua tantillum olei eſſentialis flauentis aſcendit, odorem herbae gratum aemulantis (LEWIS *experim. Hiſt. of the M. m. p.* 25.).

In obſtructionibus viſcerum, nominatim hepatis, reſerandis multi illam depraedicant. Inter hoſce CHOMELIVS (*Uſuelles T.* 2. *p.* 165.), qui infuſo eiusdem theaeformi vna cum emplaſtro de Ci-

cuta duos homines ab induratione hepatis liberauit. Dabo, et ad detergenda vlcera interna non ſpernendam eſſe, quum in externis, ſi ſinuoſa ſunt, iniectiones decocti proficuae nec hodie in miſcela melis Roſarum inſuetae ſint, alias epithemata eo madida. Gargariſmis etiamnum decoctum inſeruit. Ad inflationes ſcroti et teſtium commendant Agrimoniam varii; ſic FORESTVS (*Obſſ. Lib.* 27. *p.* 593.) medici meminit, qui eam decoctam in aceto vel vino, et contuſam, eo fine adhibuit. Fateor ſuſpectas mihi eius laudes in haemorrhagiis videri et in pluribus aliis morbis, quorum nomina tanta volubilitate auctores de materia medica ſignificant. Addo modo, nouiſſime efficaciae eius in inueterata ſcabie tam ſicca quam humida duo exempla eſſe propoſita (BECKER *Diſſ. de Eupatorio Graecorum ſ. Agrimoniae viribus, Erf.* 1783.). Propinatum ſcilicet infuſum eius theaeforme cum Glycyrrhiza bis de die ad aliquot patellas. Miror vero, quod diuturnum malum et contra tot alia immorigerum vno caſu, in quo annoſum fuit, intra paucos dies diſparuerit, altero intra quindecim dies. Tentatur et in Curonia in rheumatiſmis inueteratis, herpete et aliis morbis cutaneis (*l. c.*).

ALCHE-

ALCHEMILLA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 139. *Gen. pl. p.* 64. 360.

Pharm. ALCHEMILLAE *Herba.*

Alchemilla vulgaris; foliis lobatis. LINN. *Spec. pl. p.* 178. Alchemilla vulgaris. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 693. REGNAVLT *Botanique*, le Pied de Lion. Pl. perennis, creſcens in paſcuis ſiccioribus.

HERBA inodora, ſubauſtera. Infuſum vel decoctum eius vitriolo martis nigreſcit. Radix magis auſtera, quam herba. Cum aqua pariter ac ſpiritu vini vires ſuas communicat. Extractum ſpirituoſum minus quidem pondere ſed fortius eſt. Errant, qui illam ad fortiora adſtringentia referunt. Et hanc vt alia adſtringentia prodigis laudibus in haemorrhagiis, alui profluuiis, fluore albo, vulneribus ſanandis, cumularunt. Virginitatem adeo reſtituere et mammas flaccidas firmiores reddere poſſe credulis viſa; quam vim ſophiſticantis nomine indicat LINNEVS (*M. m. p.* 53.).

Recentius inclaruit tanquam remedium efficax in morbo ſpaſmodico epidemico. Epidemia nimi-

rum a. 1754. graſſante, ruſticis Smolandis tinctura foliorum prae reliquis omnibus opem deſideratam praeſtitit, vnde et ſtirps, *Drâgblad*, a morbo, *Dragſjuka*, quod nomen morbum ſpaſticum bene exprimit, nuncupata (LINN. *Amoen. acad. Vol.* 6. *p.* 447.). Quum ante aliquot annos idem malum in ducatu Cellenſi incideret, tentata pariter Alchemilla, et quidem in infuſo, tinctura, extracto, nec ſine ſucceſſu caſibus mitioribus, in quibus ſpaſmus modo digitos manuum vel pedum corripuit. Grauiori autem malo neque ſic ſubuenit, neque in connubio cum Laudano liquido Sydenhami vel ſpiritu vitrioli. Id tamen commodi incuruatis iam articulis manuum vel cubitis poſt vſum per aliquot menſes continuatum attulit, quod malum non ingraueſceret (TAVBE: in *Deutſch. Schrift. d. Gött. Societ. d. Wiſſ.* 1. *B. p.* 170. *ſq.* item EIVS *Geſch. d. Kriebelkrankheit p.* 200.).

RVBVS.

R V B V S.

LINN. *Syſt. veg. p.* 395. *Gen. pl. p.* 254.
361.

Pharm. RVBI IDAEI *Baccae.*

Rubus idaeus; foliis quinato-pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis. LINN. *Spec. pl. p.* 706. Rubus idaeus ſpinoſus. C. B. Icon: DV HAMEL *Arbres T.* 2. *p.* 232. *Tab. n.* 9. *Fruit. T.* 2. *p.* 255. *Tab.* 1. Frutex, in dumetis et ſyluis caeduis frequens.

Sermo hic vnice eſt de varietate fructu rubro. Baccae formant corpus fere hemiſphaericum, ſurſum conuexum deorſum concauum, quod ex multis acinis ſubrotundis inter ſe leui nexu iunctis, conſtat, quorum quilibet ſemen durum includit. Saporem habent acido-dulcem, odorem grate fragrantem. Succus, quem vehunt, iucunde ruber eſt.

Plures hoc genus complectitur ſpecies, quarum fructus palato placet. Potiores hoc nomine ſunt, praeter dictam, Rubus arcticus et Chamaemorus; ſed et eſitantur baccae Rubi caeſii, fruticoſi, occidentalis, ſaxatilis, quibus ipſis defectus

 fructuum

fructuum variorum gratorum, quos auſtrales Europae regiones offerunt, malorum armeniacorum, perſicorum, vuarum, in ſeptentrionalibus reſarcit benefica natura. Moleſtae ſunt Rubi idaei baccae vermiculis, qui cauum earum occupare ſolent. Et licet primum ſapore arrideant, non tanta copia absque faſtidio et torminibus et diarrhoea ferri poſſunt, ac fraga. Quae generatim de fragorum virtute ſupra indicaui pertinent ad haſce quoque baccas et fructus horaeos quoscunque. Hinc et in febribus acutis ſaccharo varie nupta egregie conferunt. Ob fragrantem odorem inſuper neruos reficiunt. Menſae ſecundae ſaccharo conditae imponuntur, item tam ex hiſce, quam ex ſucco cum ſaccharo cocto grata fercula parat ars coquinaria. Vinum et praebent baccae fermentatione ſucci; item cum melle, hydromellis ſpeciem (KALMII *Diſſ. om nyttan af Hallon i huſhållningen p. 7. ſq.*).

PRAEPARATA.

AQVA RVBI IDAEI. *Pharm. pleraeque.* Grate odora et ſapida; hinc vulgare excipiens ſalium in mixturis et ſeminum in emulſionibus.

ROB. *Ph. Würt. p.* 163. Ex ſucco expreſſo et ſacchari quarta parte in mellis denſitatem coctis.

Vis

Vis egregia in acutis febribus ex ſuperioribus diiudicari poteſt. Commode in hiſce febribus hoc et ſimiles aliae ſpecies Robis, Ceraſorum, Berberum, Ribium, ſubſtituuntur Oxymelli ſimplici, ſi absque faſtidio vel torminibus mellita ferri nequeunt.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 217. Ex ſucco et ſaccharo iuſta proportione mixtis. Gratiſſimus, hinc idem ac Robis in mixturis ſalinis et julepiis connubium.

CONDITVM. *Ph. W. p.* 37.

VINVM. *Ph. W. p.* 237. Neutrum medica efficacia claret.

362.

Pharm. BACCAE NORLANDICAE (LINN. *Mat. med. p.* 130.).

Rubus arcticus; foliis ternatis, caule inermi vnifloro. LINN. *Spec. pl. p.* 395. Deſcribitur vberius in RVDBECKII et KELLANDRI *Diſſ. de Rubo humili fragariae folio. Upſal.* 1716. 8. *c. figura,* quae omnium prima eſt. Conf. Rubus caule vnifloro, foliis ternatis. LINN. *Flor. Lapp. p.* 162. *Tab.* 5. *fig.* 2. *Flor. Suec. n.* 448. Notanda et icon ele-

 gans

gans in *Flor. Dan. Tab.* 488. Planta perennis arctica, creſcens in Lapponia, Norrlandia, Finnia, Sibiria, Canada in paſcuis.

Extra ſolum natale ſi colatur, opus eſt, plantas vtprimum terra gelu riguit, muſco obtegere et primo vere ramuſculos abietinos ſuperimponere, quo iſtae contra gelu vernale muniantur. Haec tegmina dein niue liquefacta auferantur. Sic in areis hortorum aeque facile haec ſtirps, ac Fragaria propagatur (LINN. *Vet. Acad. Handl.* 1762. *p.* 192. *ſq.*). Coli vero arte quam maxime ſuadet BACCARVM ſapor delicatus.

Hae (Suecis *Åkerbär*) atropurpurae ſunt, receptaculo arcte adhaerentes, nec deciduae. LINNEO iudice fructuum Europaeorum omnium ſapidiſſimae ſunt, acidulo vinoſae, odoris pariter gratia maxime commendabiles. Crudas et ſuccoſas nunquam guſtaui. Ill. praeceptor autem haud ſine voluptatis ſenſu memorat, ſe in itineribus per Sueciam borealem viribus fere exhauſtum creberrime ſucco vinoſo harum baccarum fuiſſe refocillatum. Siccas acidulas ſubadſtringentes haud ſine admixto aromate inueni. Ex prouinciis borealibus Sueciae ſaccharo, Rubi idaei baccarum inſtar, conditae ad auſtrales

trans-

transferuntur, et inſtar acetarii, item in menſa ſecunda vel in placentulis, eduntur. Vinum quoque ex baccis ſuccoſis redundat, omnibus artificialibus facile praeferendum, ſola infuſione cum vino ex vuis. In defectu baccarum ſuccoſarum ſiccae vſurpari poſſunt, vnde vinum aromate ſuo non diſplicens. In vrbe Irkutſk ſapidiſſimum paratur vinum ex melle aqua ſoluto et, poſtquam hoc fermenti ope ſubierit fermentationem, addito ſucco baccarum; accedente tum noua fermentatione vinum hocce ampullis inditur (GEORGII *Reiſen T.* 1. *p.* 218.).

Ex dictis ſponte apparet, nec ex foro medico eſſe excludendas. Humectare, refrigerare, reficere neruos, febribus putridis, exanthematicis, ſcorbuto ſubuenire, lubenter LINNEO (*Mat. med. p.* 130.) creditur. Nec immerito baccae conditae, ſyrupusque earum, gratiae cauſae et ob analepticam vim in morbis, potulentis, mixturis, electuariis adduntur (V. ROSENSTEIN *om Barnſjukd. e. gr. p.* 56. 135. 199.).

363.

Pharm. CHAMAEMORI *Baccae.*

Rubus Chamaemorus; foliis ſimplicibus lobatis, caule inermi vnifloro. LINN. *Spec. pl. p.* 708. Chamaemorus foliis ribes. C. B. Conf. Rubus caule vnifolio et vnifloro, foliis ſimplicibus. LINN. *Flor. Lapp. n.* 208. *Tab.* 5. *fig.* 1. *Flor. Suec. n.* 449. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 1. Pl. perennis, in Sueciae, Noruegiae, Roſſiae, paludibus turfoſis crebra.

BACCAE (Suecis *Hjortron*) nondum ſatis maturae pallide rubrae et acidulae; poſt maturationem autem flauae, Ceraſi maioris magnitudine, molles, deciduae, vix acidae, ſed aquoſae, acinis grandioribus, piſum fere referentibus. Non diſplicent poſt maturitatem decerptae. Vt vero in ſua integritate ſeruentur, quando natura erogare illas recuſat, Lappones in niue alpium eas per hiemem defodiunt (LINN. *Fl. Lap. p.* 167.), Roſſi autem immaturis aquam infundunt (GEORGII *Reiſen T.* 1. *p.* 218.). Ex Weſtrobothnia copioſiſſime autumno Stockholmiam naui intra vaſa lignea transmittuntur conditae; et quidem ſic, vt perfecte maturae coquantur et in brodium inde enatum baccae ſubmaturae

absque

abſque vlteriori coctione immittantur. Sic, ſaccharo conſperſae bellarium conſtituunt feruente aeſtate grate refrigerans et ſitim exſtinguens. Proficuae quoque phthiſicis, haemoptoicis (LINN. *Fl. Suec. l. c.*). In Noruegia ad ſatietatem comeſtae, vel crudae vel conditae ſcorbutum adeo conſummatum coërcent, vt ibidem pro panacea huius morbi habeatur (TH. BARTHOL. *med. Danor. domeſt. p.* 30. 106.).

ROSA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 393. *Gen. pl. p.* 254.

364.

Pharm. ROSAE DAMASCENAE vulgo, v. PALLIDAE Ph. Ed. *Flores.*

Roſa centifolia; germinibus ouatis pedunculisque hiſpidis, caule hiſpido aculeato, petiolis inermibus. LINN. *Syſt. veg. p.* 394. Roſa multiplex media. C. B. Icon: BLACKWELL *Herbal Tab.* 82. Frutex, qui ob ſpeciem figurae et coloris, qua flores pleni inſtruuntur, item gratiam odoris in omni horto hoſpitatur, patriae hactenus ignotae.

Difficultas in diſtinguendis ſpeciebus huius generis in vniuerſum obueniens effecit, vt in libris de

de materia medica vnus ad hanc, alter ad aliam ſpeciem FLORES dictos officinarum referret. HALLERVS (*Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1101.), vt LINNEVS olim (*Mat. med. ed.* 1. *n.* 241.), Roſae caninae progeniem exiſtimauit. SCHREBERVS (LINN. *Mat. med. Ed.* 4. *p.* 148.) Roſam *damaſcenam* MILL.; *germinibus ouatis pedunculisque hiſpidis caule aculeato, calycibus pinnatifidis hirſutis*, pro vera ſpecie indicat. SPIELMANNO (*Mat. med. p.* 424.) auctore, flores R. centifoliae perinde colliguntur. Plurimi tamen R. centifoliam L. ſignificant, e. c. BERGIVS (*M. m. p.* 426.), auctores *Pharmacopoeae Suecicae, Roſſicae, Brunſvicenſis*. Nec ſine ignominia credi poteſt, ſummum LINNEVM omiſiſſe in recenſu Roſarum vulgatiſſimam hortorum et omnium ſpecioſiſſimam; tanto magis, quum in eam probe quadret character R. centifoliae tributus.

Petala, quae pallide rubra ſunt, numero copioſiſſima, remotis reliquis partibus vnice ſeruantur. Horum quidem recentia fragranti odore ſiccis longe antiſtant, ſed nec ſiccatione ille omnino diſpellitur. Vnde et odoramentis ſiccis inſeruiunt, et vna cum Lauendulae floribus praecipuam eorum partem, quae ollae odoriferae complectuntur, conſtituunt. Adeo vero genuinus odor eſt, vt et nomen variis aliis vegeta-

getabilibus ſimilem ſpirantibus dederit, ligni Rhodii et radicis Rhodiae exemplo. Prouenit ille ab oleo aethereo (de quo infra), vtut parua quantitate et difficulter ex floribus eruendo; nam, quo Roſae odoratiores, eo plus olei huius elici ſeſe patitur. Odoris partibus deſtillatione pariter ac infuſione aqua impraegnatur. Guſtati flores praeſertim ſicci, mox dulcedinem leuem, tum amaritiem cum auſtero ſapore produnt. Infuſum quoque aqua factum addito vitriolo martis mox nigreſcit. Remanet ſapida pars, etiamſi altera nares feriens deſtillatione vel euaporatione diſperſa fuerit.

Flores olfacti neruos egregie reficiunt, vt vel ideo, nec ornamenti vnice cauſa, faſciculis florum, quos pectori affigunt foeminae, inſerantur. Hinc et florum quatuor cordialium numero olim adſcripti. Rariſſime tamen ad internum vſum analeptico ſcopo, niſi in praeparatis quibusdam poſtea dicendis, praecipiuntur. Mirum ſane, quod flores hi, licet neruis alias amici et in vniuerſum blandi ſint, et tantum non omnibus hominibus placeant, quibusdam tamen turbas haud exiguas ſolo olfactu, ſternutationem (ECHTIVS in *Adami vit. med. p.* 72.), catarrhum, inflammationem oculorum, deliquia animi, hyſtericas affectiones, alui deiectiones excitent, item odore diſpliceant, imo abortus mor-

mortisque inde ortae exempla legantur. Plura horum euentuum documenta recenſet SCHENCKIVS (*Obſſ. med. rar. p.* 917.), alia *Naturae Curioſorum* commentationum auctores varii (Vid. e. c. LEDEL. in *Eph. N. C. Dec.* 2. *Ann.* 2. *Obſ.* 140. *p.* 309. IDEM *l. c. Ann.* 10. *Obſ.* 8. *p.* 27. HÜNERWOLFF *l. c. Dec.* 2. *Ann.* 5. *Obſ.* 22. *p.* 35. KHONI *l. c. Dec.* 3. *Ann.* 5. *et* 6. *p.* 158. *ſq.*). Dabo, ſupprimere adeo vitam poſſe flores larga copia congeſtos et intra arctum conclaue vel adeo cubile ſeruatos (V. CROMERVS *de orig. et reb. geſt. Polonor. p.* 202. et HENNINGES *Genealogia familiar. Germ. et Gall. p.* 323. de virgine ex famil. comit. Salmenſ.); cuius rei cauſa apparet experimentis ill. PRIESTLY et INGENHOUSZ (*Experiences ſur les vegetaux p.* 61.) quibus conſtat, Roſas copiam mephitici aëris ſpargere. Addo SCHVLZII (*Mat. med. p.* 181.), teſtis grauiſſimi, obſeruationem de viro quodam honorato ſibique bene noto, qui nunquam veſperi hortum Roſis condecoratum ingredi potuit, quin illi aluus ſolueretur. Facile patet eiusmodi effectus non vitio ipſorum florum, ſed corporis peculiari quadam conditione, contingere, nec maiori argumento nociuae Roſarum naturae eſſe, quam moſchi, ambrae, mellis, caſei rel. quae ipſa a quibusdam pariter non ferri ſine incommodo poſſunt.

Sed

Sed minus mira illa horum florum vis eſt, qua per os ingeſti aluum ſoluunt. Conſenſus auctorum de ea fere communis non prohibuit, quin illa rarius hodie in vſum vertatur. In calidis regionibus vehementer eos purgare ad ſanguinis eiectionem vsque quidem fertur (LEMERY *Traité des drogues p.* 656.). Certe blandiſſime apud nos aluum ſollicitant. Recentes quoque efficaciores hac ipſa re ſunt ſiccis. Prodeſt eo fine ſuccus vel ſero lactis permiſtus, vel ſaccharo in ſyrupum redactus (FERNEL. *Ther. vniuerſ. p.* 112.). Infuſio quoque florum cum ſero lactis locum habet, vnde et Germanis *Molkenroſen* dicuntur, ſuntque qui hoc connubio pro curatione vernali vtuntur. Ad obſtructiones viſcerum reſerandas proſtant efficaciora, vt vel hocce nomine in deſuetudinem abierint. Quoniam roborant cum amaritie, ſubinde infuſa theaeformia in imbecillitate pulmonum intrant, item decoquuntur cum aliis, et, inſtar collutorii vel gargariſmatis, ad vitia oris et faucium putredinoſa ſananda, nec non ad tonſillarum inflammationem vel anginam diſſipandam, vſurpantur.

Sed longe frequentius Roſae hae ad praeparata varia haud ignobilis notae adhibentur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

FLORES QVATVOR CORDIALES. V. ſupra p. 159.

AQVA ROSARVM *Pharm. omn.* Ex recentibus Roſis deſtillatione cum aqua. Praeſtat illa, quae deſtillatione absque aqua fit (Conf. HERMANNI *Cynoſ. M. m. T.* 1. *p.* 590.). Qua encheireſi fere et in Perſia paratur, noſtraeque aquae multum antiſtat gratia, et per totum Orientem transmittitur. Ibidem tribus libris Roſarum ſuperaffunduntur librae duae aquae, indeque deſtillant modo aquae Roſarum duas libras cum dimidia (CHARDIN *Voyages en Perſe T.* 3. *p.* 197.). — Inter Arabes primus eius meminit AVICENNA, inter Graecos ACTVARIVS. Fragrantia et ſaporis gratia placet. Vnde et variis ferculis et bellariis additur. Analepticam virtutem praeſtat ore hauſta: ſed externae applicationi plerumque vnice ſeruit inſtar blande reſoluentis, nominatim pro collyriis. Sic in morbillis conducit, illam tepide ad eluendam lympham acrem et ſalſam oculis ope cochlearis exigui crebro inſtillare, ne iſti ſtimulo inflammentur (ROSENSTEIN *Barnſjukd p.* 215. 223.). Item vehiculum Saturninorum, Zinci florum, Tutiae aliorumque conſtituit in oculi inflammationibus.

OLEVM

OLEVM DESTILLATVM. Parciſſima copia per aquam eruitur. Centum nimirum florum librae drachmas eius modo quatuor, ad ſummum ſex, ſi flores odoratiſſimi, largiuntur (CARTHEVS. *M. m. T.* 2. *p.* 517.); vel alio experimento dimidia tantum drachma olei ex decem florum libris elicita (SPIELM. *Chem. p.* 214.). Hoc ipſum poſt deſtillationem aquae, forma ſquamarum griſeo albicantium, innatat, quae exemtae et calore miti liquatae oleum flaueſcens conſtituunt, ſed aëre frigidiuſculo in butyri craſſitiem iterum ſeſe denſans. Vnde et Butyrum Roſarum (*Beurre de Roſes*) vocatur. Rancorem non induit. Quomodo ſtructura vaſorum commodiori vberius prouocari ſe patiatur cl. AVBLET *Hiſtoire des Plantes de la Guiane Franc. T.* 2. *App. p.* 125.) exponit. In Perſia charius venit ipſa ambra griſea, ita vt vncia iſtius ſubinde ducentis imperialibus in India vendatur (CHARDIN *l. c. p.* 198.). Sed fragrantiſſimo ſuo odore exigua quantitate magna perpetrat, ceterum vix acre. FR. HOFFMANNO (*Obſeruat. phyſ. chym. p.* 21.) facile dabitur, eximie illud neruos reficere. Verum hodie vix alio fine, quam, ob ſuauitatem odoris, variis mixtis additur; et in orientalibus regionibus cuti iniungitur, quo grate ſpiret. Eo ſcopo, quantum acu attollitur, pluribus hominibus ſufficit (AVBLET *l. c. p.* 127.).

PLACENTAE ROSEAE (*Chapeau de Roſes*) ex reſiduo poſt deſtillationem aquae conſtant, in placentas planas compreſſo et exſiccato. Remanet in hiſce roſeus odor, olimque fronti in cephalalgia imponebantur, qui vſus vero, vt epithematum fere in vniuerſum in hoc malo obſoleuit, poſtquam conſenſuales plerumque cephalalgias eſſe conſtiterit. Linteaminibus et veſtimentis odoris cauſa iuſtius interponuntur.

IVLAPIVM ſ. IVLEPVS ROSARVM. *Ph. Würt. p.* 101. Ex ſaccharo in aqua Roſarum ſoluto, et poſt vnicam ebullitionem colato. Additur mixturis et emulſionibus ob ſaporis gratiam.

OLEVM ROSATVM. *Ph. W. p.* 127. Maceratione in oleo quodam inodoro et ſubſequente coctione. Haec ipſa male ob iacturam odoratarum partium ſubiungitur. In morbis vterinis ab antiquis laudata. Ferri poteſt in ambuſtionibus.

MVCHARVM ROSARVM. *Ph. W. p.* 119. Eſt liquidum ex infuſione et maceratione florum recentium cum aqua feruidiſſima facta, ſubſequa expreſſione. Hoc ad mel et ſyrupos Roſarum extra florendi tempus parandos conducit. Sed prouidentiores pharmacopolae tempeſtiue pro vtroque ſcopo iuſtam quantitatem florum recentium ſibi comparant.

SYRV-

SYRVPVS ROSARVM SIMPLEX. *Ph. W. p.* 217. Ex mucharo Roſarum et ſaccharo. In tenellis aluum ſoluit. Aphthis detergendis penicilli ope cum aliis aliquando applicatur.

SYRVPVS ROSATVS SOLVTIVVS. *Ph. W. p.* 217. Repetita vel cohobata quaſi florum cum aqua infuſione, ſaccharum demum additur. Altero vſitatior eſt. Differt nonnihil SYRVPVS ROSARVM PALLID. *Ph. Edinb. p.* 61. et SYRVPVS ROSARVM SOLVTIVVS *Ph. Lond. p.* 81. quorum iſte vel macerationem recentium Roſarum requirit, vel et liquorem poſt deſtillationem aquae Roſarum ex fecibus exprimendum; hic poſterius dictum liquorem duntaxat. Raro ſolus infantibus ad aluum ſoluendam ingeritur, ſed plerumque mixturis et linctibus purgantibus admiſcetur, palati pariter ac efficaciae ratione habita.

MEL ROSATVM SOLVTIVVM. *Ph. W. p.* 114. Ex ſucco harum Roſarum et melle coctis in legitimam ſpiſſitudinem. Vim adſcriptam titulus edocet: carere autem eo poſſumus. Praeſtantius eſt alterum pro ſuo ſcopo, et vſitatius, ſcilicet mel Roſarum ſimplex; de quo ſubſequente articulo.

MEL SOLVTIVVM. *Ph. Lond. p.* 85. Ex liquore poſt deſtillationem aquae Roſarum ſuperſtite,

ſeminibus Cymini, Saccharo rubro et melle, iunctim decoctis. Clyſmatibus praecipue dicatum.

SPIRITVS ROSARVM. *Ph. Würt. p.* 195. Deſtillatione cum vino et ſpiritu vini.

SPIRITVS ROSARVM PER FERMENTATIONEM. *l. c.* Poſt fermentationem cum aqua deſtillatio inſtituitur. Vterque in deſuetudinem abiit.

365.

Pharm. ROSAE RVBRAE *Flores.*

Roſa gallica; germinibus ouatis pedunculisque hiſpidis, caule petiolisque hiſpido aculeatis. LINN. *Spec. pl. p.* 704. Conf. *Mant. p.* 399. Roſa rubra multiplex. C. B. Icon: BLACKWELL *Herbal. T.* 82. Frutex, quem flore ſimplici ill. DE IACQVIN in montibus ſyluaticis Vindobonae inuenit, in hortis flore pleno plerumque inſtruitur.

Flores colore profunde rubri. Debiliorem longe fragrantiam prae ſe ferunt, quam Roſae pallidae ſ. damaſcenae. Adſtringente ſapore et vi autem ſuperiores, ſimul ſubamari. Colligi ſolent ante expanſionem, abiecto pariter calyce, vnde

Germa-

Germanis *Knopfroſen* dicuntur. Tum et gratiorem colorem habent et efficacius corroborant. Quo citius ad lenem ignem ſiccantur, eo magis vis adſtringens augetur: lentiori ſiccatione tam haec quam color debilitatur (LEWIS *M. m. p.* 483.). Vis tamen eccoprotica etiam in hanc ſpeciem cadit; quo fine conducit, horum florum drachmam vnam in puluere vel bolo capere, vnde ex POTERII ſaepiſſime repetita experientia aluus ter vel quater ſubducitur (EIVSD. *Oper. p.* 515.). Sed obſoleuit hic vſus. Coloris potius cauſa quam efficaciae pulueribus fumalibus additur. Extrinſecus in cataplaſmatibus et fomentis adſtringentibus ſubinde adhibetur.

Verum itidem huius ſpeciei valor magis in arte pharmaceutica paratis quaeritur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA ROSARVM RVBRARVM. *Ph. W. p.* 39. Ex petalis recens contuſis et ſaccharo mixtis. *Pharmacopoea Lond. p.* 24. requirit Roſas rubras immaturas, h. e. flores nondum expanſos. Eximia medicina ſapore pariter ac viribus. Haec, prout et ſaccharum roſaceum in phthiſi vlceroſa valde inclaruit inde ab AVICENNAE (*Lib.* 3. *Fen.* 10. *Tract.* 5. *cap.* 5. *p.* 275.) tempore, qui, conſerua illa (Zucca-

L 4 rum

rum recens Roſarum vocatur) omni die, quantum eius capere potuerint aegri ingeſta, multoties phthiſin ſe curaſſe narrat. Conſentit MESVE (*cap. de phthiſi*), qui recentem requirit, non vltra annum ſeruatam, et cum medicamentis, cibis, potulentis, tum et per ſe omni hora captam. Curationis phthiſeos ea perfectae teſtes MONTANAM, VALERIOLAM, FORESTVM, citat RIVERIVS (*Prax. med. Lib.* 7. *cap.* 7. *p.* 348.), ipſe exemplum pharmacopolae phthiſici ex perpetuo vſu ſacchari roſacei eoque ſolo curati allegans. Digni et caſus aegrorum ſunt a DAN. KRÜGERO (*Eph. nat. cur. Dec.* 2. *Ann.* 4. *Obſ.* 9. *p.* 24. *ſqq.*) conſignati, qui legantur. Horum vnus, pus et ſanguinem viciſſim exſpuens cum venularum capillamentis (vt refert, exiſtimo polypoſas concretiones fuiſſe intellectas), ſudoribus nocturnis diffluens macieque fere confectus, lacte vaccino conſerua Roſarum commixto et pane triticeo intrito, valetudinem vireſque omnino recuperauit, poſt conſumtas pro hacce curatione conſeruae Roſarum viginti libras. Alius vltra triginta libras huius conſeruae in connubio lactis eodem laeto effectu conſumſit. Memorans quinque alia ſimilia exempla, interſerit proprium ſuum, vtqui, ex vomica meſenterii emaciatus, ſola hac conſerua et ptiſana hordeacea loco lactis, intrito ſimul pane triticeo, per

aliquot

aliquot menſes vſus, omiſſo omni alio victu conualuit. In binis conſerua haec cum lacte caprillo curationem abſoluit. Bene iterum inculcat cl. BVCHAN (*Domeſtic. Medicine p.* 198.), non ſufficere exiguas eius quantitates, ſed quotidie ad minimum tribus vel quatuor vnciis per longum tempus opus eſſe, idque iis vel in decocto pectorali vel per ſe captis; ſicque eximios et illi effectus praeſtitit. Confert quoque illam cortici peruuiano in phthiſi admiſcere, ſi hic ipſe aluum laxat (*l. c. p.* 199.); prout et, ſi lac aluum mouet, addere illi conſeruam Roſarum vetuſtiorem e re eſt (*l. c. p.* 193.). In commendationem huius conſeruae praeterea in phthiſi vlceroſa cedit notiſſima iſta ſacchari vis detergendi, putredinem corrigendi, ſcreatum promouendi, cum qua Roſarum poteſtas pulmones firmiores reddendi amice conſpirat. In phthiſi pituitoſa parcius danda eſt, ne ob ſaccharum pulmones nimis flacceſcant. Abuſum eiusdem, qui olim in Belgio in quauis tuſſi protracta et phthiſin minante imo iam producta inualuit, iam grauiter DELEBOE SYLVIVS (*Oper. med. p.* 270.) increpuit. Pluribus inde vnice nociuam fuiſſe perſuadeor, quod conſerua haec, vt ſolent reliquae, ſacchari iuſto maiori quantitate abundet: minuenda igitur ita, vt illud modo conſeruationi Roſarum ſufficiat, quod quidem ſecundum *Ph. Svec.*

p. 65. ſit, quae aequale ſacchari pondus deſiderat, quum contra ea *Ph. Würt. p.* 39. duplum huius pondus perperam deſideret.

SACCHARVM ROSATVM TABVLATVM. *Ph. W. p.* 165. Ex puluere Roſarum et ſaccharo albo in aqua Roſarum ſoluto, in denſitatem tabulati coctis et in tabulam effuſis. SACCHARVM ROSACEVM. *Ph. Lond. p.* 91. et TABELLAE ROSACEAE *Ph. Edinb. p.* 91. paucis praeparationis momentis diſcrepant. Nonnulla de virtute articulo conſeruae monita. Additur praeterea pulueribus ſalinis gratiae cauſa.

MEL ROSATVM SIMPLEX. *Ph. W. p.* 114. Ex Roſis recentibus aqua feruente maceratis colatisque melle demum coctis. Egregie abſtergit et putredinem coërcet in aphthis, vlceribus oris vel narium et fiſtulis. Hinc vel ſolum, vel in connubio aliorum, penicillo aphthis illinitur, vel dilutum commodo liquido gargariſmatis, collutorii, iniectionis forma, in reliquis dictis vitiis applicatur.

ACETVM ROSARVM. *Ph. W. p.* 1. Maceratione florum ſiccorum in aceto, colatione et expreſſione ſubſequa. Male iſto libro vt quibusdam aliis reticetur Roſarum ſpecies. Probe autem *Pharm. Danica*, *Suecica* etc. Roſas rubras indicant. In viribus

ribus diiudicandis ratio habenda praecipue aceti, quod vero additamento florum tanto magis analepticum item magis adſtringens fit. Ad ſpecialiora commoda, quae huic aceto debemus, hoc pertinet, quod infantes per carbonum vapores cephalalgia vomituque affecti ex linteis hoc aceto humectatis et fronti applicatis ſolamen obtineant (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p.* 14.). Similiter in malis ab inſolatione confert, aquam frigidam aceto roſaceo mixtam per lintea fronti, temporibus, ipſi capiti applicare (TISSOT *Avis au peuple p.* 213.).

TINCTVRA ROSARVM. *Ph. W. p.* 224. *Ph. Ed. Lond.* Ex Roſis cum ſpiritu vitrioli et aqua digeſtis. Euiluit vſus, qui olim in iulapiis refrigerantibus praecipue obtinuit.

SYRVPVS E ROSIS SICCIS. *Ph. W. p.* 217. Ex floribus Roſ. ſiccis aqua maceratis et poſt colationem ſaccharo mixtis. Quoniam nonnihil adſtringit, ad alui profluuia coërcenda aliquid facere creditum. Iuſtius additur eo fine aliis efficacioribus.

366.

Pharm. ROSAE SYLVESTRIS *Flores;*
CYNOSBATOS *Fructus;*
BEDEGVAR *Fungus.*

Roſa canina; germinibus ouatis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeatis. LINN. *Spec. pl. p.* 704. Roſa ſylueſtris vulgaris flore odorato incarnato. C. B. Icon: BLACKWELL *Herbal Tab.* 8. Frutex, in ſepibus et ad margines viarum frequens.

FLORES, h. e. petala, odoris grati; ſed dubito, quod praeſtent damaſcenis pro aqua, licet multi id perhibeant, vtpote ad meum ſenſum debiliores, nec tam iucundi odoris.

FRVCTVS vero vulgatioris longe vſus eſt. Hic ex calyce carnoſo firmioris compagis prognatus, ouatus eſt, coloris coccinei, oliuae magnitudinis. Recens acido-dulcis eſt, ſiccatus acidior. Hic et, lacte coctus, illud in coagulum vertit, et ſerum praeſtat grati ſaporis et efficax. Secundum longitudinem diſſectus, ſeminibus hirſutieque, quae internum cauum obueſtit, exemtis et reſiduis laciniis calycinis abſciſſis, ſiccatur. Iuſculum cum aqua additis

additis paſſulis et ſaccharo inde coquitur, diluens, refrigerans, ſitim fallens, diureticum, in acutis igitur non vilipendendum. Pro ſanis vinum huic admiſcetur. Acetarii praeterea genus ſuppeditat fructus, dum pauca copia aquae in miſcela Cinamomi et ſacchari coquitur. Solet etiam ſaccharo condiri pro eodem fine, et ſyrupo ſuo ſeruari; quo ſcopo vero praeſertim fructus Roſae villoſae vſu venit. Aliud acetarii genus hoc eſt, quo fructus, mora in cella vel alio frigido loco in mollitiem reſolutus, per cribrum tranſigitur, et transactus dein ſaccharo canarienſi contrito commiſcetur. Ita Rob quoddam enaſcitur refocillans, ad vſum vini tantillo diluendum. Pro aegris huius loco ſuccus Citri inſtillari poteſt. Non magni facio priſtinorum medicorum praeconia, quod calculum ſolueret, praecipue in ea farragine, qua apud hoſce comparet. Si quid in calculo valeat, id arbitror lotium mouendo vnice efficere, prout aliis exemplis ſaepe auctores diureticam vim cum vere lithontriptica confuderunt. Taedet etiam alios morbos commemorare, in quibus, ſi quid praeſtiterit, ſuo vnice iure valuiſſe neutiquam cenſendum, loquor de virtute in hydrope, diarrhoea bilioſa, dyſenteria, haemorrhagia vteri, rel. de quibus citatos auctores legere eſt in HERMANNI *Diſſ. de Roſa* §. 11.

Quam

Quam *Seminibus* in calculo adſcripſerunt efficaciam refero ad ea commenta, quae ſignaturae externae ſuperſtitioſa fides excogitauit.

FVNGVS BEDEGVAR ſ. SPONGIA ROSAE eſt memorabilis excreſcentia hiſpido-ramoſa (*Galle Cheveluë Gall.*), nucis Iuglandis circiter magnitudinis vel vltra, viridi rubra, figurae variae, oblongae plerumque vel ſubrotundae, cellulas varias interne formans. Inde oritur, quod inſectum quoddam, Cynips Roſae (LINN. *Syſt. nat. T.* 1. *p.* 917. FAVN. *Suec. p.* 385. cuius icon item deſcriptio vid. in REAVMVR *Mem. des Inſect. T.* 3. *Tab.* 46. *et* 47. *p.* 465. *ſqq.*) ouula ſua variis plantae partibus, cauli vel folio eiusue petiolo vel fructui ipſi (Vid. figurae in HAGENDORNII *Cynosbatalogia, Ien.* 1681. *p.* 75. et REAVM. *Mem. l. c. Tab.* 47. *fig.* 1. 4.) immittit. Quae ſedes diuerſa difficultatem in explicanda huius excreſcentiae origine auget. Sed ex obſtaculo enato ſtagnatio, accumulatio et condenſatio ſucci contingit, donec inſectum in volucrem mutatum latibulum ſuum perforans aufugiat. Contingit id vulgo in Roſa canina; vidi autem ſimilem nidum in Roſa villoſa. Rabiei caninae, ictui ſerpentum aliorumque animalium venenatorum, epilepſiae, peruigiliis, calculo et ſexcentis aliis morbis, in quibus recenſendis HA-

GENDOR-

GENDORNIVS (*Cynoſbatologia p.* 136. *ſqq.*) vberior eſt, illum mederi, olim credulis nimium perſuaſum fuit.

PRAEPARATVM.

CONSERVA FRVCTVS CYNOSBATI. *Ph. Lond. p.* 25. *Edinb. p.* 70. Eſt pulpa fructus ſaccharo contrita. In praeparanda ea cauendum, ne quid ſetularum remaneat, quae moleſte afficiunt ventriculum et inteſtina in vomitionem vſque et pruritum ani. Virtutes eius veras ſupra iam dixi.

367.

Pharm. ROSAE ALBAE *Flores.*

Roſa alba; germinibus ouatis glabris, pedunculis hiſpidis, caule petiolisque aculeatis. LINN. *Spec. pl. p.* 705. Roſa alba, flore pleno. BESL. *hort. Eyſtett. vern. ord.* 6. *Tab.* 3. *fig.* 1. Frutex, in hortis coli ſolitus.

Petala huius, quae vnice FLORVM nomine veniunt, odore damaſcenis Roſis inferiora, vix adſtringentis ſaporis. Haud immerito igitur excluſerunt eos a cenſu medicaminum *Pharmacopoeae Britannicae* et *Suecica.* Nec tanti momenti eſt, eos in Germanicis pro

VNGVENTO ROSATO. *Ph. W. p.* 249. *Ph. Brand. p.* 229. ſeruare, cuius praeparatio omnino ſimplicius

cius, et ſola lotione axungiae porcinae cum aqua Roſarum addito odoris cauſa tantillo olei Roſarum, fieri poteſt. Male coctio Roſarum albarum cum axungia poſt lotionem dictam ſuadetur. Hoc ipſum ſolum prout emolliendi ſcopo locum habet: ita ad excipienda alia varia efficaciora pro externo vſu conducit, exemplo Vnguenti Zelleri.

Hoc ſi rite paratum fuerit, non opus eſt alio. Exſtat tamen praeterea VNGVENTVM ROSATVM SIMPLEX. *Ph. Würt. l. c.* ſecundum commendatam paullo ante normam confectum, inſtillato modo oleo ligni Rhodii. Capillis inungi ſolet, vt cyprius puluis iis tanto tenacius adhaereſcat.

POMA-

ORDO XXVIII.

POMACEAE.

PYRVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 389. *Gen. pl. p.* 251.

368.

Pharm. POMA: ſpeciatim SYLVESTRE; BORSDORPHIANVM; RVBELLIANVM.

Pyrus Malus; foliis ſerratis, vmbellis ſeſſilibus: LINN. *Spec. plant. p.* 686. *α*, *ſylueſtris* LINN. Malus ſylueſtris. C. B. *β*, *paradiſiaca* L. Malus pumila, quae potius frutex quam arbor. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Pommier. IO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Malus *α*, procera arbor et longaeua, ſponte in Europae ſyluis depreſſis vmbroſis prouenit et ſpinis inſtruitur. Varietas *β*, ignotae patriae, ſed, prout ex habitu et impatientia frigoris dirioris apparet, calidioris.

Mali in hortis aluntur, vt notum, numeroſiſſimae varietates, quae ad ducentas facile aſcendunt, quarum fructus mox praecocior, mox tardioris maturitatis, mox dulcior, mox acidior, magnitudine,

itidem figura, colore, compage multipliciter differt; vt diſcrimina quoad ipſum arboris creſcendi modum, folia, taceam. Ad quorum momentorum cognitionem multum facit ill. DV HAMEL (*Traité des arbres fruitiers T.* I. *p.* 273. *ſqq.*) cum iconibus illuc ſpectantibus, qui tamen de pomis edulibus vnice agit. Fructus ſupra centum coloribus viuis depictos cum deſcriptionibus praeſtitit hortulanus KNOOP (in *Pomologia, Belgice* 1758.). Sunt hae varietates tantum non omnes inſitionis aliarumque culturae artium prouentus. Vtrum vero omnes et ſingulae vni ſpeciei, ſcilicet Malo ſylueſtri C. B. tanquam matri, originem debeant, quod quidem et LINNEI ſententia fuit, an praeter hanc et alii, ſcilicet LINNEI β, Malo paradiſiacae, quam tanquam peculiarem ſpeciem ill. GLEDITSCH (*vermiſchte Abhandl. Vol.* 3. *p.* 23. *ſqq.*) poſt alios conſiderat, de eo adhuc diſputatur. Malus ſylueſtris truncum format elatum fertque poma ſerotina acerba. Malus paradiſiaca autem ex radice protrudit multos ſurculos, poma exhibet praecocia, Iulio m. matureſcentia et dulcia. Quoniam haec humilis ſemper ſtaturae eſt: hortulanis arridet pro inſitione, ſi mali humiles in deſideriis ſint. Ars cultura mala placidiora reddendi inter Graecos iam HOMERI temporibus innotuit. A THEOPHRASTO ERESIO varia momenta huic fini opportuna memorantur,

tur, ſicuti nomina fructuum varia a variis Graeciae regionibus et vrbibus depromta. Horum varia Romani ſeruarunt, vnde iam euidens, hoſce artem a Graecis hauſiſſe, licet poſtea ipſi illam ad maiorem perfectionem euexerint, et nominum numerum auxerint (Vid. PLINIVS *Lib.* 15. *cap.* 14. *p.* 970. *Ed.* DALECH. qui nomina Romana cum iſtis neotericorum comparat in notis). Senſim illa ad Hiſpanos et Gallos tranſiit, ſerius ad Germanos, qui TACITI tempore iis fructibus horaeis acquieuerunt, quos terra ſponte profert; quae vero gens poſtea tanta felicitate illam exercere didicit, vt iam vix vlli alii ea cedat. Nec clima ſeptentrionale pomis aliisque ſapidis fructibus colendis aduerſum eſſe, manifeſta exempla docent (BERGII *Tal om Frukt-trägårdar*, *p.* 15. *ſqq.*).

POMVM ſub epidermide tenaci parenchyma carnoſum ſed ſiccius comprehendit, in cuius media parte capſula quinque loculorum ſeminibus oblongis vna parte obtuſis altera acutis latet. Baſeos fructus concauitas non per omnes varietates illud a pyro diſtinguit. Nam Pyrus falerna (*Bergamotte*) fructum gerit baſi concauum, etſi verum pyrum, et pyrum ſylueſtre figurae rotundae eſt.

Quoniam poma fructuum, quos Graeci horaeos, Latini temporarios et fugaces dixerunt, vſitatiſſimum et vtiliſſimum conſtituunt: de iis in vniuerſum hac data occaſione agam. Vox ſiue ab hora i. e. tempore quolibet anni vel diei, ſiue aeſtate, quae per excellentiam hora dicta, ſiue illo aeſtatis tempore, in quod canicula (Graecis ὤρα) cadit, ſiue ab alia origine vel conceptu profecta ſit, qua de re docte diſſeruit pro more b. GEORG. GOTTLOB RICHTER, olim decus academiae noſtrae et ordinis medici (in *Diſſ. de ſalubritate fruct. horaeor. Gött.* 1754. §. 3. *et* 4.): ea intelligimus fructus varios ſuccoſos molles, qui vel baccam vel drupam vel pomum conſtituunt, aeſtate vel autumno matureſcentes, ſaporis grati acido dulcis vel aquoſi reficientis. Pro hac dicta diuerſa fructuum natura triplex eorundem claſſis formari poteſt. *Baccarum* claſſis complectitur, vt in ſuetiſſimis exemplis maneam, Ribeſia, Vuas criſpas, Vitem Idaeam, Myrtillos, aliaque edulia Vaccinia, Rubos varios, Idaeum, arcticum, caeſium rel. Meſpilos, Vuas, Mala ſinica, Granatum, Fraga, Ficus. Ad *Drupas* (Gall. *Fruits à noyeau*) refero Ceraſa, Pruna, Perſica, Armeniaca, Cornos. *Pomaceis* fructibus (Gall. *Fruits à pepin*) accenſenda vero Poma, Pyra, Melones, Cucumeres, Citrulli. Affines hiſce Berberides, mala Citrea, Aurantiaca,

Coto-

Cotonea, heic omitto, quum ſaporis acidioris vel acerbioris ſint, quam vt per ſe vel vberius ingeri poſſent, et manifeſtiores vires medicas exerceant; Piſangam vel Ananas fructum autem recenſere, vetat parcior ob charitatem vſus. Horum omnium ſapor prout valde differt, ita et indoles et vis. Alii dulciores, alii acidiores vel acerbi, quidam abundant ſucco aquoſo omnino miti, vt Melones; Cucumeribus ineſt et viſcoſitas; ſunt qui aroma leue admixtum habent, quod odor prodit. In omnibus aqua, oleum, ſal et terra latet, ſed diuerſa proportione. Sal acidae naturae eſt, in dulcibus fructibus copia olei obuolutum, quod oleum, quo dulcior fructus eſt, eo maiori copia obtinet. In acerbis fructibus cum acido largior terrae copia combinatur. Inſipidos reddit fructus aquae quantitas nimia. Quid igitur virium ab hoc vel illo fructu ſpeciatim ſperari poſſit, ipſe ſapor quemlibet attentiorem condocefacere poteſt. Miro naturae beneficio contingit, quod horum plerique eo anni tempore matureſcant, quo feruens et ad putredinem climoſamque corruptelam diſponens ſol diluentis refrigerantis et antiſeptici auxilii ſolamen quam maxime requirit, et regiones calidiores prae reliquis magna eorum copia abundent; hinc vel nobis inſciis ad eos copioſe ingerendos aeſtate ferimur.

 Quum

Quum hi ipſi fructus praeterea aquoſis partibus ſcateant: ad reſarciendum diſpendium humorum, quos ſudor ſub ſirio diſpellit, valde eximii ſunt. Nec inſtar merae aquae leuiter modo liquidis noſtris ſeſe admiſcent, ſed ob ſaponaceam naturam arctius connubium cum iis ineunt, et ſpiſſa et compacta attenuant et reſoluunt. Patet inde, quantae vtilitatis ſint tam in acutis quam chronicis morbis. Non facile enim aliquid febrile incendium vel ſimplex, vel diatheſi inflammatoria vel putrida ſiue bilioſa iunctum, efficacius arcere vel exſtinguere poteſt, quam auxilium, quod tot diuerſasque iſti contrarias vires coniunctas habet; vnde et in hiſce febribus vel crudi vel cocti inſtar ferculi, et in potulentis, mixturis, robibus, ſyrupis creberrime adhibentur, non neglectis tamen reliquis. Chronicos pariter multos morbos ſolatur, ſiue ad naturam acidam reſpicias et diluentem et humectantem, ſiue ad blande ſoluentem. Furentiſſimi ex melancholia maniaci ſanati ſunt, dum ſolis fructibus horaeis opipare veſcebantur (v. SWIETEN *Comment. T.* 3. *p.* 480.). In ſcorbuto aliisque putridae indolis morbis auertendis et curandis vis acidorum et dulcium antiſeptica explorata eſt, quae ipſa autem in hiſce fructibus ob copiam aëris, quam includunt, et quae ſub eſu euoluitur, tanto efficacior eſt. Emollire

vel

vel ſoluere calculos experimentis pariter conſtat, etſi diſpari efficacia (Vid. LOBB *de diſſolv. calcul.*). Auidius comeſti diarrhoeam excitant, qua ipſa, quicquid vitioſi prius ſoluerant, blande e corpore eliminant. Qui ſua natura acerbi ſunt adſtringendo fibras roborant. Vituperanda vero maxime ea auſteritas, quae a defectu maturationis oritur, vnde alui conſtipatio et obſtructiones viſcerum enaſcuntur. Fructus bene maturos recentes in vniuerſum requiro. Speciales virtutes horaeorum fructuum ſuis locis tradentur, vel iam traditae ſunt.

Verum nec reticenda vitia, quorum vel iure vel praeiudicio eosdem reos fecerunt. Multis diſplicent ob flatus, quos copia aëris latentis et digeſtione et fermentatione euoluti in primis viis generant, vnde inflationes ventris, ſpaſmi, anxietates, ructus moleſti, tormina itidem ferocia. Sed haec in iis modo contingunt, quorum concoctionis vires iuſto debiliores, quod de hypochondriacis et hyſtericis valet, qui ipſi vel arcendi ſunt omnino ab eſu horum fructuum, vel nonniſi praeuia coctione et aromatis additamento iis veſci debent. Sub hac, quam dixi, labe ventriculi et inteſtinorum, acore quoque, quem vel ſuo genio ſecum vehunt vel mora contrahunt, moleſti ſunt, vtpote ſenſum ingratum

in ventriculo cientes, ructus acidos, qui dentes ſubinde obtundunt, et labefactatos iam antea neruos vlterius debilitantes. Laxare iſtos tonum ſolidorum aquoſo ſuo latice, quum exiguum nutrimentum praebeant, querela eſt, quam nonniſi ſub nimia eorundem ingurgitatione vel in male diſpoſitis admittere poſſum. Dabo parcum modo nutrimentum illis ineſſe, ſed reſarciri haec penuria poteſt aliis magis alentibus adiectis, quorum vitia feruente praecipue aeſtate corrigunt.

Aliud opprobrium et magis ſollicite enucleandum eſt iſtud, quod plebs, nec pauci medici conceperunt, ex horaeis fructibus dyſenteriam, aeſtate adultiori in caſtris et ruri epidemice obuiam, natales ſuos ducere. Non facile in illum errorem incurret, qui dyſenteriam hanc morbum putridi vel biliosi generis cum inflammatoria diatheſi coniunctum eſſe perpendit, fructus horaeos autem, et acore ſuo putrido vel bilioſo fomiti et febrili calori aduerſum eſſe, et diluente et attenuante virtute ſua ſtaſin inflammatoriam reſoluere. Sed proſtant argumenta ad conuincendum ſcrupuloſum magis idonea. Si fructus hi in culpa eſſent: dyſenteria prae reliquis infantes laborarent, quippe horum fructuum auidiſſimi, qui vero rarius hocce morbo afficiuntur. Incidit porro ille diu ante

ante maturationem fructuum, et deſinit, quum huncce perfectionis gradum attingant. Quidni porro morbus quotannis grauaret, quum ſingulis annis larga eorundem meſſis contingat. Quod ad milites nominatim: non adeo iisdem delectantur, nec ſuppetit illis occaſio et pecunia ad eosdem coëmendos. Quin adeo auertunt morbum, apud alios graſſantem, et coërcent, dum iam aperte ſeſe manifeſtat (Conf. DEGNER *de dyſenteria p.* 247. *ſqq.* PRINGLE *Diſeaſes of the army p.* 88. MONRO *Diſeaſ. in Britiſh military Hoſpitals p.* 58. *not. a.* TISSOT *Avis au peuple p.* 415. *ſqq.* HANNES *Unſchuld d. Obſtes in Erzeugung d. Ruhr p.* 60. *ſqq.*). Quodſi concedas, in imbecillibus ex iuſto largiori ingurgitatione diarrhoeam enaſci, dyſenteriae tamen vix vnquam genitores accuſari poſſunt. Non conducere tamen ſub finem dyſenteriae, vel mox poſt eandem deuictam, obſonii genus refrigerans, flatulentum, relaxans, facile quilibet agnoſcet (PRINGLE *l. c. p.* 90. 284.).

Liberari et debent hi fructus a culpa febres intermittentes generandi vel alendi, quam quidam auctoritate vel potius mala GALENI interpretatione in eosdem coniecerunt. Vt ab auctore antiquo ſuſcitatus error ex ipſa antiquitate refellatur, ſufficit ALEXANDRVM TRALLIANVM *Lib.* 12. *cap.* 6. *p.* 732.

nominare, qui in exquiſitis tertianis pomaceos fructus liberaliter exhibendos ſuadet. Nec aliquid noxae grauis in hac re teſtis cl. CLEGHORN (*Diſeaſ. of Minorca p.* 178.) ex horum eſu emergere vidit, quin cuſtodes vinearum, qui in inſula Minorcae vuas copioſe ingeſſerunt, ſanitate optima gauiſos eſſe refert, reliquis eodem tempore vehementiſſima tertiana infeſtatis. Quicquid ſit, abuſus tamen horum fructuum ad concipiendas febres intermittentes, ſpeciatim in humido ſolo, corpus idoneum reddit, quoniam refrigerat et relaxando debilitat quum totum corpus, tum praecipue primas vias. Eadem de cauſa abſtinere ab hiſce eos conducit, qui nuperrime haſce ipſas febres eluctati ſunt, vel ſaltim parce iis vtendum. Imo animaduerſum, nec ſaniſſimos homines liberaliorem eorum in regionibus clauſis et paludoſis vſum impune ferre, et hos ipſos dictas ob cauſas, etiamſi per ſe antiſepticos, tamen morbi putridi ſemina ſpargere (PRINGLE *Diſſ. l. c. p.* 90.).

Exceſſus prout etiam ſaluberrimam rem in nocumentum vertit, ita et fructuum horaeorum vſum. Sic nec confert, ventriculo iam cibis multifariis referto, eum flatulentis fructibus vlterius replere et diſtendere, vel in connubio eorum, quae fermen-

fermentandi vim habent, ingerere. Male et agunt, qui largius captis iisdem aquam frigidam ſuperbibunt.

Reuertor iam ad ſpecialiorem pomorum conſiderationem. Tam crudis quam aſſatis nos iis veſci notum eſt, item coctione, poſt exemtas capſulas cum ſeminibus, ſubactis, iisque vel in pultem reſolutis vel in partes minores diſſectis, vel ſacchari, vini, aromatum, gratiae cauſa additamento. Siccata et placent. Ad placentarum varia genera adhibere ea docet ars coquinaria; et dulciaria ſaccharo condire, et ſpeciem miuae cum gratis aromatibus inde parare.

In Anglia praeſertim, item in Gallia, nec non hinc inde in Germania, potus gratus vinoſus inde fit, nomine *Cidre* vel *Pomacei* notiſſimus, praeſtantior illo ex pyris, vtqui non diu ſeruari ſe patitur. Eo fine in molendinis, vel, vbi haec deficiunt, clauarum lignearum ope conquaſſantur poma, dein ſuccus eorum torculari exprimitur, mox fermentationi in magnis cadis, committendus, quorum illi, quibus vinum antea infuit, reliquis praeferendi. Peculiares encheireſes et regulae, quas huius loci non eſt recenſere, traduntur in STAF-

FORD'S

FORD'S *Treatiſe on cyder-making Lond.* 1753.; *Obſeruations ſur la culture des arbres à haute tige, particulierement des Pommiers, ſur la maniere de faire le Cidre etc. par Mr.* THIERRET, *à Paris* 1753.; *L'art de cultiver les Pommiers et le Poiriers et de faire les Cidres ſelon l'uſage de la Normandie, à Paris* 1765; REVSS *Unterſuchungen d. Cyders od. Aepfelweins nach ſ. Eigenſchaften u. Würk. nebſt ſ. Verfertigungsart. Tubing* 1781. Simpliciſſimum et ſumtibus maxime parcens machinarum genus cum encheireſi varia egregie traditur a cl. VOTHMANN in cl. HIRSCHFELD *Gartenkalender* 1784. *p.* 223. *ſqq.* vbi et effigies compendioſi torcularis ſiſtitur. Poma per aeſtatem vel primo autumno matureſcentia pomaceum quidem gratum ſuppeditant, ſed facile hoc aceſcit. Idem accidit ei, quod ex pomis dulcibus paratur. Maxime idonea eius praeparationi ſunt poma, quae ſero autumno vel ineunte hieme ad maturitatem perueniunt. Haec vero matura eſſe conuenit, ſuccoſa nec vermibus exeſa, nec computreſcentia. Eiusmodi pomaceum ex ſeriori pomorum meſſe initio quidem nonnunquam palato minus iucundum eſt, ſed ſenſim delicatius et fortius fit, et per duos vel tres annos conſeruari ſe patitur. Ad praeſtantiam et conſeruationem eius multum et facit commodae pomorum ſpeciei ſelectus. Tingi poteſt pomaceum

maceum colore rubro additis poſt fermentationem Pruni ſpinoſae fructibus; et adhuc gratius Cinamomo redditur. Si in acorem tranſiit, loco aceti vſurpari poteſt. Alcohole vini deſtillatum non naphtham quidem praebet, attamen ſpiritum aceti dulcificatum probae notae (*Almanach für Scheidekünſtler* 1783. *p.* 1963.).

Pomaceum pro cauſa colicae Damnoniorum habuit HVXHAMVS (*de morbo colico Damnoniorum in Oper.* REICH. *T.* 3. *p.* 54. *ſqq.*), tribuens illam ſali acido crudo eſſentiali, vel tartaro, quo ſuccus pomorum nondum fermentatus abundaret, quod ipſum ſal diuturna et frequenti potatione pomacei maſſam ſanguineam intraret illamque cum omnibus humoribus ſecretis acrem redderet, vnde et bilis tanta acrimonia imbueretur, vt in primas vias delata vomitum et colicam excitaret. Immite et acidum pomaceum nimis vſurpatum iam ante accuſauerat MVSGRAVE (*Diſſ. de arthrit. ſympt.* 1703. *cap.* 10. *ſect.* 5.) Sed bellas haſce theorias ſolide refutauit cl. BAKER (*Inquiry concerning the cauſe of the endemial colic of Devonſhire* in *medical Transactions Vol.* 1. *art.* 12. Conf. et *loc. cit. Vol.* 2. *art.* 20.) multis argumentis demonſtrans, colicam hancce eſſe omnino eandem cum ſaturnina et eosdem natales

ex

ex clam admiſto plumbo agnoſcere. Nam neque acidi vegetabilis ea vis eſt, nec colica iſta in ditione damnonienſi inferioris vnice ſortis homines eosque, qui largius ſuccum non fermentatum vel pomaceum recens potant, afficit, ſed et homines omnis ordinis, nec ſeſe adſtringit morbus omnino ad autumnum. Contra ea autem vitia varia in praeparationis modo, item in machinamentis, et vtenſilibus occurrunt, per quae plumbum liquorem huncce ingredi poteſt. Molendina enim hinc inde pro conquaſſandis pomis vſurpantur, quorum lapides vel trabes ferramentis coadunantur, plumbo fuſo firmatis; vel alibi patina, in qua comminuuntur poma, ex pluribus fruſtis lapideis conſtat ruditer caeſis, vnde interſtitia fuſo plumbo replere in vſu eſt. Ipſum praeterea prelum ſubinde plumbo integre vel ad partem obducitur, vel margine plumbeo cingitur. Deriuari et ſolet ſuccus ex prelo in vaſa illi deſtinata per tubos plumbeos. Imo ſunt, qui tenui pomaceo ante tempus maturationis pomorum parato pondus plumbeum immittunt, quo acorem auertant, alii aceſcente pomaceo in ciſternam plumbeam illud transmittunt, prout alii eodem fine ceruſſam addunt. Vulgaris quoque mos apud Damnonios eſt, ſuccum mox expreſſum ante fermentationem, ad augendam efficaciam eius

et

et vt praecaueatur acori, decoquendi, id quod fit in ahenis, quorum ſuperior pars ex plumbo fabrefacta. In peculiari familia ad coërcendam fermentationem pomacei in vſu fuit, ſaccharum ſaturni immittere, vt alias funeſtas artes, etſi forſitan haud mala mente excogitatas, pomaceum corrigendi, taceam. Qui nihilominus tamen, vno vel altero horum dictorum modorum, aliquid plumbi in valetudinis detrimentum, liquorem hunc ingredi negant, hoſce redarguunt experimenta, atramento ſympathetico et tinctura ſulphuris volatili inſtituenda, item ea, quibus verum plumbum malleabile fuſione elicitur. Qua reductione plumbi praeſentia eius in pomaceo tutiſſime detegitur (BVCQVET *in Hiſt. de la Societé de Medecine à Paris Vol.* 1. *p.* 356.)

Aliud vero pomaceum, plumbi expers et bonae notae, vini ex vuis aemulatur vires et ſalubrem potum conſtituit. Scorbutum naualem nominatim coërcet efficaciter, vlceribus eiusdem foedis breui medetur, et putredinem gingiuarum foetidiſſimam omnino tollit, quin plurimi teterrimis vlceribus obſiti et ſcorbuto fere confecti hoc ſolo potu valetudini reſtituti ſunt (HVXHAM *Oper. T.* 3. *p.* 72.). Aurantiorum adeo ſucco vi antiſcorbutica proxime venit (LIND *on ſcurvy p.* 150.) Compertum quoque,

que, ex quo in Anglia frequentior hic potus euaſerit, in oris maritimis tetram ſcabiem et horridam lepram pene euanuiſſe (HVXHAM. *l. c.*). Confert praeterea ad ſolutionem calculi vrinarii et ad praecauendam generationem materiae podagricae (LOBB *de diſſolv. calc. p.* 138.). Quod ad calculum dictum attinet, hic pomaceo immiſſus emollitur (*l. c. Exper.* 13. 14.). Ceterum pomaceorum eadem obtinet varietas, quae vinorum, vt alia auſtera ſint, alia acida, alia dulcia, vnde ſi remedii vires ex iis exſpectentur, ſelectus pro hac diuerſitate obſeruari debet.

Raro caſus incidit, quod poma in pharmacopoliis praeparationem aliquam ſubeant, ſed, ſi ab vſu cibario ad medicum transferantur, domi fiunt inde remedia facile parabilia. Duae praecipue varietates in hunc finem eliguntur: 1.) *Pomum Borsdorphianum*, mediae magnitudinis, ſcilicet diametri duorum pollicum, epidermidis flauae latere rubeſcentis, ſaporis dulcis; 2.) *Pomum rubellianum* L. *δ.* Malus ſatiua fructu ſanguinei coloris ex auſtero ſubdulci. TOVRN.

Aqua, in qua poma fuerunt cocta, loco potus conſueti bibita, pulmonum infarctus, vnde aſthma,

aſthma, eximie reſoluit, vt FLOYERVS (*Hiſt. of cold Bathing p.* 314.) in ſe ipſe expertus eſt. Ita et poma ab equis copioſe deuorata horum aſthma ſanauerunt (LOBB *de diſſolv. calc. p.* 134.). Phthiſeos adeo exſtitit vſus pomorum et eorundem aquae remedium (*l. c. p.* 136.). Emollitio calculorum, quam mox de pomaceo notaui, etiam contingit hiſce decocto pomorum immiſſis (*l. c. Exper.* 15. 16.), aegrius infuſo, plane non ſucco eorum adhibito (*l. c. p.* 51.).

Pomis vtimur aliquando, vt vehiculo aliorum remediorum, e. c. contra diarrhoeam duobus vel tribus pomis aliquid cerae inditur, vt in hiſce ſuper carbonibus liquefiat. Poma ſic eadem impraegnata ingeruntur (ROSENSTEIN *om Barnſjukd. p.* 76.). Pulpa pomorum quoque pilulae ingratiores celari poſſunt.

In ophthalmia, qualis ea poſt morbillos eſt, confert oculum inter linteum tenue obtegere cataplaſmate ſubcalido ex pomo rubelliano cineribus aſſato et poſt ablatam epidermidem ſeminaque, conquaſſato et mixto cum camphorae granis quinque et croci granis viginti (ROSENSTEIN *l. c. p.* 224.). Aliud haud multo diſſimile cataplaſma efficax fit

ex Pulpae pomorum eorundem Micae panis albi $\overline{aa}$ vnc. ij Florum Roſar. rubr. ac Samb. $\overline{aa}$ Pug. j Croc. Camph. $\overline{aa}$ gr. vj (DE HAEN *Rat. med. P. 9. p.* 243.). Vix vero opus eſt, hic admonere, eiusmodi topica raro ſufficere ad inflammationem diſſipandam, ſed ſimul ſaepe requiri purgationes antiphlogiſticas, venae ſectionem, reuellentia per veſicatorium, hirudines, ſetaceum, diaetam commodam; et rurſus caſus incidere, in quibus roborantia tam interna, quam externa, curationem abſoluunt; alios, in quibus referandarum obſtructionum imi ventris praecipue habenda eſt ratio; alios, in quibus acris fomes illuc delatus ſubigi debet.

Poma cum vino rubro Pontack in pultem cocta, et inter linteum tenue applicata, eximie incommoda ex haemorrhoidibus coecis mitigant (ROSENSTEIN *Apot. p.* 75.).

Extractum corticis Mali ſylueſtris, methodo Garayana paratum et aqua pluuiali deſtillata ſolutum, diu et ſanguinem et carnem bouinam contra putredinem munit, quin hac vi extractum corticis peruuiani longe ſuperat (BVCHHOLZ *chym. Verſuche über antiſept. Subſt. p. 96. ſq.*).

COMPO-

COMPOSITVM.

POMATA LABIORVM ROSENSTEINII (*Hus- och Reſeapot. p.* 75. 103.). Quum poma bonam huius pereximii vnguenti partem conſtituant, hoc loco eius notitiam dabo, digniſſimi, quod in quolibet pharmacopolio exſtet. Ipſe ill. Eques ſequentem eius formulam reliquit: Rc. Butyr. inſulſ. ℔ß Cerae citrin. Paſſul. mai. exacin. conc. Pomor. Borsdorph. exacin. conciſ. aa. ℥ij. Coque in vaſe figulino, donec guttula carboni candenti immiſſa crepitum non edat. Maſſa feruens forti expreſſione per pannum in vas, aqua Roſarum repletum, coletur, et refrigerata ab aqua hac liberetur. D. Virtutes longe plures poſſidet, quam titulus indicat, etſi omnino fiſſuris labiorum egregie medeatur. Intertriginem ex coryza ſanat. In ambuſtionibus ſuper linteum extenſa applicetur. Leuat haemorrhoidum coecarum moleſtias. Ad mollitiem et nitorem manuum foeminis conciliandam vix aliud auxilium exſtat aptius.

369.

Pharm. CYDONIORVM *Fructus; Semina.*

Pyrus Cydonia; foliis integerrimis, floribus ſolitariis. LINN. *Spec. plant. p.* 687. Μηλεα κυδωνια Graecis. Malus cotonea ſylueſtris. C. B. Haec ex oppido Cydone inſulae Cretae, ob hunc fructum celebri, in Europam translata, fruticis modo altitudinem attingit, nec niſi ob ſurculos aeſtimatur, quibus Pyri inſeruntur, humili ſtatura et flabelli forma placiturae. Cultura eandem nobilitauit, et in arborem mediocrem produxit, cuius duplex varietas in hortis colitur, ſcil. 1. Cydonia fructu oblongo laeuiori TOVRN. *Inſtit. p.* 632. Mala Cotonea maiora C. B. Gall. Coignier femelle, Germ. *Quittenbirn*, depicta ab ill. DV HAMEL in *Traité des arbres fruitiers fig. ad p.* 206. et REGNAVLT *Botan.* Le Coignaſſier. Huius fructus pyriformis eſt. 2. Cydonia fructu breuiore et rotundiore, TOVRN. *l. c. p.* 633. Mala Cotonea minora. C. B. Gall. Coignier male, Germ. *Quittenapfel*, depicta in DV HAMEL *Traité des Arbres et Arbuſtes Tab.* 83. Huius fructus pomiformis. Proſtat et alia 3. varietas: Cydonia latifolia luſitanica TOVRN. cuius fructus oblongus ſuccoſior et minus acerbus, ſed rarioris prouentus.

uentus. Propagatio Cydoniae facile fit per ſurculos, radices, ramos depactos et plerumque per ramulos truncis Pyrorum inſitos. Delectantur ſolo humido.

FRVCTVS, Malum Cotoneum CELSI, PLINII, Malum canum VIRGILII, igitur variae figurae, vmbilicatus angulis prominulis verſus vmbilicum, epidermide flaua lanuginoſa, carne firma flauicante. Praeſtat fructus pomiformis. Odorem fragrantem ſpirat, ſapor autem fructus crudi auſterus et acidus valde eſt, vt comedi non poſſit. Raro ſuccus expreſſus vſurpatur per cochleare vnum vel alterum refrigerii conciliandi cauſa et ad bilem nidoroſam corrigendam et putredinem mitigandam, ſicque nauſeam et vomitus, ex hiſce cauſis ortos, ſedandos. Multum acerbitatis in fructu perit, ſi in taleolos ſectus ſiccatur. Coctione vlterius auſtero ſuo ſapore exuitur, ſimul autem et grato odore, et miſcela varia vel ſacchari vel aromatum vel vtriusque tam vſui medico quam culinari aptus redditur. Quod ad fructum per ſe ſpectatum attinet, vis eius ad ea, quae de fructibus horaeis paullo ante dicta ſunt, referenda. Tranſeo artes iſtas varias eum vel ſaccharo vel aceto condiendi, Rob ſiue Miuam, Panem ſic dictum, Vinum, Elixirium inde

 paran-

parandi, quorum omnium expoſitionem largam dedit b. A MVNCHHAVSEN (*Hausvat. T.* 3. *p.* 327. *ſqq.*). Quaedam horum et menſae ſecundae et officinis communia ſunt, de quibus paullo poſt agam.

SEMEN oblongum, compreſſo angulatum, difforme, vno extremo obtuſum altero acutum, obductum cortice bruno, medulla alba. Scatet hoc ipſum mucilagine, quae coctione vel infuſione facile elicitur. Drachma eius vna cum ſex vnciis aquae decocta liquidum ſiſtit albumini ouorum aemulum; ex duabus drachmis ſeminum valde ſpiſſum euadit. Inſpiſſatione in extractum denſatum ponderis integri fere dimidium efficit (LEWIS *mat. med. p.* 247.). Aliis haec mucilago gratior eſt. In ſoluendis rebus variis tenacibus et difficulter ſolubilibus propius accedit ad vim Gummi arabici, vt exemplo Gummi ammoniaci conſtat, quod perfecte ſoluit; Galbanum autem modo imperfecte ſubigit (BVCHHOLZ in *nov. Act. nat. cur. T.* 5. *p.* 51. 53.). Ab Arabibus primum hoc ſemen in cenſum medicaminum relatum. Rarius mucilago per os, ad acres humores inviſcandos et dolores faucium et primarum viarum ab eroſione natos leniendos, aqua diluta ingeritur. Crebrius externe adhibetur ad fiſ-

ſuras

ſuras labiorum oris conſolidandas, eas adeo, quae cancrum minantur, et alia commoda eludunt (HEISTER *Diſſ. de Cydoniis p.* 59.) vel fiſſuras papillarum, in ambuſtione membrorum, inflammatione oculorum, haemorrhoidibus coecis. Illinitur quoque vtiliter poſt delapſum aphtharum, locis, quibus antea inhaeſerunt, vel ſola vel in connubio ſyrupi Sedi maioris (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p.* 45.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ROB CYDONIORVM. *Ph. Würt. p.* 163. GELATINA ſ. MIVA CYDON. *Ph. Edinb. p.* 67. Ex ſucco fructus et ſaccharo ad ſpiſſitudinem ſuetam coctis. Eximie refrigerat; hinc et in profluuiis aluinis haud ſpernendum.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 209. Differt a praecedente, proportione et inſpiſſationis gradu. Vis aemula.

SYRVPVS. *Ph. Lond. p.* 79. Magis compoſitus ex ſucco Cydoniorum, aromatibus variis, vino rubro et ſaccharo. Gratus, analepticus et nonnihil adſtringens.

PANIS CYDONIORVM CVM AROMATIBVS. *Ph. W. p.* 134. A piſtoribus dulciariis potius quam pharmaco-

macopolis parari ſolet, quum cupediarum genus ſit ex pulpa Cydoniorum ſaccharo et gratis aromatibus conſtans, et menſae ſecundae et placentulis variis praeprimis deſtinatum. Si aromata omittantur, in febribus etiam locum habet, nominatim ſignificatis. In horum vero miſcela ſtomachicum eſt, et ad profluuia aluina ſiſtenda idoneum.

TINCTVRA MARTIS CYDONIATA. *Ph. W. p.* 228. OPIVM CYDONIATVM PER FERMENTATIONEM. *Ph. W. p.* 94. ſuis locis conſiderantur.

MESPILVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 388. *Gen. pl. p.* 251.

370.

Pharm. MESPILI *Fructus; Semina.*

Meſpilus germanica; inermis, foliis lanceolatis, ſubtus tomentoſis, floribus ſolitariis ſeſſilibus. LINN. *Spec. pl. p.* 684. *α.* Meſpilus germanica, folio laurino non ſerrato. C B. Folia mox inaequaliter quoad totum marginem vel apicem verſus ſerrata, mox integra ſunt in eadem arbore abſque vllo eorundem aetatis reſpectu. Conf. DV HAMEL *Arbres fruitiers T. I. p.* 327.

Tab.

Tab. 2. Neflier des Bois. MAYER *Pomona Francon.* *T.* 2. *p.* 45. *Tab.* 1. 2. REGNAVLT *Botan.* Le Neflier. *β.*) Meſpilus folio laurino, maior. C. B. Conf. DV HAMEL *l. c.* *Tab.* 3. Neflier à gros fruit. Arbor Europae auſtralioris, in dumetis mediocri ſtatura creſcens. Spontanea ſpinis inſtruitur, quibus ſatiua caret.

Propagatur haec inſitione ſuper Cydonia, Pyro, vel Meſpilo fera aliisque affinibus inſtituta, idque fructus cauſa, qui, cultura ſi ſicco loco fit, palato gratior, etſi minor euadit, quam ſolo humido.

FRVCTVS bacca eſt ſubrotunda, in maiori Varietate ſeſquipollicis fere diametri, calycis reſiduis laciniis conniuentibus coronata, ſemina quinque oſſea recondens. Color eius viridi brunus. Sapor immaturi acerbus et compages ſubdura, frigore autem poſtquam tactus fuerit, dulceſcit cum acore, mollieſcit in putridam fere ſubſtantiam eandemque ſubbrunam, et edi poteſt crudus. Quae eadem frigoris in maturandis vegetabilibus vis apparet in fructu Pruni ſpinoſae, Dioſpyros virginianae, in foliis Braſſicae ſabellicae L. Alii, poſtquam decerpti fuerint fructus, eos per ſtrata ſepo-

 nunt,

nunt, donec mora molleſcant. Haud pauci tamen ſunt, quorum palato non ſatis placent.

Officinae ſeruant eosdem in clibano ſiccatos, qui ipſi manifeſte adſtringentes ſunt. Immaturi in diarrhoea ſiſtenda aliquando valuerunt, huiusque efficaciae memorabile producitur exemplum de homine, in quo nulli remedio auſcultauit morbus, ſanato dein mane comeſtis his fructibus immaturis (BOERH. *Hiſt. plant. L. B. P.* 2. *p.* 410. Conf. RAII *Hiſt. pl. p.* 1460.). Sed hodie praeſtantioribus pro eodem fine vtimur.

SEMINVM, quae oſſea exiſtunt, valuae oblongae, aſperae, ſunt. Horum in puluerem contritorum haud exigua olim in calculo renum et veſicae ſoluendo fuit fides, iudicibus MATTHIOLO, AGRICOLA, BRASSAVOLO aliisque, quorum mentionem iniicit IO. BAVHINVS (*Hiſt. pl. Tom. I. p.* 71.). Sed deferbuit haecce laus, quam ipſe BAVHINVS pro merito redarguit.

SORBVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 388. *Gen. pl. p.* 250.

371.

Pharm. SORBI AVCVPARIAE *Baccae.*

Sorbus aucuparia; foliis pinnatis vtrinque glabris. LINN. *Spec. pl. p.* 683. Sorbus ſylueſtris, foliis domeſticae ſimilis. C. B. Icon: IO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Arbor, in Europae frigidioris ſyluis frequens, nec fugiens calidius clima.

In ambulacris placet ob celere incrementum et elegantiam, quam et frondes in coronam congeſtae et floris baccarumque venuſtas praeſtant. De cultura et eius vſu vario oeconomico legi poterit commentatio cl. DÖBEL (in *oeconom. Nachrichten Vol.* 7. *p.* 845. *ſqq.*). *Lignum* eius valde durum, vt cochleis adeo prelorum et molendinorum opificiis, rotarum radiis, temonibus et eiusmodi aliis idoneum ſit.

BACCAE vero hic potiſſimum in cenſum veniunt. Hae ſubrotundae, coccineae, nitentes, piſo maiores, ſupra planae, villoſae et quinque laciniis notatae, autumno matureſcentes, ſeminibus tribus, quatuor, quinque, foetae. Caro earum ſucco luteo ſcatet.

ſcatet. Turdorum carnem ſapidam reddunt, nec mediocre eorundem delicium conſtituunt, vnde et ad illaqueandos eosdem ramulus baccis aliquot inſtructus prope anſam appenditur. Hominibus ſapor itidem gratus, ſed recentium acido amarus. Imo pluribus ingeſtis vomitus cietur (RAII *Hiſt. pl. p.* 1457.). Succum hydragogum eſſe, in Anglia compertum, vbi Wallis, praecipue ad ſcorbutum ſanandum pro diaeta purgante, olim ſaltim frequenti in vſu fuit (NEEDHAM apud RAIVM l. c.) Succus ex baccis expreſſus et in Sapam vel Rob coctus, (V. eius praeparatio in *oecon. Nachr. Vol.* 7. *p.* 851.) caſu ſingulari in foemina haemorrhoides tumidas et dolentes, in vices fluxus menſtrui ſuccedentes, leniuit et diſſipauit (LEDEL. in *Eph. nat. cur. Dec.* 3. *Ann.* 4. *Obſ.* 50. *p.* 131.) Alio caſu idem Rob ſtranguriam iuuenis ſanauit doloroſiſſimam, poſt alia bene multa fruſtra tentata (HENNICKE in *nov. Act. nat. curioſ. Vol.* 2. *p.* 215.).

Fermentatione baccarum maturarum ſpiritus eruitur inflammabilis parca quidem quantitate ex baccis frigoris vim nondum expertis, vnde et cuidam (EHRHART *oekon. Pflanzenhiſt. P.* 5. *p.* 151.) in hunc finem locis, penuria foci laborantibus, non commodae ſatis habitae ſunt. Verum vberior longe ſpiritus huius prouentus contingit ex baccis frigore

gore ſubactis, ita vt ex hiſce triplo maior eiusdem quantitas eliciatur (VON AKEN, pharmacopola Suecus, in BERG. *mat. med. p.* 416. Conf. de ſpiritu vini ex hiſce baccis DÖBEL *l. c. p.* 860.).

Baccae ſiccae adſtringunt. De hiſce intelligo cel. BERGII (*l. c.*) laudem in calculo renali, cuius incommoda baccis decem vel pluribus ſemel vel bis de die deglutitis leuata pluribus factis experimentis feruntur.

PRVNVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 385. *Gen. pl. p.* 249.

372.

Pharm. CERASORVM RVBRORVM ACIDORVM *Fructus; Stipites.*

Prunus Ceraſus; vmbellis ſubpedunculatis, foliis ovato-lanceolatis glabris conduplicatis. LINN. *Syſt. veg. p.* 386, Var. *n*, *auſtera.* L. Ceraſus acidiſſima ſanguineo ſucco. C. B. Arbor.

Ceraſus multis fructuum varietatibus ludit, quae diſcrepant colore epidermidis cereo, rubro, vel vtroque ſimul, nigro; ſapore dulci, acidulo, acido; carne vel ſuccoſiori vel duriori; colore ſucci multiplici; magnitudine mox inſigniori mox exiliori; figura

figura rotunda vel ſubcordata (niſi haec figurae diverſitas vna cum compage diuerſa optimum diſcrimen ſpecificum inter Prunum Ceraſum et Prunum auium L. ſuppeditet.). Pedunculus inſuper mox breuior, mox longior eſt. Item proceritatis arbor variae, non facile in flabella diſtrahenda et tenſionis impatiens. Taceo luſus naturae varios in floribus fructibusque aliquando conſpicuos. Ad harum varietatum vel plures vel pauciores deſcriptione vel delineatione cognoſcendas ſubſidia afferunt notiſſima HAMELII (*Arbres fruitiers, Tom. I. p.* 153. *ſq.*), MVNCHHAVSII (*Hausvater T.* 3. *p.* 338. *ſqq.*) MAYERI (*Pomona Francon. Tom.* 2. *p.* 1. *ſqq.*) opera. Propagatio fit vel per ſemina, vel, quod praeſtat, per inoculationem. Inſitio ſurculorum aegrius ſuccedit. Quaenam varietatum naturae ipſius opus, quaenam artis, dictu difficile. Nec minus implicata res eſt, originem arboris primam perſequi et tempus, quo in Europam pervenerit. Ex Ceraſunte, vrbe Ponti, creditur nomen ſuum duxiſſe (ATHENAEI *Deipnoſoph. Lib.* 2. *p.* 51.). Certe ibidem in collibus TOVRNEFORTIVS (*Voyage du Levant T.* 2. *p.* 98.) Ceraſos ſponte creſcentes vidit. PLINIO (*Hiſt. Lib.* 14. *c.* 25. *p.* 684. DALECH.) ſi fides, a LVCVLLO poſt victoriam ſupra MITHRIDATEM deportatam anno Romae conditae 680. ex Ponto in Italiam primum translata fuit, vnde annis 120 poſt

in

in Britanniam per oceanum transmigrauit. In Graecia tamen longe ante cognita fuit, vtpote quum iam DIPHILVS SIPHNIVS, qui ſub LYSIMACHIO, vno ex ALEXANDRI magni ſucceſſoribus vixit, eius mentionem fecerit (ATHENAEVS *l. c.*). Iam varietates quaedam ſponte in ſyluis Europae temperationis variis locis creſcunt. De iſta acidiſſimo ſucco deſignat ill. AB HALLER. (*Hiſt. helv. n.* 1083.) Heluetiae varia loca. Plura diſcrimina culturae debentur.

Lignum tornatoribus et fabris ſcriniariis vtile, flauo-rubrum.

Sed manendum in conſideratione FRVCTVS, quae drupa eſt, in dicta Varietate globoſa rubra, carne acida, intra quam nux rotunda ſubcompreſſa latet, cuius nucleus albus amaricans. In virtute Ceraſorum quorumlibet reſpiciendum ad ea, quae in vniuerſum ſupra de fructibus horaeis dicta ſunt. Singulae ſpecies ſitim refraenant, aeſtum temperant, putredinem coërcent, blande reſoluunt. Hinc in febribus acutis, ſcorbuto, biliosa colluuie, obſtructionibus viſcerum, haud mediocris efficaciae. Largius comeſtae itidem aluum lubricant, et lotium pellunt. Pertinent huc, quae ſupra ſub Fragaria (*n.* 358.) de vſu eorundem largo in mania memoraui. Diſplicent acida iſta *auſtera*, cruda ſi guſtan-

guſtantur. Reliquis tamen omnibus facultate medica palmam facile praeripiunt. Additamento ſacchari vel et aromatum gratiam adſciſcunt eam, vt et fercula varia conſtituant. Siccantur nimirum pro iuſculis et acetariis, vel condiuntur ſaccharo, item aceto additis aromatibus, pro acetario. Reficiunt eiusmodi iuſcula in febribus egregie; tenuius conſueti potus loco eſſe poteſt. Succus Ceraſorum horum expreſſus, in Rob vel absque ſaccharo vel cum eodem ſpiſſatus, embammatibus, placentisque addi ſolet; nec minus vino, quo fine nuclei ſimul contundi debent. Hoc vino extemporaneo praeſtat aliud infuſione Ceraſorum nucumque conquaſſatarum cum vino paratum, cui ſub infuſione ſaccharum et Cinamomum gratiae cauſa admiſcetur. Haecce praeterea Ceraſa, vt alia, ſpiritum ardentem fermentatione erogant. Quae pharmacopolia ex hiſce praeſtant, mox indicabo.

STIPITES ſiue pedunculi fructuum infuſum ſuppeditant ſatis gratum et in catarrho inueterato debellando proficuum (TISSOT *Avis au peuple p.* 177.).

PRAEPARATA.

ROB CERASORVM. *Ph. Würt. p.* 163. Addi debuiſſet nomini vox *acidorum*. Ex ſucco fructus

et

et ſaccharo in legitimam denſitatem coctis. Tam ob gratiam quam virtutes ſupra dictas crebro in febribus in ſalium mediorum ſodalitio mixturas ingreditur. In ptiſanis pariter tum vſitatis eiusdem connubium ob vtrumque ſcopum commendabile.

SYRVPVS CERASORVM ACIDORVM. *Ph. W. p.* 206. Differt a Robe fluiditate, aemulus ceteroquin ſuauitate et efficacia.

373.

Pharm. CERASORVM NIGRORVM *Fructus; Gummi.*

Prunus auium; vmbellis ſeſſilibus, foliis ouato-lanceolatis, ſubtus pubeſcentibus, conduplicatis. LINN. *Syſt. veg. p.* 386. Ceraſa actiana PLINII. Ceraſus maior ſ. ſylueſtris, fructu ſubdulci nigro colore inficiente. C. B. Ceraſus ſylueſtris fructu rubro et nigro. I. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Meriſier. Conf. MAYERI *Pomona Francon. Tom.* 2. *p.* 28. *Tab.* 7. Groſſe ſchwarze Waldkirſche. Arbor procera, in ſyluis, ſepibus et triuiis Europaeis, regionum adeo magis ſeptentrionalium frequens. Ad diſſeminationem haud parum aues conferunt, quae fructus auidiſſime ingerunt.

Trunci huius tenelli in plantariis praeferuntur reliquis, ſi delicatiores Ceraſi inoculandi vel inſerendi ſunt, quippe quum iſtis et incrementum celerius et duratio longior competat. *Ligni* idem, quod de priori ſpecie dixi, pretium.

FRVCTVS nonnihil oblongus carne ſicciori, nuce grandi. Crudus dulcedine ſua et hominibus placet. Vires eiusdem ex ſupra dictis erui poſſunt, quarum tamen quaedam nouae encheireſi varia emergunt. Fermentatione nempe vinum ſapidum et generoſum largitur. Item ex ſucco cum ſpiritu vini et ſaccharo Ratafia grata paratur. Spiritus tamen inflammabilis, qui fermentatione et deſtillatione elicitur, maioris pretii eſt, vna cum reliquis praeparatis mox curatius conſiderandis.

Nucleus et ſapore et odore ad folia Lauroceraſi accedit.

GVMMI flauo rubellum eſt, ſponte exſudans ex cortice. Ad praecedentem ſpeciem LINNEVS (*M. m.*) illud retulit, etſi, quoad ſciam, crebrius ex hac exundet. Morboſum hocce effluuium rarius contingit in iuniori arbore, niſi ſolo nimis ſuccoſo fruatur, frequentius in vetuſtiori, quae iactura probi ſucci arborem manifeſte eneruat et ſenſim deſtruit. Aqua in mucilaginem diffluit, naturae ceteroquin ejus-

eiusdem ac Gummi arabicum, de quo ſupra (*Tom.* 2. *p.* 406. *ſqq.*) iam actum, quod et inuoluendo acria, emolliendo, lubricando, in dyſenteria, ſtranguria, doloribus a calculo rel. aemulatur.

PRAEPARATA.

AQVA CERASORVM NIGRORVM. *Ph. Würt. p.* 7. *Dan. p.* 126. *Suec. Ed.* 2. *p.* 56. Ex carne fructuum cum nucleis contuſa, addita aqua, deſtillatur. Grata atque reficiens. Creberrime licet olim praecepta et etiamnunc hinc inde hodie pro vehiculo in mixturis: ſuſpecta tamen euaſit apud multos, quin excluſa ex pharmacopoeis Anglicis, ex quo conuenientiam cum aqua foliorum Laurocerafi et odor et ſapor et experimenta in brutis edocuerunt. Eiusmodi a medicis quibusdam Worceſterienſibus capta ſunt. Sed ſciendum, ad haecce valde ſaturatam fuiſſe adhibitam et, quantum intelligo, ex ipſis modo nucleis contuſis Ceraſorum (Cherry-ſtones) deſtillatam; nam ex quatuordecim libris nucum earundem duae modo pintae aquae h. e. vnciae triginta duae elicitae (*New Diſpenſatory p.* 366.). *Pharmacopoea Würtenb.* duplum aquae expoſcit, et ex qualibet libra fructus totius vnam aquae euocari iubet. *Pharmacopoea Suecica* tantum modo aquae adiiciendae requirit, quantum ſufficiat ad empyreuma euitandum, et pondus Ceraſis aequale excipulo tradit.

O 2 Prout

Prout vulgo in officinis proſtat, valde diluta, non facile metum conuulſionum in tenellis exoriundarum iniiciet, licet MEADIVS (*de venen. in Oper. T. 2. p.* 196.) aliter ſenſerit. Ex Amygdalis vero amaris ſimilem aquam parare inuentum, vituperio tanto dignius eſt, quum valetudini officiat.

SPIRITVS. *Ph. W. p.* 190. Ex fructibus vna cum nucleis contuſis, qui poſtquam per cereuiſiae feces fermentationem ſubierint, deſtillationi ſubmittuntur. Rectificatione exſurgit liquidum a ſpiritu vini Gallico efficacia vix differens; Helvetis acceptiſſimum. Aetate et gratior et fortior hic ſpiritus euadit. Adulteratur aliquando deſtillatione ex Prunis. Verus in miſcela ſucci Citri, ſacchari et aquae aemulatur notiſſimum potus genus, Punch dictum (ZIMMERMANN *Erfahr. P.* 2. *p.* 314.)

SYRVPVS. In officinis plerisque ob ſuauitatem ſaporis praecipue obuius, quo ipſo corrigit alia, palato alias aduerſa.

374.

Pharm. LAVROCERASI *Folia.*

Prunus Lauroceraſus; floribus racemoſis, foliis ſemperuirentibus dorſo biglanduloſis. LINN. *Spec. pl. p.* 678. Lauroceraſus CLVS. *Hiſt. pl. rarior. p.* 4. cum icone. Ceraſus folio laurino. C. B. DV HAMEL *Traité des arbres Tab.* 133. ramulum cum aliquot fructibus absque florum racemo depinxit. BLACKWELL *Herbal, Ed. Germ. Tab.* 512. Arbor, prope mare nigrum ſponte creſcens, Trapezunte a. 1576 miſſa. In Gallia et Anglia hiemem probe fert, ibidemque lucos arte inſtructos elegantia frondium et racemorum exornat. Sed in Germania et ſeptentrioni propius in frigidariis inter heſperides hieme ſeruari debet. Rarius tamen in hiſce regionibus floret.

Tam flores quam FOLIA ſaporem Amygdalarum amararum vel nucleorum Perſicae habent. Folia ſuccoſa praeterea amaritiem inſignem produnt, et, contrita digitis, fragrantiam, quae dictis nucleis ineſt, ſpargunt. Puluis eorundem ſternutationem mouet, etſi lente, tam vero fortem, vt, qui Nicotianae puluere prae conſuetudine non affecti, hocce tamen naribus attracto concutiantur (*Matiere medica-*

dicale extraite des meilleurs auteurs Tom. I. *p.* 242. ex cenſura huius libri, quem mihi iam legere non ſuppetit, in *Comm. de reb. Lipſ. Dec.* 3. *Suppl.* I. *p.*50.). Immergi ſolent folia lacti feruenti, vt hocce iſtorum aromate imbutum, infuſum Theae, decoctum Coffeae variaque fercula, quae lactis vel eius cremoris connubium requirunt, magis deliciosa reddat. Scio, hunc morem etiamnum hinc inde in Germania v. c. in Franconia inualere. Quin aqua ex iis deſtillata in Britannia a matribus familias vel coquis eodem fine variis ferculis indita: prout bibonibus ibidem frequenti in vſu fuit, ſpiritui vini quartam partem aquae Laurocerasi addere (MADDEN in *Phil. Tranſactions Vol.* 37. *p.* 85.). A quibusdam haec aqua loco aquae Ceraſorum vendita (BAYLIES, auctor libri *pract. Eſſays on medical ſubiects p.* 33.). Alii baccis arboris loco Ceraſorum ſpiritum vini impraegnarunt, vt inde Ratafiae ſpeciem pararent (MORTIMER *Phil. tranſ. l. c. p.* 173.). Valet hoc de nucleo fructus, qui ſapore et vi aemulatur folia; nam pulpoſa eius pars nihil mali prodit et auibus in deliciis eſt. Quod ad dictam cum lacte miſcelam attinet: mox conſtabit, quidnam virium lacti ad infringendum virus Lauroceraſi inſit. Attamen lac cum vno vel duobus foliis coctum aliquando turbas inſignes excitauit (INGENHOVSZ *Experiences ſur les vegetaux p.* 233. *not.*). In ſpiritum vini autem eam

virus

virus hoc eneruandi facultatem non cadere et, etiamſi vnus vel alter hauſtus ſpiritus ſic impraegnati non ſtatim necem afferat, continuato tamen vſu valetudinem labefactari et mortem accelerari, extra dubium eſt. Fuit vir, qui cum vxore ſua drachmam vnam et alteram ſpiritus baccis hiſce infuſi quotidie per aliquot annos bibit, ſed ambo coniuges, poſt loquendi impotentiam per aliquod tempus praegreſſam, paralytici interierunt (MORTIMER *l. c.*).

Turbata maxime ſecura damni libido, poſtquam experimentis tam in hominibus caſu factis, quam aliis, captis ſtudio deditaque opera in brutis, virus ineſſe foliis, paucis aliis venenis nequitia cedens, euictum fuerit. Atque hoc ipſum anno primum 1728. Dublini metum incuſſit, quum duae ibidem foeminae, quibus tanquam cardiacum aqua eorum deſtillata ab ancilla fuit oblata, breui inde perierint. Vna harum biberat eius drachmas circiter decem cum ſcrupulis duobus intra horam, poſt moleſtias ventriculi et loquelae iacturam absque vomitu vel alui deiectionibus et absque conuulſionibus obiens; altera, vt innocentiam aquae proprio exemplo teſtaretur, primum cochlearia duo potauit, ſed vix ſellae impoſita absque vllo planctu et conuulſionibus interiit. Iterum alia mulier biberat eius paullulum ſupra cochleare, at ſine vllo damno, vomitorio vſa,

vt omni periculo praeuerteret. Fuit iuuenis, qui loco ptiſanae caſu ampullam aquae Lauroceraſi plenam arripiens eius portionem etſi non definiendam ore hauſit, ſed intra pauca temporis minuta prima, ſtomacho grauiter affecto, viuere deſiit (MADDEN *l. c.*). Exhorreſcit autem humana mens, quod haec aqua adeo ſcelerato ſcopo a Capitaneo quodam Anglo DONELLAN, hereditatis cuiusdam amplae acquirendae cauſa, clam mixturae cuidam medicae affunderetur, eo euentu, vt intra horae fere quadrantem poſt conuulſiones praegreſſas oculis fixis, maxillis compactis et ſpuma ante os protruſa, affinis eius, iuuenis vita decederet. (*London Chronicle* 1781. *n.* 3797.). Eodem veneno, ex copia aquae, repetita deſtillatione in pintae vnius menſuram (h. e. vnciarum ſedecim) concentratae et epotae, ineunte Auguſto a. 1783, famoſus iſte auri a ſe transmutatione mercurii viui producti iactator Anglus, PRICE, mortem ſibi conſciuit (cel. LICHTENBERG ex litt. Londino miſſis in *Gött. Magazin, Ann.* 3. *P.* 6. *p.* 886.).

In venenum tam praeſentaneum tamque, ob ipſum nocendi modum, mirum curatius inquirere res omnino fuit phyſicorum indagine digniſſima. Praeſtitum hoc vel maxime ſuſceptis in brutis experimentis, quorum haud pauca induſtriae cll^{rum} MADDEN,

MOR-

MORTIMER (*loc. citt.*) NICHOLLS apud MEADIVM, LANGRISH (*Philoſ. Experiments upon Brutes, to which is added a courſe of Experiments with the Lauro-ceraſus*, quem librum legere mihi non contigit) VATER (*Diſſ. de Lauroceraſi indole venenata Vitt.* 1737. EIVSD. *Progr. de olei animalis efficacia contra hydrophobiam et veneno Lauroceraſi*, 1740.) DV HAMEL (*Traité des Arbres et Arbuſtes Tom. I. p.* 347.) RATTRAY (in *London Chronicle loc. cit. p.* 316.) et nouiſſime acutiſſimi ingenii viri FONTANAE (in *Phil. Tranſactions Vol.* 70. *P. I. p.* 210. *ſqq.* item in EIVSD. *Traité ſur le venin de la vipere, ſur les poiſons Americains, ſur le Laurier-Ceriſe rel. Tom.* 2. inde a *pag.* 125.) debemus. Et horum quidem pleraque aqua ex foliis deſtillata inſtituta ſunt; quae, quo ſaturatior eſt, eo plus virium habet. Ad eiusmodi obtinendam repetita ex nouis foliis probe ſiccatis et conciſis deſtillatio ſ. cohobatio, praecipue apta eſt viſa. Lactea eſt haecce initio, ſed oleo per alembicum ſimul transgrediente ſeparato inſtar vulgaris aquae clara fit. In menſuris aquae tribus drachma vna circiter olei ponderoſi, oleum Oliuarum colore referentis, fundum petiit, ſed conquaſſatione aquae connubium iniuit (NICHOLLS *l. c. p.* 193.). Multo vero nocentior fit haec aqua et tanto certius necem affert, ſi deſtillatione in balneo Mariae prodiit (FON-

TANA in *Phil. Tranſact. l. c.* ad quem librum ſpeciatim reſpicio). Ingenioſa ill. FONTANAE (*l. c.* et *p.* 220.) coniectura eſt, fore vt repetita cohobatione formam concreti olei induat, ſub qua hocce reliqua omnia venena vi ſuperaturum arbitratur. Ponderis multum haecce ſententia obtinet experimento cl. NICHOLLS, quo ipſo canis decem guttis olei rubri intra ſemihorium necatus exſtitit (*l. c. p.* 195.). Virulentum quidem etiam eſt infuſum foliorum, ſed longe debilius, vt et longe maiori quantitate eius quam aquae opus eſſet, antequam ſymptomata paullo poſt recenſenda ſeſe exſererent, et animal poſtea ad ſeſe rediret (MADDEN *l. c. p.* 93.). Succus pariter ex foliis expreſſus debilior, repetito tamen praebio necans (*l. c. p.* 94. *ſq.*). Aquae igitur deſtillatae efficaciae iam inhaerendum. Atque hacce maligne afficiuntur vel necantur animalia, tam calido ſanguine inſtructa, vt canes, qui plerisque experimentis ſubiecti, variae aetatis et diuerſitatis, equi, cuniculi, columbae; quam frigidum ſanguinem vehentia, quae ipſa adeo, contra naturam reliquorum venenorum citius, quam prius dicta inde pereunt, cuius rei documenta praecipue anguillae dedere (FONTANA *l. c. p.* 214.). Celerius quidem et efficacius vis deleteria ſeſe manifeſtat aqua hacce per os animalis, quam per alias vias, immiſſa. Non multum tamen differt vehementia, quae ex iniectione aquae per anum conſequitur

(MAD-

(MADDEN *l. c. p.* 89. *ſqq.* MORTIMER *l. c. p.* 166. FONTANA *p.* 211.). Plurimi effectus ſeſe in muſculos exſerunt, primum conuulſiuis motibus, tum relaxatione paralytica. Variare iſtos pro quantitate diuerſa aquae, pro efficacia eiusdem arte aucta, item pro aetate et magnitudine animalis, tanto facilius elucet, quum hoc plerisque venenis per os ſumtis commune ſit. Si parciori quantitate ingeritur, conuulſiones cientur mox fortiores mox debiliores, inter quas ſubinde caput ad ipſam caudam retrahitur; tum artus poſteriores motus potentia priuantur, poſtea anteriores, hinc titubando animal incedit, ſerius perit motus in ceruice et capite, quae partes contra vndique motitantur. In hocce ſtatu auditu tamen et viſu percipit obiecta, et artus vel punctos vel preſſos agitat. Quaedam animalia vomunt, alia aluum deiiciunt, vel vberius mingunt. Inter haecce difficulter reſpirant. Si aqua haec magna quantitate exhibetur, breuiſſimo temporis ſpatio necem affert absque conuulſionibus, corpusque relaxatum apparet. Tanta autem velocitate operatur hoc venenum, vt vix illud videatur ventriculum attigiſſe, quum iam animal male habeat. Canis mediae magnitudinis intra dimidium temporis minutum primum ex vnciis duabus aquae ori ingeſtis periit (NICHOLLS *l. c. p.* 193. Conf. RATTRAY *l. c.*). Cuniculi eiusdem ſtaturae, inſtillatis modo

modo cochlearibus duobus pro Thea conuulſi ceciderunt intra triginta ſecundas, et interierunt intra minutum pr. temporis (FONTANA *l. c. p.* 211.). Columba a drachma dimidia fortioris aquae momento exſpirauit (VATER *diſſ. cit. p.* 15.). Cochleare vnum ſufficit necando cani grandi (DV HAMEL *l. c. p.* 347.). Equa, aetate prouecta, ex pinta vna et dimidia mox cecidit, et per quindecim minuta prima conuulſa periit poſt varia tentamina ſeſe in pedes erigendi, quod tamen nonniſi anterioribus fieri potuit ob paralyſin poſteriorum (RATTRAY). Paullo diutius ſuperuixit ſimili fere doſi equus praeuiis etſi ſimilibus paralyſeos pedum documentis (IDEM.). Doſis, qua nocet aqua Lauroceraſi, ex hiſce quodammodo definiri poteſt. Valde exigua portione tamen non nocet, e. c. gutta exigua minuto animali data.

Quae ex immiſſa hac aqua necantur animalia, in horum ventriculo nulla inflammationis veſtigia occurrunt, ſed muco ille obducitur ſpiſſiori. Venae in hiſce ſanguine diſtentae ſunt, pulmonesque inflammati, dura mater et cortex cerebri pariter turgent, arteriis contra vacuis. Atque haec praecipua et perpetua ſunt. Sanguinis craſis in cadaueribus non ſemper eadem. Coagulari illum ali-

quando

quando apparuit (MORTIMER *l. c. p.* 165. 169. 170.). Alio exemplo perſtare in conditione ſua naturali (*l. c. p.* 171.). In quibusdam ſanguis tam fluidus fuit, vt etiam lympha in ſuis vaſis eodem tingeretur (NICHOLLS *l. c. p.* 192.). Non poteſt igitur fluxilitas ſanguinis tanquam perpetuus huius veneni effectus, vt quidem VATER (*l. c. p.* 24.) arbitratur, conſiderari.

Haecce aqua per vulnus applicata conuulſiones et mortem pariter ciët; vt exemplo cuniculi patet, cui per abdominis integumenta vulnerato, inciſis quoque muſculis ſubſtratis variis locis duo vel tria aquae huius cochlearia pro Thea inſtillata, cum quo euentu alia experimenta ſimilia in brutis calidi ſanguinis capta congruunt (FONTANA *l. c. p.* 213.). Mirum vero omnino eſt, vim aquae huius, per venam iugularem externam in maſſam ſanguineam immiſſae, exiguam vel nullam eſſe. Ex drachma enim eius cani femellae iniecta conuulſiones quidem vehementes ſubortae, per quinque minuta temporis prima durantes, ſed rediit ſenſim ad ſe cum conſtantia (MADDEN *l. c. p.* 91.). Cuniculis autem per eandem venam ſyringae ope a guttis quinque ad integrum cochleare pro Thea immiſſa nullum plane detrimentum attulit, ſed hi priſtinum vigorem

ſerua-

ſeruarunt (FONTANA *l. c. p.* 217.). Ita et fruſtra metuitur, ne quid mali animali acceſſurum ſit ex applicatione eius ad ipſum neruum vel eius adeo medullam facta. Nam neruo iſchiadico ſoluto huicque, poſt inciſiones varias longitudinales, ope Goſſypii aqua Lauroceraſi applicata, nulla plane efficaciae eius indicia conſpecta (FONTANA *l. c. p.* 215.); vnde eruitur, eam non vim ſuam exſerere in neruos, etiamſi immediate iisdem admiſſam. Horum igitur attenta inter ſeſe comparatione probabile ſit, irritabilem muſcularium fibrarum vim praecipue ab hocce veneno affici; idque tanto magis, quum ipſe cordis motus in enecato nuperrime animali elanguesſcat. Quicquid ſit, explicare nequit, cur potiſſimum noceat per os hauſtum, quum tamen vulnus amplum longe plura vaſa pro reſorptione veneni, quam os vel ventriculus, offerat. Non obſtat tamen venenata natura, quin folia haecce ſoli radianti expoſita ſalubrem aërem exſpirent (INGENHOVSZ *Experiences ſur les vegetaux p.* 233.).

Memoranda quoque ea, quae infringendi hoc venenum potentiam habent. Supra iam indicatum, foliis in lactis connubio multos homines impune fuiſſe vſos. Sine dubio horum haud pauci ob exiguam quantitatem, qua virus aſſumtum, eius nequi-

nequitiam eluſerunt; prout quidam et ſpiritum vini eo imbutum abſque noxa potarunt. Non fidendum tamen lactis miſcelae, ſiue copia veneni peccet, ſiue diatheſis corporis peculiaris ſimul in culpa ſit. Fuit medicus, qui cum contubernali ſuo menſuram lactis tribus vel quatuor foliis Lauroceraſi infuſi cum Thea bibit, eo euentu vt ſocius, ex febre praegreſſa adhuc languidus, lipothymia inde correptus in terram caderet, ipſe medicus autem graves anxietates et vertiginem inde experiretur (VATER *Diſſ. cit. p.* 18.). Ita et canis, qui poſt aquae Lauroceraſi vnciam dimidiam ingeſtam vacillare, conuelli, opiſthotono adeo corripi coepit, lacte quidem leuatus fuit, ſed poſt vomitum et alui purgationem tamen periit (MORTIMER *l. c. p.* 172.). Dabo nihilominus, lacti prae reliquis tentatis antidotis praerogatiuam inſignem competere. Canis poſt ingeſtam aquam hancce abſque vllo reſiduo malo lactis vſu omnino conualuit (RVTTY in *Phil. Tranſ. Vol.* 37. *p.* 100.). Succus foliorum pariter ob miſcelam cum lacte, praeſentibus licet iam conuulſionibus et reſpiratione laborioſa, necem cani contrahere non valuit. Nec alius canis aquae concentratae cum lacte miſtae ſuccubuit; cui quidem et vomitus ſubſequens forſitan ſubſidio venit (VATER *l. c. p.* 15.). — Aliud antidoti genus ſpiritus

tus ſalis ammoniaci fortior eſſe videtur, qui canem, violentis conuulſionibus iam correptum, vſu omnium membrorum priuatum et morti iam proximum, ex phiala ante nares retentus et in ventriculum parca quantitate adactus, reſuſcitauit, et repetita applicatione priſtinae integritati reſtituit (MEAD. *l. c. p.* 195.). Sed ex vnico experimento fateor conclusionem non tuto fieri poſſe. — Nec hactenus eadem de cauſa oleo Oliuarum fidem tribuere licet, quod quidem ad vnciam vnam ori infuſum in cane quodam a deglutitis tribus aquae vnciis conuulſo et morti vicino vitam et vires redintegrauit, alium tamen, cui parcior portio aquae ingeſta, leto eripere non valuit (VATER *l. c. p.* 31.).

Pauciſſimi hactenus aquam hanc in vſum medicum vocarunt. Et optandum, vt, qui in experimentorum imitatione iuſto audaciores ſunt, cautiones, in huius adminiſtratione ſcito pioque medico dignas, adhibeant. Non magni facio ſtomachicam, quam promittere viſa eſt, virtutem, ob quam bibones ſine dubio folia in ſpiritum vini recipiunt, quum efficaciora et tutiora pro hoc ſcopo proſtent. Canis tamen ex duabus vel tribus guttis ingeſtis appetitum pabuli auctum et obeſitatem reportauit (DV HAMEL *Traité des arbres T.* 1. *p.* 347.).

Nimia

Nimia breuitate laborat b. LINNEI (*Amoen. ac. T.* 4. *p.* 40.) effatum, quod folia per Belgium vſitatiſſima ſint pro infuſo in morbis pulmones depaſcentibus (vtor vero propriis eiusdem verbis). Phthiſin eundem intellexiſſe, ex libro eius de Materia medica (*Ed.* 1. *n.* 228.) colligo, in quo hic morbus ſignificatur. Phthiſin, cuius quidem varia ſpecies eſt, cum hectica confundi, non res noua eſt. In hac ipſa multum efficere, ideo hariolatur cl. BAYLIES (A. libri *practical Eſſays on medical Subjects p.* 37.), quoniam ſanguinis ſerum nimis craſſum illam fundere compertum, id quod hecticis in vitio vulgo eſt. Absque vllo calore attenuare ſanguinem conſtitit. Fuit hic ipſe in homine melancholicae diatheſeos variis incommodis detento, prout in patina apparuit, tam craſſus, vt ſerum poſt debitam moram vix quartam eius partem conſtitueret, vſu autem aquae huius per tres hebdomades continuato cum decremento omnium malorum et floridum ſuum colorem et iuſtam tenuitatem recuperauit (*l. c. p.* 34.). Simile ſanguinis vitium in alio homine rheumatico et aſthmatico comparuit, eodem remedio ſublatum (*p.* 35.). Valde vero ſaturata aqua adhibita eſt, ex foliorum libra vna pro pinta vna (=℥xvj) aquae communis, huiusque triginta ad ſexaginta guttae ter vel quater vel pluries de die datae. Saepe ſuc-

ceſſit cl^mo^. CAMERON infuſo huius plantae diſſipare pertinaces hepatis obſtructiones; et, ope cataplaſmatis ex farina ſeminum Milii et infuſo ſaturato foliorum Lauroceraſi vel eius aqua deſtillata, non ſolum notabiliter minuere tumores ſcirrhoſos inſigniter duros habitus cancroſi, ſed eosdem etiam curare (BAYLIES *l. c. p.* 36.). Aliquod commodum attulit tam vſus internus aquae, a ſexaginta ad octoginta quin centum guttas quater quotidie datae, quam applicatio lintei carpti hac aqua humectati, in foemina, cui poſt praeciſam mammam in axilla tumor nucis Iuglandis magnitudinis cum punctione enatus, tumorem minuendo et ſenſum ingratum tollendo et ipſam conſolidationem vlceris perficiendo; ſed increuit tandem tumor, recruduit dolor, ſubſequente tandem morte (VOGEL *chirurg. Wahrnehm.* I. *Samml. p.* 48.).

PRAEPARATVM.

AQVA LAVROCERASI ſupra deſcripta cum viribus.

375.

Pharm. PRVNA GALLICA.
DAMASCENA.
BRIGNOLENSIA.

Prunus domeſtica; pedunculis ſubſolitariis, foliis lanceolato - ouatis conuolutis, ramis muticis. LINN. *Spec. pl. p.* 680. Κοκκυμηλεα DIOSC. Arbor in Europa auſtraliori ſponte proueniens.

Haec quoque Varietatum ingente turba ſtipatur, tam numeroſa, vt ex catalogis tam antiquioribus quam recentioribus earum nomina ducenta exſcripſerit cl. MAYER (*Pomona Francon. Tom. I. p.* 110. quarum multae ibidem elegantiſſime coloribus viuis depictae). Parcior quidem ill. DV HAMEL (*Arbres fruit. T.* 2. *p.* 65. *ſqq.*), Varietates tamen 48 characteribus ſuis inſtructas enumerat. Et hic iterum in cenſum diſcriminum veniunt: fructus figura diuerſa, rotunda vel oblonga, ſulco ad latus inſtructa vel illo carens; color epidermidis cereus, viridis, violaceus, badius vel nonnihil variegatus; item color carnis varius, qui tamen apud omnes fructus in flauum inclinat; porro caro vel mollior vel durior; ſapor vel dulcior vel acidior, vel quodammodo moſchatus; magnitudo; tempus maturationis; ad-

haeſio carnis ad nucem vel leuior vel tenacior; figura et ſuperficies nucis. Harum omnium veram matrem ſignificare hactenus non datur. Pruna cerea minora praecocia IO. BAVHINI (*Hiſt. pl. T. I. p.* 357.) quidam pro matre aſſignant, quae arbor ſpinis inſtruitur et fructus gerit farinaceos et inſipidos, ſed ſatione nucum nunquam praeſtantioris generis fructus profert. Arborem, quae vulgaria Pruna erogat, quam Pruna damaſcena fructu oblongo dulci atro-coeruleo vocat A MÜNCHHAVSEN *Hausv. Vol.* 3. *p.* 357.), hic ipſe aliam matrem agnoſcit. Arbor fera ſpinoſa eſt, et teſtimonio HALLERI (*Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1079.) fructus modo acidos fert. Artis adiumento ſapidiſſimi fructus fiunt. Propagatio Prunorum fit vel per ſemina vel per ſurculos, copioſe ex radicibus emergentes, vel per inſitionem ramuſculi, ſiue haec in ſpecie eadem, ſiue affinibus quibusdam arboribus inſtituatur. Inter arbores pomaceas nulla ſoli patientior eſt hacce, vtpote ſicco, humido, compacto, poroſo, profundo vel non profundo contenta; vegetius tamen creſcit in terra poroſa et nonnihil arenoſa, item locis apertis. Non facile in flabella diſtrahi ſe ſinit, et in praecidendis luxuriantibus ramis cautione opus eſt.

Antiquitatem huius arboris multis non morabor, vtpote a ſcopo praeſenti magis alienam et indaginis

daginis incertae. DIOSCORIDES (*Lib.* I. *cap.* 174.) iam meminit Prunorum Syriacorum et eorum praecipue, quae in Damaſco proueniunt, tanquam optimorum; vnde et quidam huius ſpeciei fructus praeſtantiores adhucdum Damaſcenorum (Gallis *Damas*) nomine inſigniuntur. Ex Syria in Graeciam et inde in Italiam translata arbor, vbi et VIRGILIO et OVIDIO notam fuiſſe teſtantur eorum poëmata. PLINII (*Hiſt. nat. L.* 15. *cap.* 13.) tempore ibidem iam ingens varietatum ſeges proſtitit. Hodie per Europam etiam ſeptentrionalem colitur fructus praecipue multiplicis, quem deſcripſi, de cauſa.

Lignum quidem durum eſt et venis rubris diſtinctum, vt teſſellatis operibus inſeruire poſſit, ſed mutatur color ſenſim in brunum et parcius ad opera lignaria vel ſcriniaria expetitur.

FRVCTVS drupa eſt, conſtructa ex cuticula glabra, glauco rore tecta, facile deglubenda, carne ſuccoſa molli venoſa, et nuce compreſſa ſcabra, biualui, intra quam nucleus figurae Amygdalae arillo bruno veſtitus. Maxime palato placet iſta fructus Varietas, quae *Reine-claude* audit. Reliquae bene multae aeſtate adoleſcente et declinante crudae eduntur, et quum gulae lenocinium afferunt, effectus

ſimul praeſtant, quos de fructibus horaeis generatim laudaui, licet minus refrigerent minusque putredinem coërceant, quam iſtorum multi, quoniam Pruna dulciora ſunt, et copioſe ingeſta facilius aluum mouent. Vſui medico tres praecipue Varietates deſtinantur:

1.) PRVNA GALLICA. Hiſce Pharmacopoea Londinenſi duce intelligo vulgaria iſta oblonga, profunde violacea, vbiuis in hortis reperiunda, cui Varietati non audeo in breuitate deſcriptionum adſcribere nomen Bauhinianum vel Tournefortianum, niſi ſit Pruna oblonga coerulea C. B. vel Pr. fructu oblongo coeruleo TOVRNEF.

Hi fructus crudi non ſolum eduntur, ſed et recentes vel ſoli cocti, vel cum aqua, vino, ſaccharo, Cinamomo, corticibus Citri, acetarii inſtar ſunt. Copioſo liquido cocti iuſculum exhibent; cui farinam plebs admiſcere ſolet. Quoniam epidermis violacea eſt, iuſculum coctione enaſcitur grate rubrum; nam ipſum parenchyma luteolum eſt. Quidam vero ante coctionem cuticulam deglubunt. Et vtroque modo placentis addi ſolent. Recentes non diu contra corruptionem ſeruari poſſunt; vnde varia arte praeparantur. Vulgatiſſima eſt, qua ſiccantur in furno, nuce vel relicta vel exemta. Sic

in

in iura vocantur vel acetaria, item placentas. Gratum et ſalubre ius eſt, quod Prunorum ſiccorum coctione cum hordeo perlato vel aliis granis comminutis fit, Cinamomi miſcela palato tanto magis arridens. Condiuntur et aceto, ſaccharo, Cinamomo, Caryophyllis. Rob quoque memorandum eſt, coctione protracta ſub continua agitatione paratum, cui multi baccas Sambuci vel Pyra ſub coctione addunt. Saporis certe non ingrati, licet plebi plerumque et famulitio vſu veniat. Gratioris ſaporis aeque ac coloris luteoli eſt illud Rob, quod ex Prunis cuticula ſua exutis denſatur. Taceo fercula multa, in quibus coquinaria ars illa adhibet.

Cocta Pruna eaque antea exſiccata vtiliter iis ſuademus, qui ſiccioris alui ſunt. Laxans haecce vis iuri praecipue ineſt, vnde et quibusdam loco vehiculi in Rheo vel alio purgante capiendo eſt. Sed et purgandi potentia ferculis variis dictis debetur, modo copioſius ingerantur. Hancce et praeſtant praeparata quaedam in officinis obuia, dein recenſenda.

2.) PRVNA DAMASCENA. Prunus fructu magno dilute violaceo. DV HAMEL *des Arbres fruitiers T.* 2. *p.* 98. *Tab.* 15? Ex inferiori Gallia transferri ſolent haec Pruna ſiccata et bellariis in menſa ſecunda annu-

annumerari, dulciora longe et gratiora, quam vulgaria noſtra. Nomen Catharinae quidem in Suecia et Germania a multis obtinent, non confundenda tamen cum *la Sainte Catherine* Gallorum (DV HAMEL *Traité des Arbres fruitiers T. 2. p. 109. Tab. 19.*). Rariſſime ſeruantur in officinis, et facile iis pro vſu medico carere poſſumus, proſtantibus Prunis iſtis vulgaribus.

3.) PRVNA BRIGNOLENSIA, item PRVNEOLAE, *Brignola α*, LINN. Pruna ex flauo rufeſcentia mixti ſaporis gratiſſima. C. B. Prunus fructu paruo ouoidali e viridi albido maculis rubris ad ſolem diſtincto, Perdrigon blanc. DV HAMEL *Arbr. fruit. T. 2. Tab. 8.* MEYER *Pomona Francon. Vol. I. p. 145.* Fructus crudus cum voluptate editur, ſed magis inclaruit nomine *des Brugnolles* (Suet. *Bruneller*), quae vox pagum Gallo - prouinciae Brignoles reſpicit. Ibi enim haec Pruna enucleata ad ſolem exſiccantur, et in ciſtis exiguis longis ligneis bene compreſſa ad exteros transmittuntur. Sanis quidem praecipue in iuribus, acetariis, placentis, vſui ſunt, et dulcedine cum grato acore iuncta antiſtant vulgaribus Prunis: ſed aegrotis in acutis, praecipue quando aluus mollienda eſt, egregie quoque conueniunt. Sitim hydropicorum ore retenta leuant.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLPA PRVNORVM. *Ph. Würt. p.* 142. *Ph. Dan. p.* 214. Pruna cocta per cribrum tranſiguntur et ad ſpiſſitudinem mellis denſantur. Laxans quidem ſed debile, vt miſcelam efficaciorum requirat; cuius generis ſunt

PRVNA LAXATIVA. *Ph. W. p.* 135. quae vt PASSVLAE LAXATIVAE a foliis Sennae plurimum virtutis repetunt, hodie inſueta.

ELECTVARIVM LENITIVVM FLORENZOLAE. *Ph. W. p.* 47. cui ſupra (*Apparat. med. P.* 2. *p.* 395.) praetuli iſtud ſecundum *Ph. Lond. p.* 97. et adhuc magis aliud, ſecundum *Ph. Edinb. p.* 77., paratum.

376.

Pharm. ACACIAE NOSTRATIS. Ph. Germm. et Suec. PRVNI SYLVESTRIS Ph. Edinb. et Lond. *Flores; Fructus; Cortex; Radix.*

Prunus ſpinoſa; pedunculis ſolitariis, foliis lanceolatis glabris, ramis ſpinoſis. LINN. *Spec. pl. p.* 681. Prunus ſylueſtris. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Prunelier. Frutex humilis, in dumetis et locis apricis creber.

Pro ſepibus viuis eam adhibere vulgare eſt, cui quidem fini ob copiam et denſitatem ramorum ſpinasque hic frutex non ineptus, ſed ob repentes radices moleſtiam faceſſit et ideo reprehendendus, quod ſpinis eiusdem lana ouium illum tangentium facile adhaereſcat, et trunci vetuſti frigore facile pereant. Abſciſſi rami in ſalinis ſuſpenduntur, vt decidens aqua lapideas ſuas partes affigat. Hiſce ipſis et teguntur ſepes exſuccae et humiles, vel iisdem pertexuntur.

FLORES, quo nomine calyx petalaque cum reliquis internis partibus intelliguntur, dum recentes ſunt, ſuauem odorem ſpirant, quem et aquae tam deſtilla-

ſtillatione quam infuſione erogant, qui autem ſiccando omnino fere perit. Sicci ſubamari ſunt, qui ſapor pariter infundendo in aquam tranſit, et in extracto vtroque ſeſe manifeſtat. Extractum aquoſum ponderis dimidium florum conſtituit (SPIELM. *Chem. p.* 100.). Reſina, quartam florum partem aequans, nigra, ſalini et amari ſaporis eſt, et citiſſime aëris attactu deliqueſcit (SPIELM. et LACHAVSSE *Diſſ. Acac. officin. Hiſt. p.* 10.). A medicis ipſis raro hi flores praecipiuntur. Sed ex longa annorum ſerie vt domeſtica medicina tam ad aluum mouendam, quam ad liberandum corpus ab inquinamentis per hiemem collectis verno praeſertim tempore recentes, per aliquot dies vſurpati, inualuerunt. Pro hiſce ſcopis macerantur flores aqua, ſero lactis, vino dilutiori, vel cereuiſia, et infuſum ſaturatius ebibitur (IO. BAVH. *Hiſt. pl. Tom. I. P.* 1. *p.* 196. FR. HOFFM. *Diſſ. de praeſtantia remed. domeſt.* §. 26.). Sed tenellos potius purgant quam robuſtos, nam et pondus vncia vna maius aliquando leuem modo euacuationem praeſtat (IO. BAVH. *l. c.*). Infuſum aquoſum, ſaccharo edulcatum vel in ſyrupum redactum infantibus praecipue opportunum declaratur (LEWIS *M. m. p.* 468.). Huic nominatim aetati iam WITTICHIVS (apud IO. BAVH.) flores commodos cenſuit, ſero lactis maceratos. Tanquam ſcabiei mede-

medela inſuper hi ipſi proponuntur (FR. HOFFM. *l. c.*). Sunt et praeparata varia, quae illos memorabiles reddunt, quae vero infra ſuo loco ſignificabo.

FRVCTVS drupa eſt rotunda Ceraſi mediocris magnitudinis, coerulea, pulpa viridi, nuce ſubrotunda, intra quam nucleus albus ſaporis ſubamari et grati, vt in Ceraſis. Sapor carnis in fructu immaturo acidus et valde auſterus eſt. Mitior, poſtquam gelu correptus maturuerit, vt et plebs vel infantes non dubitent tum fructus aliquot ingerere. Succus pulpae adeo viſcidus eſt, vt nonniſi aqua adiecta ille exprimi queat. Maturus fructus acetarii genus plebi ſuppeditat, conſtans ex Pyris ſemicoctis, Prunis hiſce per ſtrata alterna diſpoſitis et iure Pyrorum cum ſemine Sinapi et aceto contrito perfuſis. Maioris momenti eſt vinum iſtud, quod vino gallico, Prunis hiſce vna cum nucleo conquaſſatis ſuperfuſo, paratur. (Encheireſin facile imitandam lege in MÜNCHH. *Hausvater* T. 3. p. 126. *ſqq.*). Hoc, ſi probae notae eſt, odore aeque ac ſapore vinum Ceraſorum ob nucleos conquaſſatos aemulatur, et grata rubedine ex cuticula tingitur, nec niſi largius potum inebriat. Viſcida ſucci indoles eiusdem quidem fermentationem non impedit, ſed prohibet, ne illi iuſtus terminus poni poſſit, hinc pergens

gens vltra limitem in decolorem et inſipidam vappam vertitur (SPIELM. *Diſſ. cit. p.* 5.). Deſueuit horum fructuum ad vinum pendulum corrigendum applicatio (IO. BAVH. *l. c.* LINN. *Fl. Suec. n.* 432.), qua ſcilicet vel recentes vel ſiccati praegreſſa contuſione vino immittuntur, cum eodem agitantur et vaſe per octo vel decem dies obturato nouam fermentationem ſubeunt, vnde partes viſcidae fundum petunt. Nam breuiori via claritatem deperditam vino reſtituere hodie nouimus.

Stipticae naturae eſſe fructum, non opus eſt teſtimonio veterum confirmare, quorum quidam, vt DIOSCORIDES (*Mat. med. Lib.* I. *cap.* 173.) fructus poſt maturationem exſiccatos, vel cum ſapa decoctos, commendarunt, et in aluo laxa coërcenda, et inſtar collutorii in catarrhalibus affectionibus vuulae, tonſillarum, gingiuarum, adhibuerunt. Hodie vix alio de fine a pharmacopolis colligitur, quam ob ſuccum inſpiſſatum (de quo infra).

CORTEX. Vncia eius vna aqua decocta praebet liquidum grate rubrum ſaporis auſteri, quod ipſum inſpiſſatum extracti drachmas tres et dimidiam valde auſteri erogat. Spirituoſi extracti ſcrupuli fere quinque ex vncia vna corticis eruuntur (COSTE et

WILLE-

WILLEMET *Eſſais ſur quelques plantes indigenes p.* 68.). Olim ad curandas febres intermittentes inclaruit cortex. Hunc, ex radice quidem detractum, in decocto, infuſo vel vino medicato magni, ob vim febrifugam, fecit NEBELIVS (in *Act. nat. Cur. Vol.* 5. *Obſ.* 116. *p.* 395. *ſq.*), eiusque decocto large hauſto, puerum quartana pertinaci conflictatum, nec a cortice peruuiano leuatum, rediiſſe cum valetudine in gratiam memorat. Fauent priſtinae laudi experimenta quatuor cll. COSTE et WILLEMET felicia, quorum tria tertianae, vnum quotidianae ſanatae exemplum, ſuppeditant: ſcilicet vel drachmae eius duae in decocto repetitis vicibus datae; vel caſu quotidianae pulueris drachma vna et dimidia cum florum Acaciae infuſo ſemihorio ante paroxyſmum quatuor diebus ingeſta; vel drachma vna pulueris, mellis ope in pilulas redacti, quauis ſexta hora per tres dies capta eſt. Non vero addunt doctiſſimi viri mox indicati, an cortex iſte radici praeciſe inſederit.

RADIX attenuata, cortice veſtitur ex fuſco rufo valde adſtringente et inſigniter amaro, intra quem lignum rufeſcens leuius adſtringens. Haec aſthmatis quidem tam humidi quam alius remedium ſiſtitur, quo fine autumno et hieme effodere illam ſuadetur et leuiter raſam ad decoctionem adhibere

(TRVMPF

(TRVMPF in *Commerc. Nor.* 1741. *p.* 226.). Sed vlteriori experientiae res merito, antequam illi fides habeatur, ſubmittenda. Vis adſtringentium in pellendo calculo hac quoque radice confirmatur. Eius efficacia inter alia iterata experimenta calculus veſicae magnitudine fabae in puero quinquenni expulſus fuit (KRAMER in *Commerc. Nor.* 1735. *p.* 44.).

PRAEPARATA.

AQVA FLORVM ACACIAE. *Pharm. pleraeque.* Deſtillatione florum recentium cum aqua fontana. Odorem, quem dixi, florum abſumit, ſed non diu ſeruat. Vis eccoprotica, quam VALERIVS CORDVS illi adſcripſit, aeque fallax eſt, ac reſoluens in doloribus laterum, auctoribus HIERONYMO BRVNSVICENSI et TRAGO illi tributa. Superfluorum igitur numerum auget.

SYRVPVS FLORVM ACACIAE. *Ph. Würt. p.* 202. Eſt infuſum florum recentium ſaccharo rite coctum. Vires purgantes anthelminthicae, reſoluentes, antepilepticae, adhuc valde dubiae, quae tamen multos olim tenuerunt. Mixturas purgantes hodie adhuc aliquando intrat, conſuetudinis potius quam virtutis verae ratione habita.

SVCCVS ACACIAE NOSTRATIS ſ. GERMANICAE ſ. PRVNORVM SYLVESTRIVM. *Pharm. W. P. I. p.* 133. ſuccum e fructibus maturis expreſſum deſiderat, lento igne in vaſe fictili inſpiſſatum; *Ph. Edinb. p.* 67: fructus immaturos, idque iure, vtpote magis adſtringentes, requirit. Vel in tabulas formatus vel veſicis incluſus ſeruari ſolet. Subſtituitur ſaepe ſucco Acaciae verae ſ. Aegyptiacae. Vterque quidem inſigniter adſtringit, ſed indigenus ſuccus durior eſt, ponderoſior, coloris profundioris, ſaporis acrioris, et eo quoque differt, quod ſpiritu vini aeque ac aqua plurimum ſoluatur, quum contra ea ſuccus Acaciae verae ſpiritu vini ſeſe ſubigi plane non patiatur (LEWIS *M. m. p.* 468.). Raro hodie in formulis verſatur, olim ad profluuia aluina ſiſtenda a ſcrupulo vno ad drachmam, et in gargariſmis, haud infrequens.

CONSERVA PRVNORVM SYLVESTRIVM. *Ph. Lond. pag.* 25.

AMYG-

AMYGDALVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 385. *Gen. pl. p.* 248.

377.

Pharm. PERSICAE *Fructus; Nuclei; Flores; Folia.*

Amygdalus Perſica; foliis ſerraturis omnibus acutis, floribus ſeſſilibus ſolitariis. LINN. *Spec. pl. p.* 677. Perſica molli carne et vulgaris, viridis et alba. C. B. Arbor ignotae patriae, etſi nomen et coniectura Perſiam ſignificet. Nec ſatis certo euinci poteſt, an veteres, quam nos intelligimus arborem, cognouerint. Περσικη μηλεα DIOSCORIDIS a Περσεα THEOPHRASTI diſtinguitur, ſed de vtraque merito dubitatur, an ſit noſtra.

In temperatiori Europa vero vbiuis ius ciuitatis obtinuit, ob diuerſitatem, venuſtatem et gratiam praecipue fructus, etſi et floris, qui in Varietate quadam, (Perſica flore magno ſemipleno DV HAMEL *Arbres fruitiers Tom.* 2. *p.* 42. *Tab.* 30. MAYER *Pomona Francon. Vol.* 2. *Tab.* 3. 4.) plenus eſt, color iucunde rubellus et frondium figura et nitor iure in cenſum trahi poſſint. Tantum vero laborauit horticultura in hacce arbore perficienda, vt ill.

DV HAMEL (*Arbr. fruit. l. c.*) 43 Varietates recenſere potuerit, MAYERVS quidem 32, quorum hic pleraſque tanta elegantia depingi curauit, vt fructuum imaginibus nihil fere deſit, niſi ſapor. Non ſpernenda propagatio huius arboris eſt per nuces, quae ſaepe aeque bene ſuccedit, ac altera per inoculationem, ad quam trunci Prunorum vulgo eliguntur, licet et huic fini trunci Amygdali, Armeniacae et Perſicae vilioris, conducant. Quomodo colantur optime expoſuit cl. DE LA COMBE in *Traité de la culture des Pêchers*, cui vtilia quaedam HAMELII conſilia adduntur. Quoniam tenerioris haec arbor naturae eſt: pleraeque Varietates tutamine parietis meridiei obuerſi indigent, qua ipſa ſtatione et maturatio fructuum acceleratur. Hinc et flabelliformis figura conuenientiſſima, tanto magis, quum ſub hac aulaeis ad frigoris iniurias arcendas obuelari poſſit.

FRVCTVS, qui drupa ſubrotunda eſt, vno latere ſulco notata, conſtat epidermide facile ſeparabili, in pleriſque Varietatibus tomentoſa, in vna (Nuciperſica C. B. *Brugnons* Gallis, *Nectarines* Anglis) glabra et nitida, carne ſuccoſa et nuce ouata craſſa dura lacunoſa, intra quam nucleus ouatus vtrinque compreſſus arillo ferrugineo medulla niuea.

Fructus

Fructus multiplex diſcrimen anſam praeſertim Varietatibus conſtituendis dedit, quarum ſingulae a Gallis, vt apud quos cultura praecipue olim ſucceſſit, peculiari nomine inſtruuntur. Aliae Varietates reſpiciunt vel praecocius vel ſerius maturationis fructus tempus; aliae magnitudinem eius; aliae colorem carnis, flaueſcentem, aureum, album, viridem, ſanguineum, rubrum, vel venas eius rubras vel rubedinem eius prope nucem; item colorem cuticulae obſcure rubentem, albidum vel partim dilute rubentem partim album; ſuperficiem villoſam, glabram, verrucoſam; formam fructus; carnem duram, mollem, ſicciorem, ſuccoſiorem; ſaporem dulcem vinoſum, ad Armeniacam accedentem; adhaeſionem nucis vel tenaciorem vel laxiorem; magnitudinem floris vel proportionem inter hunc et fructum; foliorum diuerſitatem, rel. Plures Varietates palato placent. De ſapido autem fructu requiritur, vt cuticula non valde villoſa ſit, facile ſeparari poſſit, carnis maſſa quoad nucem inſigne volumen habeat, haec ipſa ſucco abundet et deliqueſcens in lingua ſaporem gratum dulcem vinoſum prae ſe ferat. Maturitas cognoſcitur colore et ſeparatione a ramulo quaſi ſpontanea, manu dum in arbore comprehenditur. Inter fructus hortenſes, quos clima temperatius producit, gratia facile primarius eſt, vt doleas decerptum vix

per duas hebdomades abſque corruptela ſeruari poſſe. Maxima quantitate crudus editur, et ſolatium praebet vrgente ſirio copioſe ingeſtus. Quoniam multum ſucci vehit, tanto magis humectat et diluit, in ceteris vires reliquorum fructuum horaeorum (V. ſupra *p.* 181. *ſqq*) aequans. Non curamus opprobrium GALENI, ſuccum noxium illi adſcribentis, nec NICANDRI, qui venenatum pronunciat, quum ſpeciem aliam ſubfuiſſe dubitari nequeat; nec ſcholae Salernitanae conuicium nos moratur, inter cibos melancholicos primas illi adſignantis (*Cap.* 7.). Abuſu flatus excitare, debilitare primas vias et diarrhoeam ciere, nemo mirabitur. Addere ſaccharum vel aroma ſub eſu nonniſi in vilioribus fructibus opus eſt. Coquere eum, condire ſaccharo vel aceto, vel ſpiritu vini, docet ars coquinaria et dulciaria; ſed in hiſce praeparationis modis gratiam ſuam Perſicae plurimam partem perdunt.

NVCLEIS ſapor nucleorum Ceraſi competit. In medicina hodie rarioris vſus. Quum oleo ſcateant, vt alia ſemina eiusdem naturae, lubricant, inuoluunt, relaxant. Quibus finibus locus illis in emulſionibus concedi poteſt.

FLORES

FLORES et calycem et corollam comprehendunt cum generationis partibus. Ob calycis connubium non mirabitur botanicus communes ineſſe vires hiſce et FOLIIS. Vtraque pars cum amaritie aroma iunctum habet, et odore aeque ac ſapore accedit ad folia Lauroceraſi, vel, ſi malis, ad Amygdalas amaras. Venenum recondi in hacce familia, vel hiſce exemplis conſtat. Quod ad Perſicam attinet, flores eius aqua deſtillati ſeptimam circiter ponderis ſui partem erogant liquidi albi, dulcis et, inſtar nuclei Perſicae, fragrantis, quod paucis guttis inſtillatum inſignem quantitatem aliorum liquidorum ſapore dicto imbuit (BOVLDVC *Mem. de l'acad. d. ſc. de Paris* 1714. *p.* 37.). Flores vti et folia aluum purgant et vermes necant, pro infantibus praecipue vſitati, ad quos ſcopos conducit infuſum florum vel teneriorum foliorum exhibere, ita e. c. vt recentium florum vncia dimidia vel ſiccatorum drachma vna pro doſi ſumatur. Studioſe in haſce virtutes inquiſiuere cll. COSTE et WILLEMET (*Eſſais de matiere med. indigene p.* 32. *ſqq.*) experimentis adeo in quinquaginta hominibus inſtitutis. Verno tempore nimirum folia tenella ſollicite ſiccantur et horum vnciae dimidiae ad ſesquialteram aquae communis libra dimidia (demiſeptier) per noctem infunditur, ſuccedente mane ebullitione bis vel ter itera-

iterata; colato liquido vncia vna ſyrupi florum Perſicae, vel niſi adſit, exiguum cochleare mellis additur: et hoc quidem pro vna doſi. Si folia recentia adhibentur, dupla doſi opus eſt. Aegrius quoque aluum mouent folia autumno lecta. Haec medicina verminoſis inprimis conuenit. Ad expellendos vermes e re quoque eſt, die antea extracti aquoſi gemmarum, puluere florum ſiccatorum commixti, vnum vel duos ſcrupulos pro doſi exhibere; vnde in homine quindecim annorum per aluum vermes longi teretes ſexaginta ſeceſſere, vnus paullo poſt extractum ingeſtum per os (*l. c. p.* 33.) aſcendit. Sunt, qui loco Theae Chinenſis infuſo diluto foliorum Perſicae vtuntur, nam ſaturatius amarore diſplicet; ſunt, qui cum lacte coquunt, vt emulſionem Amygdalarum referat (DEGNER in *Breſl. Verſuche* 1724. *May p.* 562.).

PRAEPARATVM.

SYRVPVS FLORVM PERSICORVM. *Ph. Würt. p.* 216. Ex infuſo florum recentium aquoſo et ſaccharo. Pro tenellis ad vomitum ciendum; adultioribus aluum mouet. Vermes quoque eiicit. Doſis a drachma vna ad vnciam integram.

378.

378.

Pharm. AMYGDALAE *dulces.*
amarae.

Amygdalus communis; foliis ſerraturis infimis glanduloſis, floribus ſeſſilibus geminis. LINN. *Spec. plant. p.* 677. Αμυγδαλεα et Αμυγδαλη. DIOSC. Optimum in noſtrum ſcopum iudico, hanc ſpeciem in duas primarias Varietates diſpeſcere. Harum vna *α*, Amygdalus *dulcis*, nucleo dulci, cuius illa quidem arbor praecipue placet, quae Amygdalus dulcis putamine molliori. C. B. Amandier à coque tendre vel Amandier des Dames. DV HAMEL *Arbres fruit. T. I. p.* 120. *Tab.* 1. MAYERI *Pomona Francon. T. I. Tab.* 5. florem repraeſentans. — Altera *β*, Amygdalus *amara*, nucleo amaro, Amandier à fruit amer. DV HAMEL *l. c. p.* 123.

Arbor mediocris ſtaturae, in ſeptentrionali Africa ſpontanea. Sed colitur copioſe in Gallia auſtrali, Hiſpania, Italia, Sicilia (SESTINI *Lettere della Sicilia, Vol.* 3. *p.* 77. *ſqq.*) indeque haud exiguo lucro ad exteros transfertur. Germaniae clima quoque fert arbor regionibus exceptis ſeptentrioni propioribus et ſtatione Boreae ventique

 iniuriis

iniuriis patente, nec ad recipiendum calorem ſolarem ſatis opportuna. Alias et in hac terra, qua dego, non ſolum floret floribus eleganter rubellis, ſed et nucleos fert edules. Quod quidem valet de Amygdalo, cuius putamen durius eſt; nam altera putamine molliori longe aëris impatientior eſt.

Prout igitur diſcrimen obtinet in Amygdalis quoad duritiem putaminis: ita et quoad magnitudinem et figuram fructus vel nuclei, item ſtaturam ipſius arboris. Eſt et Varietas, fructum ſuccoſum gerens, quae Perſicam aemulatur.

In propaganda Amygdalo vti quidem licet ſatione ſeminum intra putamen reconditorum, quorum et ea ſaepe huic rei idonea ſunt, quae ex regionibus exteris adueniunt. Alias pro hoc ſcopo hieme fructus intra ſabulum per ſtrata ſeruantur. Quoniam vero ſaepe ex ſeminibus eiusdem arboris Varietates emergunt longe inter ſeſe diſcrepantes, ſcilicet fructu mox maiori, mox minori, putamine mox craſſo, mox tenui, nucleo mox amaro, mox dulci: praeſtat ramulum nobilis arboris inſerere vel trunco ex ſeminibus prognato, vel Prunis vel Perſicis vel Armeniacis. Solum requirit leue,

leue, poroſum, arenoſum, et ſtationem vel meridiei vel orienti ſoli obuerſam. Erectus ſitus plerumque illi conceditur, etſi flabelliformis figura ſpem maturationis certioris excitet.

Vetuſtiſſimo tempore iam cognita arbor, nam in veteris foederis libris multoties eius mentio fit. Apud Graecos, THEOPHRASTVM, HIPPOCRATEM, non vno loco eius mentio fit. Quum CATO fructus nuces Graecas vocet: vix eius tempore in Italia obueniſſe probabile (Conf. PLINIVS *Lib.* 15. *cap.* 22.). Ceterum antiquitatem Amygdali vlterius perſequi taedet, quum hoc opere iam egregie perfunctus IO. BAVHINVS (*Plant. Hiſt. Tom. I. p.* 174. *ſqq.*) ſit.

Lignum Amygdali quamuis praedurum et ſubinde grati variique coloris eſt, nec ſcipionibus inidoneum: fructus tamen illa vnice fere de cauſa colitur.

FRVCTVS ouatae figurae, complanatus, verſus baſin latior, longitudinis decem linearum ad pollicem ſeſquitertium, conſtat extrinſecus epidermide viridi villoſa et carne ſicca amara vel inſipida latitudinis lineae, quod ipſum tegmen primum ſecundum longitudinem ad latera ſulco notatur, dein alterutro latere dehiſcit. Latet intra hoc nux, cuius puta-

men mox craſſius et durius, mox tenuius et fragilius, extus ſulcis et foraminulis pertuſum, vno extremo acutum, altero obtuſum et fouea inſtructum, alterutro latere marginatum. In duas partes ad latus diſſilit, intra quas ſemen ouatum complanatum pellicula bruna lineis eleuatis et puluere flaueſcente et reſinoſo notata, quae, ſi deglubitur, nucleus bipartibilis in apice corculum gerens in conſpectum venit. Scatet hic olei copia. Hoc in cauſa eſt, cur Amygdalae tam facile ranceſcant. Aliam vim illis affert mordax fames inſecti cuiusdam, quod ſaepe medullam deſtruit relicta membrana, qua veſtitur, integra. Transferuntur ad nos Amygdalae vel intra ſuum putamen reconditae, quod ſi molle, *Krackmandlar* Suecis illae dicuntur, vel ab eodem liberatae.

I. AMYGDALAE DVLCES.

Ardent facile igni admotae flamma clara, quae nihil fuliginis emittit, niſi exſtincta. Deſtillatione Amygdalarum non decorticatarum in aqua facta, haec ipſa odorem florum Acaciae ſpirat (IVCH *Diſſ. de amygdal. p.* 20.). Ob mucilaginoſam materiem, quae cum oleoſis et terreis partibus in Amygdalis iuncta eſt, hae ipſae tritura camphoram, reſinam Ialappae aliaque reſinoſa, ſubigere et aquae miſcibilia reddere valent. Pro vſu medico pariter ac oeconomi-

nomico exui plerumque ſolent nuclei epidermide ſua, quod fit easdem aquae feruidae immittendo, ne alienus ſapor adhaereſcat, et vt incommoda varia vitentur; *decorticatae* tum dicuntur. Nuclei dulcis ſapor facit, vt et ante perfectam maturitatem inſtar cupediarum edantur et, quod frequentius, bene maturae. Sic variis ferculis praecipue ex placentarum genere et bellariis adduntur varieque ſaccharo incruſtantur. Quocunque autem modo Amygdalae ingerantur, meminiſſe conuenit, copioſius captas oleoſa natura labefactare ventriculum, digeſtionis vires peſſumdare, rancidos ructus ſodamque excitare. Non diffitendum tamen nutritias partes continere et etiam ſub eſu medicas virtutes impertire, quae ab aliis oleoſis conſequuntur, quas aptius paullo poſt quando de emulſione et oleo Amygdalarum ſermo erit, recenſeri poſſe arbitror. Vſtulando vero Amygdalas dulces cum eadem quantitate amararum, vtrasque decorticatas, et dein easdem triturando ſpecies Coffeae paratur, item, ſi Amygdalis poſt vſtulationem contritis Caryophylli, vel aliud aroma, adduntur cum lacte aemulus Succoladae potus obtinetur (*Breßlauer Verſuche* 1719. *Dec. p.* 746.). Alii placuit in imitationem verae Coffeae ſecali torrefaciendo, ad oleoſam illi naturam conciliandam, Amygdalarum ſufficientem quantitatem

tem addere, vnde potus exotico plane ſimilis euaſiſſe fertur (DILLENIVS in *Ephem. nat. Cur. Cent.* 3. *et* 4. *p.* 345.).

Pellicula bruna ſubacrisamaricans, vellicat fauces ad tuſſim, et raucedinem ciet. Spiritu vini macerata hunc tingit grata rubedine.

Loco huius Amygdali in Roſſia etiam vſu venit *Amygdalus nana*, foliis baſi attenuatis. LINN. *Spec. pl. p.* 677. MAYER *Pomona Francon. T. I. Tab.* 6. ſed absque flore; DV HAMEL *Arbres fruitiers T. I. p.* 124. *Tab.* 3. qui nucleum amarum deſcribit. Frutex exiguus, in auſtralioris Roſſiae et Sibiriae plagis ſpontaneus, hortos noſtros floribus ſuis verno tempore exornat, nondum vero fructus mihi tulit. Extra Roſſiam nuclei nondum inualuere. Ibidem vero in officinis etiam oleum exinde expreſſum ſeruatur (*Ph. Roſſ. p.* 104.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Amygdalae aqua contuſae lacteam illam reddunt, relicta parte indiſſolubili. EMVLSIO huius generis non diu ſeruari poteſt, quum facile aceſcat, cremoracea materie in ſuperficiem aſcendente. Additum illi acidum mox eandem in coagulum, fere

vt

vt lac animale, vertit. Potulenti genus emulſio amygdalina conſtituit aeſtate, quod additis aliquot Amygdalis amaris, vel analeptica aqua deſtillata, vt aqua florum Naphae, Roſarum, et ſaccharo tanto gratius capitur. Vix vero ſitim fallet, niſi nitro adiecto. Saturatior etiam pro medicamento eſt. Quorſum EMVLSIO COMMVNIS *Pharm. Edinb. p.* 58. In hac Amygdalarum dulc. vncia vna cum aquae fontanae libris duabus ſubacta et colata continetur. Secundum indicationes omnino plus Amygdalarum ſumere conuenit. Vtimur hiſce emulſionibus diluendi ſcopo ad ſtimulos acres obtundendos, fibras ſtrictas relaxandas, turbatum a ſtimulo ſomnum reſtituendum. In acutis itaque praecipiuntur, ſtranguria, calculoſis affectionibus, peruigiliis. Non facile vero eas ſuetis mixturis antifebrilibus, ſale medio ſaturis, in acutis ſubſtituo, quum et hae efficaciores ſint, et emulſiones protractiori vſu ventriculum labefactent.

EMVLSIO ARABICA. *Ph. Edinb. p.* 58. Pro hac, emulſioni ſupra dictae Gummi arabici dimidia vncia additur.

OLEVM AMYGDALARVM DVLCIVM, quod vnguinoſae naturae eſt, copia inſigni Amygdalis inſidet, non

non vero ſemper eadem. Quo recentius collectae, eo plus aquoſarum partium et mucilaginoſarum includunt, et pro ea proportione tanto minus oleoſarum. Plus quoque eruitur expreſſione, quam calor adiuuat, quam frigida, vt de iactura olei ſaccis adhaereſcentis nihil dicam, quae tamen ad pondus facile redigi poteſt. Prope ad dimidium totius ponderis Amygdalarum oleum accedit. Librae quinque et dimidia Amygd. frigida expreſſione libram vnam cum ſex vnciis olei dedere, et calefactis dein Amygdalis librae $\frac{3}{4}$. Aliis encheireſibus ex libris earum triginta olei librae vndecim ad tredecim cum dimidia elicitae (DEHNE in CRELL *chem. Iourn. P.* 3. *p.* 33. *ſqq.*). Vtimur vero pro expreſſione olei Amygdalis non decorticatis, contuſis.

Pharmacopoeae Anglicanae, Londin. p. 30. *Edinb. p.* 92. expreſſe caloris preli adiumentum vetant. *Suecica p.* 92. et *Roſſica p.* 104. autem leuem eiusdem calorem concedunt; *Würtenb. p.* 121. gradum non definit. Aſt verum eſt, facilius ranceſcere oleum caloris ope erutum, ſiue in vaſe ſeruetur, ſiue per os ingeratur, quam alterum, quod ideo pro vſu interno praeſtat, licet cariori pretio veneat. Tanto minus concedi debet, leniter torrefieri contuſos nucleos, antequam ſacco indantur, vel infundi

ſaccu-

ſacculo aquam calidam, vt folliculi oleoſi emolliantur et reſoluantur. Gratia antiſtat reliquis oleis expreſſis et ſubdulce eſt, non omnino limpidum. Coit frigore 8. vel 10. gr. Fahrenh. Mucilago, ex aequalibus partibus gummi et aquae, olei quatuor partes ſubigit. Miſcibile quoque illud cum aqua reddit albuminis vel vitelli oui connubium. Gratiſſimum eſt omnium oleorum, dulce, blandum. Ob emollientem, relaxantem, lubricantem, inuoluentem et blande antiſpaſmodicam vim in tuſſi, ſtranguria, doloribus nephriticis, alui obſtructione, colicis ſpaſticis, doloribus poſt partum, haud raro capitur. Largiori copia ad aliquot cochlearia quin vncias duas veſperi vel mane ingeſtum necat vermes et ſymptomata, quae creant, lenit, vt alia eius cognationis olea (V. FR. HOFFM. *Suppl. med. ſyſtem. de morb. inf. c.* 10. *de verm.*). In eclampſia ab aluo obſtructa praeſentaneum quidem leuamen affert, ſed protracto vſu debilitat primas vias et nouae obſtructioni occaſionem ſuppeditat (ROSENST. *Barnſjukd. p.* 50.). Ita et in torminibus infantum ſpecie ſalutis ſaepe imponit. Nam licet ſubinde dolores ſopiat involuendo acidum et neruos obtegendo, vitioſa relaxatione eosdem reſuſcitat, quin ad rachitidem corpus diſponit et variorum pertinacium affectionum cutis cauſa exiſtit (TISSOT *Avis au peu-*

ple

ple p. 462.). Reſtringendus igitur olei huius apud infantes vſus, quo ipſo male prodigae multis in locis foeminae ſunt. Multiplici ceterum ratione oleum hocce capitur, vel ſolum, vel in linctu, vel ſubactum variis, quae dixi, additamentis cum aqua.

Furfures, poſt expreſſionem olei in ſaccis reſidui, ſeruant tantillum olei, vt et hi aquae lacteum colorem afferant. Abſtergunt ſordes manuum, easque, emolliendo cutem, nitorem illi conciliant.

MORSVLI IMPERATORIS. *Ph. Würt. p.* 118. MORSVLI ANTIMONIALES KVNKELII *l. c. p.* 119. aliique bonam portionem Amygdalarum dulc. recipiunt.

SYRVPVS AMYGDALINVS. *Ph. Dan. p.* 251. Emulſioni ſaturatae ex Amygdalis dulcibus et aquis analepticis factae ſaccharum additur. Iſte *Ph. Suec. p.* 118. recipit et Amygdalas amaras et decoctum Hordei. — Gratus vterque et ſimilis nomine SYRVPI EMVLSIVI in *Pharmm. Germanicis* occurrit, etſi deſcriptio in diſpenſatoriis non obuia. Mixturis additur ob gratum ſaporem, item ad ſubigenda varia vim aquae eludentia, de quibus ſupra, adhibetur.

II. AMYGDALAE AMARAE.

In Amygdalis nucleo amaro pariter Varietates nonnullae obuiae, putamine molliori, fructu maiori

et

et ea, quam DV HAMEL *Amandier à fruit amer* vocat etc., de quibus omnibus ill. huius viri *Traité des Arbres fruitiers* (*loc. cit.*) legas. In hiſce (excepta Varietate nouiſſime denominata, quae in floris magnitudine et figura fructus ſingularia quaedam habet) non aliud diſcrimen apparet ab Amygdalis variis dulci nucleo, quam quod in ſapore diuerſo latet, ita vt nec aſpecto nucleo diſcrimen vllum appareat. Dixi defectu culturae Amygdalas dulces amareſcere. Veteres iam varias encheireſes edocuerunt, quibus amarae in dulces redigi poſſent (Vid. IO. BAVH. *Hiſt. pl. Tom. I. p.* 179.). Deſtillatione Amygdalarum amararum non decorticatarum cum aqua prodit aqua fragrans odoris nucleorum Perſicorum vel Ceraſorum ſaporis amari ſubacris (ZWINGER *Faſc. Diſſ. med. ſelect. p.* 136. IVCH *Diſſ. cit. p.* 20. Conf. DARIES *Epiſt. de Amygdalis et oleo amararum aethereo p.* 8.). Amarities non inſidet oleo expreſſo, nam hoc aeque dulce eſt, ac quod ex Amygdalis dulcibus eruitur, vt igitur Angli medici arbitrio pharmacopolarum reliquerint, quales Amygdalas pro oleo eruendo eligerent. Reſidua vero poſt expreſſionem pars intenſe amara, quin amarior, quam ipſa Amygdala. Olei aetherei fragrantiſſimi, ſumme volatilis, acris, amariſſimi, aqua grauioris, tantillum (ad paucas guttas ex libris quinque Amygdala-

dalarum) ex ſurfuribus relictis, modo non decorticentur, deſtillatione cum aqua eruitur (DARIES *l. c. p.* 7. 11.); hinc eius ſedes in cuticula videtur quaerenda eſſe. Spiritus vini pariter extrahit efficaces Amygdalarum amararum partes (LEWIS *Mat. med. p.* 48.).

Suſpecta hiſce natura ineſt, vt quibusdam aliis ex hac familia partibus (Vid. ſupra Laurocerafus). Declarant id ſtrages variorum animantium, quibus per os ingeſtae. Occidere haſce Amygdalas vulpes DIOSCORIDI (*Mat. med. Lib. I. cap.* 176.) iam notum, quod idem de vulpeculis confirmat WEPFERVS (*de Cicuta aquat. p.* 244. 247.), alia experimenta propria et peregrina fide ſubminiſtrans. Necant et feles (*l. c. p.* 241.) vel ſaltim grauiter afficiunt, niſi grandior ſit (*l. c. p.* 243.), ſciuros (*p.* 246. *Ephem. nat. Cur. Dec. I. Ann.* 8. *p.* 184.), canes, volucres, ciconias, columbas, gallos gallinaceos (*Eph. nat. Cur. cit.*), pſittacos (*Eph. n. Cur. Cent.* 1. 2. *App. p.* 194.) Fringillas canarias (*Eph. nat. Cur. Dec.* 3. *Ann.* 1. *Obſ.* 156. *p.* 284.) aliasque aues (WEPF. *l. c. cap.* 19.). Canum tamen, vti felium, licet maiori copia iisdem intruſae fuiſſent, non peremtarum quaedam exempla exſtant (WEPFER). Vomitus quaedam bruta, vt felem (WEPF. *Hiſt.* 6.)

et

et canem (*Hiſt.* 8.) periculo eripuit. In hiſce, quae vel ſuccubuerunt experimento, vel grauiter eodem affecta fuerunt, paullo poſt, prout nominatim in gallinis, vacillauit greſſus, vt tanquam temulenta incederent, caput et collum torqueri coepit, in terram proſtratio ſucceſſit (*Eph. n. Cur. Dec. I. Ann.* 8. *p.* 184.), aliaeque manifeſtae conuulſiones apparuerunt; nec absque clamoribus aliisque dolorum indiciis. In vulpecula aliqua ſigna inflammati ventriculi adfuerunt (WEPF. *Hiſt.* 9.), in aliis effuſiones bilis, ſecretio vberior muci primarum viarum. Alia cito, alia tarde hiſce enecta. Effectus ceterum multa ſimilia habent cum iis ex veneno Lauroceraſi, ita vt et WEPFERVS (*p.* 249.) ingenioſe arbitretur, infeſtum eſſe haſce Amygdalas ex vi cordis motum imminuendi, ſufflaminandi. Virus quidem et citius et efficacius ſeſe manifeſtat, experimentum ſi fit Amygdalis non decorticatis, attamen et ſolam nuclei medullam illud comprehendere, effectus deleterii demonſtrant (WEPFER). Magmate nominatim poſt expreſſionem olei ſuperſtite perierunt complures gallinae (*Eph. n. Cur. Dec. I. Ann.* 8. *p.* 184.). Olei aetherei guttula vna fringillam intra duo minuta prima poſt conuulſiones necauit (DARIES *l. c.*). Eadem quantitas ori ranae per pennam illita, in mortis periculum illam praecipitauit, quod tamen eluſit in

 aquam

aquam coniecta (*l. c.*). Aqua ex hiſce Amygdalis deſtillata, volatilibus partibus bene impraegnata, brutis pariter deleteria eſt (Vid. ſupra aqua Ceraſ.), prout aliquando ſpirituoſi liquores fragrantia earum imbuti hominibus venenati fuerunt (LEWIS *M. m. p.* 48.). Minori tamen copia homini hae Amygdalae non nocent, vt ex vſu pro condiendis cibis vel bellariis euincitur, et potatorum exemplo, qui ſpirituoſum liquidum ingurgitantes illarum aliquot antea ingerunt. Anne ad arcendam ebrietatem? prout iam DIOSCORIDES notauit id contingere a quinis vel ſenis praeſumtis; et PLVTARCHVS medicum filii Imperatoris Tiberii producit, qui hocce praeſidio munitus inter quotidianas comeſſationes in bibendo reliquos omnes antecellere valuit. Ex duodecim tamen Amygdalis amaris captis inebriationis ſenſum expertus eſt LORRY (*de venenis* in HALL. *Hiſt. ſt. helv. n.* 1080.). Et larga quantitate nauſeam et vomitum mouent (LEWIS *l. c.*). Suſpecta haecce earum natura in cauſa ſine dubio eſt, quod rarius in formulis occurrant. Ad lotium mouendum et vermes necandos (Conf. *Ephem. nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obſ.* 77. *p.* 183.) aliquando in emulſiones receptae. Valuit aliquando contra febres intermittentes pertinaces, Chinchinam eludentes et recidiuas, emulſio ad libram vnam vel alteram quotidie ſilente

paro-

paroxyſmo propinata, ſed tartaro tartariſato et melle mixta (BERGII *Mat. med. p.* 413.). Laudantur et vi duodecim exemplorum hae Amygdalae contra hydrophobiam ex morſu animalis rabidi, dum nimirum praemiſſa ſcarificatione et cucurbitulis impoſitis aliquot Amygdalae mane per vnam vel alteram hebdomadem comederentur, balneo in auxilium capto, quod tamen ſubinde omiſſum eſt (THEBESIVS in *nov. Act. nat. Cur. Tom. I. p.* 181.). Miror breuitatem dictionis in re tanti ponderis, adeo, vt nec numerum Amygdalarum deſignatum inueniam.

PRAEPARATVM.

OLEVM AMYGDALARVM AMARARVM EXPRESSVM. Librae duae harum Amygdalarum duodecim vncias olei dederunt (DEHNE in CRELLS *chem. Iourn. P.* 3. *p.* 34.). Sapore ab altero dulcium non differre, iam indicaui. Tardius vero ranceſcit altero. Solent eius aliquot guttae meatui auditorio contra ſurditatem a cerumine aurium temporis mora indurato inſtillari, vt hoc ipſum ſoluatur. Sed portio ceruminis oleo huic immiſſa ſub calore corporis naturali nec colorem olei mutat, nec propriae tenacitatis mutationem ſubit. Aqua contra ea facillime ſoluit cerumen, tantoque citius, quo illa calidior eſt (HAYGARTH in *med. Obſ. and Inquiries Vol.* 4. *p.* 204.).

PVNICA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 385. *Gen. pl. p.* 248.

379.

Pharm. GRANATI *Pomum*, vnde GRANATI vulgo ſ. MALICORII Ph. Ed. *Cortex*; GRANATI *Semen*; BALAVSTIORVM *Flores*;

Punica Granatum; foliis lanceolatis, caule arboreo. LINN. *Spec. pl. p.* 676. *α*, Malus Punica ſatiua. C. B. Icon: DV HAMEL *Traité des arbres T.* 2. *p.* 193. 196; REGNAVLT *Botan.* Le Grenadier à fruit; item in IO. MILL *Illuſtr. Syſt. ſex. β*, Punica flore pleno maiore TOVRNEF. Arbor exigua, in Europa auſtrali, nominatim in Luſitania, Hiſpania, Gallia inferiori, Italia, item in Mauritania, indigena. Creſcit ſolo ſicco et ſtatione calida. Vbi aſperior hiems, per hanc in hibernaculo ſeruatur, aeſtate gratia florum phoeniceo colore tinctorum oculos recreans, praecipue ſi pleni ſunt. Apud nos praecox florum delapſus fructuum maturitatem fruſtratur. In Anglia hi quidem iuſtam magnitudinem aſſequuntur, ſed ſaporis iucunditate deſtituuntur (MILLER'S *Dict.*). Multiplicantur ramis depactis vel

vel radicum ſurculis, item per ſemina. Vt vero ſapidior fructus fiat, inſitione opus eſt.

THEOPHRASTO et DIOSCORIDI arbor eiusque fructus dicitur Ῥοα; HIPPOCRATI arbor audit Σιδη, vnde cortex fructus Σιδιον vel Ῥοιης. Flores Punicae ſatiuae autem DIOSCORIDI et GALENI Κυτινοι vocantur.

FRVCTVS, cuius anatomen inſtituit PVTIVS (in *Comm. Bonon. Tom.* 2. *P.* 2. *Tab.* 1-5.), pomum conſtituit ſubrotundum magnitudinis mali Aurantii, ſurſum ex reliquiis calycis coronatum dentibus quinque. Cortex eiusdem externe rubicundus, interne luteus, coriaceus eſt et craſſitie et tenacitate. Intra hunc pulpa rubra, ſucco per membranulas pellucidas ſcatens, nouemlocularis comprehenditur, cuius loculi ſeminibus oblongis angulatis duplicis ordinis referti, quae ipſa, extus ſuccoſa, ſub arillo duro medullam amaricantem includunt. Pulpa integri pomi vel ſeminum, ſi fructus maturitatem attigit, grate acido dulcis eſt, et ſugitur, vbi proſtat, copioſe. Sic beneficia eadem praeſtat, quae alii fructus ſuccoſi aeſtiui.

Verum extra patriam ratio potiſſimum CORTICIS habetur, qui ſiccus eſt et diffractus ſeruatur. Sunt,

qui nomen Malicorii a coriacea eius natura vel aptitudine coria perficiendi (vti PLINIVS) deriuant. Sapor corticis auſterus, amaricans. Ad efficaciora adſtringentia pertinet et gallis vi propius accedit. Aqua ex hocce extractum paratur, quod dimidium fere corticis pondus conſtituit et valde auſterum eſt; ſpiritu vini autem tantillum modo elicitur (LEWIS *M. m. p.* 299.). Vt ſimilia adſtringentia alia nonnunquam gargariſmata intrat. In epithemate aliquando eo vtimur ano vel vagina prolapſa. Internus vſus in haemorrhagiis vel ſeroſis alui profluuiis coërcendis euiluit, non ſatis fidus tutusque. De vi eius coria denſandi iam dixi.

SEMEN. Puluis nucleorum portiuncula thuris mixtus et aqua Roſarum bibitus duplici exemplo fluorem album mulierum curauit. Fruſtra vero tentatur in inueterato malo. Haec quidem PVTIVS (*Comment. Bonon. Tom.* 2. *P.* 2. *p.* 47.) in re graui iuſto breuior.

FLORES tam ex calyce quam petalis conſtant, et vulgo ſeliguntur pleni. Cl. LEWIS tamen et concedit flores arboris ferae, quae grandiorem corollam etſi ſimplicem gerit. Mitius hi adſtringunt cortice, ceterum, vt ille, parcioris vſus.

PRAE-

PRAEPARATA.

SYRVPVS GRANATORVM. *Ph. Würt. p.* 211. Ex ſucco fructus Granatorum et ſaccharo ibidem paratur. LINNEVS autem (*M. m.*) aeque ac HALLERVS (*Hiſt. ſt. helv. n.* 1098.) ſemina eo fine adhiberi innuunt. Facile dabitur, conducere in febribus, et bilioſis et putridis morbis, admixtum aliis efficacioribus, vt gratius capiantur.

CITRVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 580. *Gen. pl. p.* 391.

380.

Pharm. CITRI MALVM, ex quo *Caro* ſ. *Pulpa*, *Cortex*, cuius exterior pars *Flauedo*, interior *Albedo*; *Semen*.

Citrus Medica; petiolis linearibus. LINN. *Spec. plant. p.* 1100. Μηλεα μηδικη THEOPHR. DIOSC. cui et Κεδρομηλα. Malus Aſſyria. PLIN. Malus medica. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Citronier. Arbor ſemperuirens, in Media et Perſia ſpontanea.

Ex Aſiae ſuperiori plaga in Graeciam deſcendit. PALLADII, egregii de Citri cultura ſcriptoris,

autem ſollertia in Italiam migraſſe, C. BAVHINVS aliique poſt eum exiſtimant, ipſo illo tamen tacente de hoc merito. Certe haud diu ante PALLADII aetatem primum ibi culta fuit. Nam PLINII tempore colendi Citrum artem in Italia nondum innotuiſſe, lecto eius libro palam fit (*Hiſt. nat. Lib.* 12. *cap.* 3. *p.* 561. DALECH.) Nec vlla cultus eius a VARRONE, CATONE, COLVMELLA, fit mentio. In Italia hodie praecipue in ditione Genuenſi, et circa lacum Benacum ditionis Veronenſis, colitur. Poſtea ad Hiſpanos vicinosque Luſitanos cultura peruenit, et ab hiſce ad Gallos, apud quos hodie feliciſſime in auſtrali regionis parte, nominatim adiacentibus Prouinciae inſulis Stoechadibus exercetur. Ex hiſce potiſſimum terris, et ex Sicilia, in qua Inſula ante nuperrimam ex terrae motu deuaſtationem commercium cum Heſperidum fructu vario vnice ad vrbem Meſſinam ſe reſtrinxit (SESTINI *Lettere T.* 4. *p.* 163. 173. *ſq.*), fructus ad exteros transmittitur. Frigidius clima per hiemem non fert, ſed hibernacula requirit, quae Citris, Aurantiis, Decumanis in principum et ditiorum hortis fere vnice replentur, Heſperidum nomine. Fructus, qui in hiſce ad maturitatem perueniunt, vix diſtant ab iis gratia et efficacia, qui foris adferuntur. Propagantur hae arbores ſerendo ſemina et arbuſcu-

lis

lis inde prognatis gemmas praeſtantiſſimae indolis inoculando; vel et ramuſculos vaporario calido immittendo. Reliquas culturae regulas in compendium redegit b. A MÜNCHHAVSEN (*Hausvater T.* 3. *p.* 584.). Non huius eſt loci, omnes varietates Citri vel naturae in fructu formando luſus exponere. Horum vti reliquae Heſperidum familiae notitiam vna cum cultura, exactam debemus FERRARIO (*Heſperides ſ. de malorum aureorum cultura et vſu Libri quatuor Romae* 1646.), IO. COMMELINO (*Nederlantze Heſperides* 1676.), VOLCKAMERO (*Heſperides Norimbergenſes* 1713.), qui ipſi difficultati in diſcernendis per verba ſingularibus varietatibus opportune iconum auxilio ſubuenerunt. Multum operae in hiſce quoque depoſuit MÜNCHHVSIVS (*l. c. T.* 3 *Abth.* 8. *v. d. Agrumen* inde a *p.* 531.). Ad nos vero ſpectat ex amplo Citrorum complexu praeprimis iſta arbor, quae Limon vulgaris FERRARIO (*p.* 191. *c. Tab.* adiecta) dicitur, cuius quidem fructus pariter mox oblongior mox globoſior, coloris mox dilutioris mox ſaturatioris, medullae mox largioris mox parcioris, ſucci mox acidioris mox mitioris, magnitudinis quoque diuerſae.

Fructus oblongam figuram prae ſe fert, altero extremo in papillam deſinens, altero obtuſior, cui adhae-

adhaerent calyculi reliquiae. Extimam eius partem conſtituit cortex aromaticus, poſt maturationem flavus, vnde in officinis Flauedo audit, folliculis numeroſis oleiferis diſtinctus, qui ſuperficiem inaequalem reddunt ibidemque numeroſiſſimis poris hiant. Cum hoc arcte connectitur ſubſtantia alba ſpongioſa, inſipida fere. Intimam partem Pulpa ſ. Caro acida occupat nouem loculis per membranas firmiores formatis, qui tamen multis anguſtioribus cellulis membranoſis diſſepiuntur, relicto cauo medio longitudinali. Semina cuilibet loculo immerſa ſunt duo ouata, acuta, amara, quorum arillus a medulla facile deglubitur. Quoniam citrea mala ſucci praecipue de cauſa colliguntur: ea praeferas, quae multum ſucci idque valde acidi intra tenue modo tegmen vehunt. Hae ipſae notae in Malum Limoniam acidam C. B. cadunt; vnde Angli plerumque in praeſcribendo ſucco vtuntur voce *Succi* LIMONIORVM. Malus medica C. B. tamen huic Varietati antiſtat aromate corticis vberiori et efficaciori. Quae ad nos transferuntur Mala ante perfectam maturitatem decerpuntur, ne locorum diſtantia computreſcant, vnde ſuccus quidem deſtituitur eo acore, quo alias imbueretur.

Qui

Qui carne comprehenditur svccvs expreſſione elicitur colore ſeri lactis ex Malis decorticatis, et defecatus inditur vaſis ſeruando ei diſtinatis. Inſignis quantitas huius ſucci transmittitur ad nos ex locis, quae Citris abundant. In Sicilia pro hoc fine expreſſio ſucci ſequenti modo fit. Apice fructus vtroque praeciſo corticem ſex ſegmentis deglubunt. Denudata caro tum in corbes ex ſcirpo textas immittitur, quarum decem circiter, Mala citrea 6000 complectentes, ſibimet inuicem impoſitae prelo ſubmittuntur. Succus ſic expreſſus ex ſuppoſito vaſe in aliud transfertur, vt ſedimentum deponat. Poſtquam clarus euaſerit, doliis excipitur (SESTINI *l. c. T.* 4. *p.* 183.). De ſucco autem foris translato aliquando metuendum, ne ſucco immaturarum Vuarum dilutus fuerit (RETZIVS in *Vet. Acad. Handl.* 1776. §. 62.). Si ampullis ſeruetur, opus eſt iis, quae anguſtiori collo inſtruuntur. Copia mucilaginoſarum partium, quibus ſcatet, et quae expreſſione ſucci intra linteum quoad partem ibidem colligitur, in cauſa eſt, quod non diu ſeruari absque corruptela poſſit. Contra hanc non ſatis illum munit ſuperinfuſum oleum Oliuarum, etiamſi vas adhibeatur ad fundum epiſtomio inſtructum; nam breui obſcuratur ſuccus, amareſcit, mucorem contrahit, oleique ſaporem adſciſcit. Praeſtat omittere oleum et intra

ampul-

ampullam probe repletam ſuccum in cella ſeruare, dein adhaereſcentem per moram ſuberi cuticulam caute ſeparare probeque cauere, ne ſedimentum agitatione aſcendat. Sic mucilaginoſa parte priuatur, et adhuc poſt quadriennium probae notae fuit (GEORGII in *Vet. Acad. Handl.* 1774. *p.* 245. *ſqq.*). In itineribus maritimis contra corruptelam munitur, quinta vel ſexta parte ſpiritus vini Gallici vel ſpiritus Rum admixta. Hacce arte per triginta duos menſes integer perſtitit in itinere COOKII a Capite bonae ſpei ad polum antarcticum (FORSTER'S *Obſervations in his voyage p.* 638.). Sed vereor, ne acoris bonam inde partem perdat. Addito autem acido minerali, vt alii iubent, non poteſt non mutari natura eiusdem. Egregia igitur imitatio eius artis eſt, qua acetum fortius redditur, et tam concentrando acori quam corruptelae auertendae idonea, congelationi ſuccum ſubmittere. Hac nimirum aufertur et ſuperflua aquae pars, et mucilaginoſum inquinamentum. Requiritur autem ſuccus ſtatione et decantatione, quantum licuit, depuratus, quem ſub gradu frigoris 23-27 Fahrenheit. (nam hocce frigus aequiparari poterit gr. 3-5 Celſiani therm.) congelare cures, vtpote frigoris menſura huic negotio ſecundum experientiam maxime opportuna. Cruſta tum in vaſe glacialis mox ſeſe format ex mera

aqua

aqua conſtans, quae auferri debet, donec acida pars pariter conglaciare incipiat; vel, dum vnum vel plura vaſa glacie tegantur, duobus foraminibus pertunditur illa, et ſuccus per haec iteratis vicibus in aliud vas transfunditur, donec ſummum acorem receperit. Hac encheireſi canthari quatuor ſucci Citri vulgaris in menſuram vnam acidi fortis, ſaporis ſinceri, probi clarique, rediguntur. Octies igitur fortior redditur, quam ante fuit. Glacies initio demta acido ſapore caret, quo ſerius autem demitur, eo acidior eſt. Admiſſo frigore vehementiori integer liquor conglaciat, imo acidiſſima pars, quae tamen ſub regelatione prius deliqueſcit, tum ſenſim et aquoſa: verum ſeparatio vtriusque ſine iactura acidi fieri nequit, et hoc longe minus ingratum eſt. Praeferenda igitur eſt ſuperius dicta encheireſis, cuius pretium et in acido, per plures annos ſine magna ſollertia ſeruato, ſeſe approbauit (GEORGII *l. c.*). Ruber alibi deſcribitur tantique ponderis, vt ſpiritu vini vel aquae immiſſus fundum petat, nonniſi agitatione eleuandus (BERGII *Mat. med. p.* 634.). Notatum eſt ſuccum ſecundarium congelatum, acidum licet ſatis, non diu corruptelae reſiſtere. Poteſt et Citri acidum in ſal ſolidum euaporatione per calorem ſolarem redigi. Quod hac forma ex Iamaica transmiſſum, gratiſſimi fuit ſaporis tamque concentratum,

vt

vt ſcrupulus eius vnus, ea quantitate aquae deſtillatae ſolutus, quae aequat ſuccum Malo citreo alias comprehenſum, ſufficeret ad eam eodem gradu acoris imbuendam (PERCIVALS *phil. medical et experimental Eſſays p.* 219.). Hactenus vero non ſucceſſit praeparatio ſolidi ſalis ex ſucco Malorum ad nos translatorum; an quod non ſatis maturuerint (RETZIVS in *Vet. Acad. Handl.* 1776. §. 62.)? Pro itineribus maritimis ſuccum Citri vel Aurantii in Rob inſpiſſare maxime conuenit, quum in hiſce Mala ipſa non diu contra corruptelam muniri poſſint, et ſpatio quoque in nauibus parcendum ſit. Hoc ipſum paratur ex ſucco decantatione vel colatione depurato et in vaſe murrhino amplo intra ahenum aqua plenum, quae ad coctionem fere vsque incaleſcat, in ſpiſſitudinem ſyrupi craſſi vsque denſato. Quo lentius hoc fit, eo praeſtantius euadit *Rob*, vnde in Indiis ope caloris ſolaris paratur; ad minimum duodecim vel quatuordecim horae ad eius praeparationem artificiali igne requiruntur. Hacce arte per plures annos ſucci integritas ſeruatur. Difficile eiusmodi Rob aqua dilutum a ſucco recenti diſtingui poteſt. Vt vero fragrantia quoque illi competat, e re eſt paullo, antequam illud ab igne remoueatur, illi addere flauedinis corticis tantillum (LIND *on Scurvy p.* 160. *ſqq.*). Maſſiliae et Telone Martio copioſe inſpiſſa-

inſpiſſatur, indeque in reliquos portus Gallicos transmittitur, quo noſocomia et nauigia eius copiam habeant. Sic et ad Limonadam vel potum Punch idoneus ſuccus eſt (HVNCZOWSKY *med. chir. Beobacht. über d. Hoſpit. p.* 193.) Facile patet, Citri acidum haud minori commodo hanc in formam in officinis et pro vſu domeſtico vario poſſe redigi.

Succus recens expreſſus cum abſorbentibus, creta, conchis, lapidibus cancrorum fortiter ebullit eademque ſoluit, ſed non absque caloris adiumenta ſaturatur, ſaturatus autem miſcelam aqua fere omnino inſolubilem inſipidam conſtituit. Idem ſuccus lithargyrio ſatur miſcelam pariter inſolubilem praeſtat (RETZIVS *l. c. p.* 136. 138. §. 63. 67.).

Inter acida vegetabilia ſuccus Citri ſapore gratiſſimus et vel ideo aceto, alias vulgari, praeferendus. Frequentiſſimi in febribus acutis vſus, vt in quibus refrigerat, ſitim mitigat. Si biliosa diatheſis ſubeſt, hanc refraenat egregie. Nec minus in coercenda putredine valet, niſi dirior corruptela efficacius acidum ex mineralium claſſe expoſcat. Potionibus igitur et mixturis admiſceri ſuccus copioſe ſolet, vel pulpa Mali in orbiculos ſecta et ſaccharo bene conſperſa, item, quibus acidum non diſplicet,

 abs-

absque hocce palati blandimento, ingeritur ſiue exſugitur. Pulpa diſſecta iuribus carneis additur, vt damno praeuertat, quod haec in acutis alias facile excitaturae eſſent: praeſtat tamen ab hiſce iuribus in illis febribus omnino abſtinere.

Explorata ſaepe huius acoris in ſcorbuto mature auertendo et coërcendo efficacia eſt, licet in morbo tam graui tamque difficile curatu, ſi notabile incrementum ceperit, vnico auxilio acquieſcere non liceat. Sufficit ſaepe in curatione ſcorbuti vel vnicam vel primariam medicinam ſuccum Malorum citreorum ſ. aurantiorum vel eorundem pulpam extitiſſe. Atque huius efficaciae grauis teſtis cel. LIND (*on Scurvy p.* 150-168.) ex propria et aliena crebra experientia produci poteſt. Celerrimam et maxime conſpicuam virtutem ipſe explorauit (*l. c. p.* 150. 158.). Alii medico nauali (cl. MVRRAY *l. c. p.* 155.) hi quoque fructus in quouis morbi ſtadio et quauis ſpecie ſucceſſerunt, modo vires ſufficerent nec profluuium acceſſerit. Ita alio tempore quum ſcorbutus in claſſe quatuor nauium inſignem ſtragem exerceret, claſſiarii tamen nauis primariae priſtinam ſanitatem ſeruarunt vel iam deperditam recuperarunt, quum dux nauis quouis mane ieiunis iis tria cochlearia ſucci Limoniorum propinari curaret

ret (*l. c. p.* 156.), vt alia exempla notatu digna praeteream. Magni momenti eſt vna ſuccum expreſſum cereuiſiae admiſcere (*l. c. p.* 153. 167.), vel vino aqua diluto (*l. c. p.* 154.). Pulpa horum fructuum conſumta, tegmine eiusdem tumidae et dolentes partes vtiliter fricantur (*l. c. p.* 146.). Non minus virtutis eſt, gingiuis ſcorbuto correptis cortices Citri continuo applicari (LIND *l. c. p.* 165.). Et ſimilibus laudibus contra ſcorbutum KRAMERVS, BACHSTRÖMIVS aliique, qui de morbo hocce ex inſtituto egerunt, hoſce fructus cumularunt. Nihilominus tamen Rob Citri et Aurantiorum in itinere COOKII cum FORSTERIS neque ſuffecit ſcorbuto auertendo nec infringendo; vt igitur hiſce ſaltim experimentis probabile, euaporatione aliquid perdi, quod morbo aduerſum ſit (FORSTER's *Obſervations during a Voyage round the world p.* 637. *ſq.*).

Claruit quoque ſuccus hic vi calculum ſoluendi. Comprobata haecce variis experimentis extra corpus factis. Calculi enim ſucco Citri immerſi vel emolliuntur vel attactu diſſiliunt (LOBB *de diſſolv. calc. Exper.* 4. 6. 7.). Non tamen omnes eiusdem efficaciae auſcultant, quod non mirum, quum quosdam calculos acidis, alios alcalinis, ſubigi conſtet. Soluit et calculos in miſcela mellis, etſi debilius.

Idem fit, ſi potui Punch immittuntur, et dimidio quidem ſpatio temporis celerius, ſi huic potui mel additur (LOBB *l. c. p.* 20. *ſq.*). Aſt propius vero accedimus experimentis in ipſo homine captis. Iam dudum in lithontripticorum catalogo Limonium ſuccum primo loco nominauit FERNELIVS (*Method. med. Lib.* 5. *cap.* 25.). Sic profuiſſe legitur miſcela, melli ſpiſſitudine ſimilis, ex ſucci Citri vnciis tribus, olei Amygdalarum dulc. vnciis duabus, ſacchari vncia dimidia; imo ſola Limonada vino remixta, ne colica cieretur, Anglum calculoſum ſeruauit (*London Chronicle* 1761. *n.* 705. EX CRANZ *Mat. med. P. I. p.* 47.).

In vomitu ſiſtendo eximie hoc acidum valet, quo fine rarius quidem hodie ſolum datur, licet et ſic crebro ſucceſſerit (CHOMEL *Uſuell. T. I. p.* 393.), ſed plerumque ſale plantae cuiusdam alcalino commixtum ebullitionis tempore illud aegro propinamus; qua de re alibi iam fuſe dictum eſt (Vid. *Appar. med. Vol. I. p.* 122. *ſqq.*). — Minus cognita eſt efficacia ſucci Citri in ſopiendo dolore colicae bilioſae, quae cochlearibus eius maioribus duobus vel tribus captis praeſtari traditur, vtprimum ſuccus in ventriculum peruenerit (cl. MICHAËLIS in ill. RICHT. *chir. Bibl. T.* 5. *p.* 131.). — Saepe etiam compeſcuit

peſcuit palpitationes cordis hyſtericas, vbi reliqua omnia fruſtra tentata fuerunt (WHYTT *on nervous diſorders* in EIVSD. *Works p.* 649.), vnde conſenſus inter cor et affectionem neruorum ventriculi apparet. — Vſus domeſtici huius ſucci in connubio decocti Coffeae etiam ſupra memini (*Appar. med. T. I. p.* 397); quibus iam addere ſuppetit, in Holſatia celebratam medicinam non raro ex voto in febribus hiſce adhiberi, id quod et memorabili exemplo contra alia obſtinatae febris confirmatur (WEBER *Diſſ. de nonnull. febrifug. virtute p.* 21.). — In ictero ſuccus Aurantiorum et Limoniorum, ad quatuor vel ſex vncias per diem epotus, aliquando eximie profuit. (Sicque quidem valde empirice SAVNDERS in *Elements of the Practice of Phyſic p.* 170.). — Addo modo in ſuppreſſione lotii ſuccum vnius Mali citrei cum tribus cochlearibus olei Oliuarum ſelecti efficax eſſe remedium (CHOMEL *l. c. p.* 393.).

Vt alia acida parando ſero lactis inſeruit.

Multiplex eiusdem, gratiae cauſa, ad cibos vſus eſt, potulentaque varia grata intrat. Horum vulgatiſſimum *Limonada* eſt, ex acido Citri aqua diluto et ſaccharo dulceſacto, ſitim aeſtate et in febribus egregie fallens. Aliud celebratum iſtud, *Punch* dictum, eſt, quod ex ſucco Citri, ſpiritu

 Arrack,

Arrack, cui dupla aquae quantitas affunditur, ſaccharoque pro ſaporis gratia, paratur. Admiſcendo infuſum flauedinis aliquot Malorum citreorum aqua factum, potus tanto gratior euadit. Pleriſque calide ingeſtus magis placet. Quidam portionem vini Rhenani vel Campanici palati cauſa addunt (Conf. MÜNCHHAVS. *Hausvat. T.* 3: *p.* 592.). Caueant ab hoc potu, qui acido primarum viarum laborant. Male vero ſubinde alia viliora ſpirituoſa iſti Arrack ſubſtituuntur, vt Rum vel ſpiritus vini Gallicus, quum inde cephalalgia dira facile cieatur. — Ipſa caro citrea dulciaria arte conditur.

FLAVEDO, quae extimam tegminis, quod pulpam includit, partem efficit, fragrantis odoris et aromatici ſubamari calidique ſaporis eſt. Siccatione multum fragrantiae perit. Plurimum virtutis eiusdem ab oleo, quo ſcatent folliculi ſupra dicti, dependet, quod, quomodo ſeparetur et cuiusnam naturae ſit, infra docebitur. Medicaminis nomen meretur, quum neruos refocillet, ſtomachum roboret, flatus diſcutiat, ſudorem pellat. Quibus ſcopis tam ſimplici infuſione cum aqua quam variis praeparatis infra nominandis ſatisfacit. Quoniam calida eſt, auferri debet ab orbiculis Citri, qui potulentis vel cibis in acutis febribus adiiciuntur. Temporibus ſi appli-

applicatur interna flauedinis tenuiter conciſae pars, rubedinem in cute excitat et cephalalgiam aliquando in febribus tollit (HOME's *clinical Experiments p.* 32.). — Condimentum praeterea gratum ciborum et bellariorum bene multorum conſtituit.

Sunt et Mali citrei Varietates, quae ob albedinem craſſam, quae pulpam parcam circumdat, in pretio ſunt, quum inde *Succata* ſiue *Citronata viridis* praeparetur. Huic fini praeprimis inſeruit Malum citreum Genuenſium vulgare VOLCKAMERI (*l. c. p.* 115. et icon tam integri quam diſſecti Mali *p.* 116. *a.*). Eſt cortex ſaccharo conditus, qui ipſe ex Italia et Gallia meridionali in cadis exiguis ad nos affertur, et pro lubitu in ſyrupo ſuo vel et ſiccatus ſeruari poteſt. Cupediorum numerum auget, et bellariis placentisque variis delicatioribus affigitur. — Mentio et facienda eſt Malorum citreorum ſale conditorum. Haec in cadum repoſita aqua marina infunduntur pluries, primum per breuius dein per longius tempus, quod poſtquam mutatis vicibus per quadraginta dies continuatum fuerit, defunditur aqua marina, relicta modo eius exigua parte, et ſale tum Mala condiuntur (SESTINI *l. c. p.* 179.). Salita haecce Mala carni elixae et intinctibus gratiam conciliant.

SEMINA vermes necare inteſtinales multi perhibent, quam quidem vim amarities eorum cum oleoſa natura ſpondet. Contra aſcarides ſemina duodecim vel quindecim conquaſſata cum lactis vnciis quatuor addito tantillo ſacchari coquantur, ſubiuncta forti expreſſione. Praebio hocce per tres pluresue dies dato mortui cum ſcybalis deiici feruntur (LANGE *miſc. verit. med. p.* 85.). In deſuetudinem abierunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SVCCVS CITRI. Vide ſupra *p.* 269. *ſqq.*

SVCCVS CITRI CONCENTRATVS. *Ph. Suec. Ed.* 2. *p.* 42. Cfr. ſupra dicta vberius. Si huius drachma vna ſenſim ſex drachmis ſacchari puriſſimi inſtillatur, et hoc per vices exſiccatur, ſaccharum grate aceſcit: PVLVEREM LIMONADAE vocant, qui ſolutus aqua gratiſſimum acidulum potum erogat (*Vet. Acad. Handl.* 1774. *p.* 248. *ſq.*).

MORSVLI CITRI. *Ph. Suec. Ed.* 2. *p.* 91. eiusdem tenoris.

ROB E SVCCO CITRI. LIND. V. ſupra *p.* 272.

LAPIDES CANCRORVM CITRATI. *Ph. Würt. p.* 121. Seleniten tartareum conſtituunt, omnino fere inſolubilem. Ridendae igitur diaphoreticae, bezoardicae, diureticae, illis adſcriptae virtutes.

SYRVPVS

SYRVPVS ACETOSITATIS CITRI. *Ph. W. p.* 203. Ex ſucco Citri et ſaccharo. Grato ſapore et temperante virtute commendabilis; hinc mixturarum vulgare additamentum.

SYRVPVS CORTICVM CITRI. *Ph. W. p.* 208. Corticibus et granis Chermes vino maceratis, ex liquido cum ſaccharo ſyrupus fit. Rarioris ſed facile intelligendi vſus. Grana Chermes ſuperflua.

SYRVPVS CITRI E TOTO. *Ph. W. p.* 207. Ex corticibus Citri, ſucco eiusdem digeſtis, et ſaccharo. Vires aliquantiſper reſtaurat.

CORTICES CITRI CONDITI. *Ph. W. p.* 37. Aufertur albedo. Rarius vſurpantur corticibus Aurantiorum conditis.

SPIRITVS CORTICVM CITRI. *Ph. W. p.* 191. Deſtillatione corticum recentium cum ſpiritu vini diluto. Flatus pellit et ſtomachum roborat.

OLEVM DE CEDRO vulgo, ESSENTIA *Gallis*, ESSENTIA LIMONVM. *Ph. Lond.* Eſt oleum aethereum, quod in vtriculis flauae corticis Mali citrei partis reconditur, ibidemque a natura in ſua perfectione deponitur, ita vt adiumento modo opus ſit

ad illud ſegregandum. Elicitur hocce ex recentibus corticibus vel ope deſtillationis cum aqua, vel alia encheireſi. Vbi parcior horum fructuum prouentus, deſtillatione opus eſt, quae lento igne peragenda, quo primum oleum tenue et inſtar aquae limpidum, dein craſſius tranſcendit. Siculi quotannis olei deſtillati libras 3000 eliciunt (SESTINI *Lettere T.* 4. *p.* 186.). Sed praeſtat alia via vti. In Sicilia cortices, a Malis pro expreſſione ſucci ſeparati, inter duos digitos comprimuntur, oleum, quod exſudat, ſpongia crebro detergitur, quae, ſi oleo ſcateat, ſubinde premitur, vt oleum vaſe ſuppoſito excipiatur; ſic quotannis circiter 4000 librae olei colliguntur (*l. c. p.* 185.). Manibus ſibi inuicem applicatis exprimere oleum, vt roris inſtar proſiliat in patinam, vel illud, corticem verſus vas vitreum vel murrhinum digitis comprimendo, excutere, taedioſus et ſordidus labor me iudice eſt, nec commodus ad eam quantitatem eliciendam, quae poſſet. Magis lucroſa minusque taedioſa videtur encheireſis, quae in Italia exercetur; ibi ſcilicet affricant machinae numeroſis cuſpidibus inſtructae flauedinem Malorum, vnde dilaceratis vtriculis copia olei huius promanat, quae intra canalem confluit, ex quo in ampullam transfunditur (GEOFFROY in *Mem. de l'acad. d. ſc.* 1721. *p.* 159.). Quum tamen haud parca olei

pars

pars in corticibus ſic laceſſitis et in pulpam quaſi mutatis remaneat, haec ipſa intra duo vitra plana reponitur, vt reliquum oleum quoque expellatur; tum ſtatione praegreſſa limpidior eius pars, quae praeſtantiſſima, effunditur (BEAVME' *Elemens de Pharmacie T.* 2. *p.* 27.). Solent et eodem fine reſiduam dictam partem ſpiritu vini deſtillare, huncque demum aqua diluere, qua arte adhuc copia olei ſuperficiem petit facile ſeparanda (NEVM. *Chym. Vol. I. P.* 2. *p.* 302.). Oleum absque deſtillatione elicitum ſuauioris odoris eſt, item nonnihil craſſius oleo deſtillato, ſed ob mucilaginem admiſtam per breuius modo tempus conſeruari ſeſe ſinit. Dubito, an hodie, vt olim FERRARII (*l. c. p.* 173.) tempore, oleum hocce ex floribus vel frondibus deſtilletur. — Oleum de Cedro exiguis vitris ex Italia transfertur, et penetrantiſſimi odoris item ſuauiſſimi eſt. Hinc odoramenta varia intrat.

Elaeoſaccharum Citri vocant, ſi hoc oleum ſaccharo inſtillatur, gratiſſimi ſaporis. Breuius affricando fruſtum ſacchari cortici Citri recenti paratur. Imo ſtratum hocce ſacchari oleo impraegnatum ſi cultro ſeparatur, et ampullis bene obturatis inditur, impune per annum ſeruari poteſt, et eodem fine adhiberi, cui alias inſeruit recens oleum.

OLEVM SYRAE V. ZIERAE. Ex Belgio transmittitur. Creditur eſſe tenacius oleum de Cedro, quod ſeparato per deſtillationem oleo fluidiori et limpidiori remanet. Errare, qui Meliſſae turcicae oleum deſtillatum arbitrantur (THOREY in CRELLS *Entdeck. d. Chem. P.* 11. *p.* 56.).

ESSENTIA CITRI SICCA. (*Ph. Brunſv. p.* 246.) In Germania ita ſolet vocari ſaccharum oleo Citri imbutum, et in pulverem contritum. Pulueribus ſalinis gratiae cauſa crebro admiſcetur.

381.

Pharm. AVRANTIORVM *Malum*, ex quo *Succus*; *Cortex*; *Folia*. NAPHAE *Flores*.

Citrus Aurantium; petiolis alatis, foliis acuminatis. LINN. *Syſt. veg. p.* 580.

α) Malus Aurantia maior. C. B. Icon: FERRAR. *Heſp. Tab.* 369. 377. REGNAVLT *Botanique* l'Oranger. Arbor ſemperuirens originis orientalis, ſed hodie cultura copioſe in auſtralibus Europae regionibus alitur, alliciente venuſtate et vſu frondium, florum, fructuum. Inſula americana Curaſſao fragrantiſſima Mala profert (GAVB. *Adverſ. p.* 31.).

Auran-

Aurantium ab aureo colore corticis fructus dicitur, alii Arantium ab oppido Achaiae ſcribere malunt.

Veteribus ignota arbor videtur; certe nouiſſe illos eam nonniſi coniecturis abſoluere poſſumus. Grandaeua arbor, vt ducentos imo trecentos annos attingere dicatur, etiam foecundiſſima. Frigidam auram melius fert, quam Citrus, humiditatis quoque auidior. In ceteris, quae ad culturam pertinent, huc reuocanda, quae ſupra (*p.* 266. *ſqq.*) breuiter pro ſcopi ratione de Citro expoſita ſunt. Ibi et fontes indicantur, ex quibus Varietatum ſeges cognoſci poſſit. Nobis cum duabus primariis modo agendum; quarum vna praefixa *α*) eſt.

FRVCTVS huius globoſus eſt, vtrinque nonnihil compreſſus, vmbilicatus. Veſtitur cortice extrinſecus fuluo inaequali, poris copioſis pertuſo, interne albo fungoſo; intra hunc autem continetur parenchyma flauidum loculorum diuerſi numeri, 9 ad 12, ſucco pellucido vberrimo foetorum, quos formant diſſepimenta membranacea verſus cauum conuergentia, quae ipſa a ſe inuicem facile dilaceratione ſeparari poſſunt. Quilibet loculus cellulas oblongas numeroſiſſimas plurimam partem vtrinque acuminatus

natas complectitur (Conf. pomorum aureorum anatome in VOLCKAMERI *Heſperid. p.* 100. *et Tab.* annexa.) Semina ſubouata compreſſa hinc inde longitudinaliter ſtriata, ceterum iſtis Citri ſimilia.

Fructus immaturi ſ. *Aurantia curaſſauenſia. Ph. Edinb.* magnitudine Piſi ad Cerasum fere vsque, idque quidem virides, ſeorſim colliguntur. Recentes ſaporem nonnihil acerbum produnt, ſiccati autem toti grate aromatici ſunt ſimulque inſigniter amari, ex viridi bruni. Sponte quidem hi ex arbore copioſiſſime cadunt: ſed praeſtat decerpere iſtos, vtpote vegetiores. Magis hi aromatici ſunt, quam cortex maturorum, prout alia exempla fructuum exſtant, qui matúreſcendo aromatis decrementum patiuntur, vt Iuglandes, Caryophylli aromatici. Aurantia dicta maceratione ſpiritum vini grata viredine tingunt illique ſimul aroma cum amaritie impertiunt, quae dotes in extracto commode colliguntur. Aqua minus commodum menſtruum eſt. Sed cum hac ſi deſtillatur, aſcendit oleum aethereum flauum odoris fragrantis. Excellunt vi ſtomachica. Commode et fonticulis induntur ad effluuium eorundem alendum, incitandum. Cupediorum ſpeciem gratiſſimam conſtituunt hi fructus ſaccharo conditi,

ſed

ſed taediosae praeparationis (MVNCHHAVS *Hausvat. Vol.* 3. *p.* 596.),

FRVCTVS vero MATVRVS ſ. *Aurantium hiſpalenſe. Ph. Lond.* in vſu potiſſimum eſt. SVCCVS, quo caro eiusdem ſcatet, gratum acorem habet. Hinc in febribus ad compeſcendum calorem, et ſitim leniendam, cum aliis ſymptomatibus aptus eſt; et ad putredinem humorum coërcendam tam in acutis quam chronicis morbis. Eminet inter hoſce ſcorbutus. Mentio iam facta eſt huius efficaciae praecedente capite; quam ipſam iam RONSSAEVS (*de magnis Hippocr. lienibus* 1564.) cognouit, et numeroſi inter recentiores teſtes confirmant (V. LIND *on Scurvy p.* 150. *ſqq.*) Memini quoque Robis, quod in itineribus maritimis praecipue inſignis vtilitatis eſſe, et per plures annos ſeruari poſſe, ſignificaui. Viginti quatuor eiusmodi Mala, quae pondere quinque libras cum quatuor vnciis aequant, erogant libram vnam et vncias nouem cum dimidia ſucci puri, qui ipſe in Rob denſatus quinque circiter vncias pendet, ſpatium vero minus occupat, quam vnciae tres aquae; vnde patet, quantum vel ob parſimoniam ſpatii hac forma nauibus accommodatus ſit (LIND *l. c. p.* 161.).

Sub experimentis variis, digeſtione ſiue frigida ſiue calida factis, calculos vrinarios quosdam ſuccus

ſoluit,

ſoluit, vt inde anſa peti poſſit calculoſis illum exhibendi (LOBB *de diſſolv. calcul.* §. 495. *ſqq.*).

CORTICIS Aurantiorum exterior pars ſiue FLAVEDO copia vtriculorum oualium oleo eſſentiali ſcatentium inſtruitur, quod ex compreſſo digitis cortice imbris inſtar proſilit. Gratum amarorem cum aromate ſapido et fragrante prae ſe fert. Hinc quum efficacia tum gratia medicis ſeſe commendat. Siccando odoris multum perdit. Aqua frigida amaras praecipue partes extrahit, calida ſimul odoras. Spiritus vini rectificatus autem plus elicit, quam aqua. Deſtillatione cum aqua oleum aethereum, in quo reſidet odora pars, aſſurgit, nec niſi amara pars in reſiduo remanet. Calida eſt medicina, ſtomachi languori ſubueniens, flatus diſpellens, roborans, analeptica.

Praeter haſce vires, quae hariolando iam conſtitui poſſunt, aliae illi competunt, quarum ratio non adeo manifeſta. Huius natura eſt febrifuga corticis. In quartanis tantum illi tribuit DVBEVS (*Medecin des pauvres p.* 285. *ſqq.*), vt non vereatur illum Quinquinam Gallorum vocare. Magis vero exſpatiatur in eius laudes NIGRISOLIVS (*Febris china china expugnata. Ferrar.* 1700 *p.* 276. *ſqq.*), qui cortici peruuiano parem fere illum declarat, quin quibusdam

in

in caſibus iſto ſuperiorem, ſcite adiungens iis potiſſimum febribus conducere, quae vitio ventriculi et ſuccorum, quae chyloſin promouent, enaſcuntur. Recens autem detracto, ab alba interiori parte liberato, et vino generoſo vel et aqua macerato, vtitur, ad praebia quotidie terna, repetitione quoque probe cauens, ne febris reuerſio fiat; vel et exſiccato, cuius in puluerem ſubtiliſſimum redacti vnciam vnam perfundit libris tribus vini generoſi per nychthemerum vel aqua Cardui benedicti, quod infuſum partitis doſibus ingeritur. Placet et bolorum forma ad drachmam vnam pulueris bis vel ter de die in ſyrupo capiendam. Aliis commoda fuit eſſentia corticis Aurantiorum guttatim capta. Imo in febribus valde contumacibus, vinum hocce cortice impraegnatum in prandio et coena. Mirum, quod auctor plerumque remedio per ſe iam calido menſtruum vel vehiculum ſpirituoſum aſſignauerit. Ad calidioris naturae homines opportunitatem eius dandi reſtringens MÖHRINGIVS (*Comm. noric.* 1736. *p.* 20.), fatetur tamen et in remittentibus febribus valuiſſe, et quartanam ſororis ſuae iunioris, in electuario cum ſyrupo acetoſitatis Citri absque praeuia praeparatione poſt conſumtam vnciam vnam cum dimidia, ſufflaminaſſe, circumſpectionis cauſa ſubiuncta adhuc vncia dimidia. Inter plura fruſtranea experimenta binis tamen exemplis fugauit quartanam, data drachma vna pulue-

ris omni trihorio, ſummus WERLHOFIVS eo ſucceſſu, vt iam primus ſtatim paroxyſmus eo capto miteſceret (*Commerc. nor.* 1735. *p.* 98.). Limitanda igitur eiusdem in febre intermittente laus eſt.

Haemorrhagias praeterea quasdam ſedat. Maximi hunc corticem in fluxu menſium immodico facit SEPTALIVS (*Animadv. med. Lib.* 7. *art.* 144.) in decocto dilutiori. Tutiſſimum item aeque ac efficax pronunciat corticem HAMILTON (*de prax. reg. p.* 20.). Sed non iuuat, quando placenta vterina remanſit, nec quando cancri exulceratio vel excreſcentia quaedam in orificio vteri vel eius cauo ſtillicidium dictum excitauit, ſed tum modo, quando vel ſanguinis natura vel relaxatio vaſorum eiusdem in cauſa eſt. Decoctum tum ſaturatius requiritur, ſcilicet ex corticum numero ſeptem cum libris aquae tribus, donec remanſerint duae, coctis et ſaccharo dulcefactis, cuius quidem cochlearia decem ter vel quater quotidie ingeſta (*l. c.*). Multum ponderis huic remedio accedit WERLHOFII (*Opp. Ed.* WICHM. *p.* 460. *not.* 7.) auctoritate, item WHYTTII (*Works p.* 662.), qui tamen modo amici cuiusdam experientia nixus illud commendat. Hic vero, prout olim SEPTALIVS, recentibus corticibus vſus eſt, et cortices ſeptem cum libris tribus aquae ad libras duas coxit, addens colaturae ſacchari vnciam vnam et Elixirii vitrioli

trioli guttas ſexaginta, cuius miſcelae cochlearia ſex omni trihorio data. Sed rurſus ſolum decoctum corticum ſuffecit cl^{mo}. GVLBRAND (*De ſanguifluxu vterino Ed.* 2. *p.* 82.). Prout vero ad moderandum fluxum menſium immodicum aliquoties feliciter hunc corticem WERLHOFIVS (*l. c.*) adhibuit, ita et ſub moliminibus aberrantibus. — Imo proficere in haemorrhoidibus ſub vtroque dicto vitio hic idem expertus cognouit (*l. c.*), tacentibus aliis.

In morbis neruoſis, in quibus plerumque et ventriculus et inteſtina labefactantur, corticis huius eximia virtus eſt, quin praeferendus ille aliis amaris ſtimuli cauſa, quem ob aroma ſimul exercet. Eſſentiae variae ſimplices in officinis proſtant, ſtomacho opportunae. Commodum vero eſt connubium corticis huius cum mere amaris; cuius exempla praebent ELIXIR STOMACHICVM TEMPERATVM HOFFMANNI. *Ph. W. p.* 53. item TINCTVRA STOMACHICA WHYTTII (V. *Appar. med. T.* 2. *p.* 17.) non ſpernenda.

Ob gratiam ſaporis pani ſecalino ſaepe additur, item intrat alios multos cibos eadem de cauſa. Dulciaria praecipue ars condire eum varie ſaccharo nouit, vel eum in ſegmenta longa diſciſſum ſaccharo obducere, item bellaria eiusdem additamento palato placidiora reddere. Sic flauedo corticum Aurantio-

rum condita, vel ſuo ſyrupo perfuſa, vel ſicca ſeruatur; et non ſolum per ſe vires medicas poſſidet, ſed et variis medicamentis ad ſaporem corrigendum admiſcetur. Condiri quoque integrum Malum aurantium ſaccharo ſolet. Commemorandum iam celebratum iſtud iure potulenti genus, *Biſchoff*, eſt. Requiruntur pro hoc Mala aurantia recentia ſuccoſa, quae, poſtquam inciſus fuerit cortex, torrentur ſuper carbonibus candentibus donec cortex nigreſcat. Adhuc calida perfunduntur vino rubro et conquaſſantur, addito tum in vaſe obtecto ſacchari ſufficiente quantitate. Poſt aliquot horas liquidum potui idoneum eſt. Quidam panem ſecalinum toſtum reliquis addunt. Loco vini rubri alii vino Rhenano vtuntur, vtique nobili potu, vnde et Suecis *Aerkebiſkop* nomine venit. Deficientibus Aurantiis eſſentia corticum ſubſtitui poteſt, ſed caue ab iſta, quae ſpiritu vini paratur, quum diris cephalalgiis potus moleſtus euadat. Probe vero paratus ſtomachum egregie roborat et veſperi potatus ſudores blande ſub grato ſomno prouocat, ex quo expergefactus alacritatem et corporis et animi haud mediocrem ſentio. Acidum vero Mali ſpirituoſum vini ita temperat, vt ſolito maior huius potus, quam vini, menſura ferri poſſit.

FLORES *Naphae* dicuntur petala huius arboris. Sapor horum amaricans. Odor recentium ſuauiſſimus

mus omnibus conſtat, qui vero ſiccando eos omnino fere aufugit. Aqua illum deſtillando abſumit ſimulque oleum fragrantiſſimi odoris euoluit. Condiri a quibusdam ſaccharo ſolent, item filo traiecto ſuſpendi in vitro ſoli obuerſo, vt liquidum odorum tranſſudet, dein in exiguis vitris ſeruandum (MVNCHHAVS. *l. c. p.* 598.)

FOLIA verſus lucem conſpecta punctula pellucida produnt, quae nihil ſunt niſi folliculi oleum eſſentiale vehentes. Manu trita odorem grate fragrantem ſed debiliorem ſpirant, item ſaporem ſubamarum prae ſe ferunt. Inde a viginti duobus circiter annis celebritatem in curandis conuulſionibus, imo ipſa epilepſia, nacta ſunt, poſtquam inſtar arcani primum Hagae comitum vſurparentur, dein a cl. WESTERHOEF eius vrbis tam Phyſico, celato eorum nomine ad ill. DE HAEN (*Rat. med. T.* 6. *p.* 305. *ſqq.*) in puluere mitterentur, vt ipſe experimenta ſubiret. Certiorem tum eum reddidit cl. Ophthalmiater WENCEL, Vindobonae tum verſatus, arcanum miſſum nihil niſi Aurantiorum folia eſſe, vnde mox pro aegris publico ſumtu ſuſtentatis vndique collecta ſunt. Reuelatum et litteris Haga miſſis, quod hactenus inſtar myſterii reconditum fuit. Prima experimenta capta erant decocto foliorum vel cum Succolata miſto, quod videtur fuiſſe vulgatiſſimum, item ali-

quando in connubio vini rubri (V. formula cl. VELSE in HAENII *Rat. med. l. c. p.* 310.); vel et decocto per ſe dato. Saepe profuit mirifice in morbis conuulſiuis cl^mo^ WESTERHOFF, item ſucceſſit cl^mo^ VELSE (*l. c.*), qui eo et mitigatam aliquando colicam pictonum, eiusque ope vomitum colicae huius ſedatum, item infantem biennem, conuulſionibus epilepſia catalepſi detentum, conualuiſſe omnino, teſtatur. Ipſe HAENIVS in conuulſionibus variarum partium folia haecce optimo effectu ſuppeditauit (*l. c. p.* 308. 311. *ſq.*), in vera autem epilepſia nihil iis profecit, nec in tremore poſt terrorem ſuperſtite niſi leuamen attulit, quod et vnicum adiumentum fuit, quod alius quidam medicus in chorea St. Viti ab illis percepit (*l. c. p.* 313. *ſq.*). Adeo vero felici euentu tentauit hanc medelam in ipſa epilepſia in noſocomio St. Marci LOCHERVS (*Obſſ. pract.* inde a *p.* 44.), vt in plurimis paroxyſmum vel mitiorem vel rariorem redderet, in aliis malum omnino diſpelleret; quidam vero aegri etſi fruſtra illam adhibuiſſent, conſtantiorem tamen reliquis omnibus effectum illis praeſtitit. Fuerunt inter dicta emolumenti inde percepti exempla quaedam epilepſiae chronicae habitualis item varia ex terrore ortae. Sic puerum ex terrore epilepticum ſanauit foliis hiſce cl. HANNES (*Epiſt. ad* BÜCHN. *de puero epilept.*), recrudeſcente etſi poſt octo menſes malo: alia demum experimenta fidem

eorum

eorum in animo eius tam ambiguam reddidere, vt ne leniendae quidem epilepſiae (*Nov. Act. acad. nat. curioſ. T. 5. p.* 245.) paria quouis caſu declararet. Praeter dictos etiam alii epilepſia ex terrore nata iis liberati ſunt, quorum e numero puer ter hocce morbo correptus memorandus (GESNER *Schwäb. Samml. u. Beobacht. B* 1. *p.* 198.), item virgo (ANDR. IVL. LOOF *Diſſ. hiſt. epilepſiae fol. aurant. ſanatae, Gröning.* 1771.), et foemina 42 annorum per duodecim annos epileptica (MARX *Obſeruata quaed. med. p.* 33. *ſqq.*). In Suecia duos infantes hocce auxilio ab experientiſſ. STRANDBERG ſanatos, breuiſſime exponitur (ROSENSTEIN in HALLERI *Epiſt. Vol.* 5. *p.* 174.). Item ſuceſſit cl^mo. KÄMPF in duobus puerulis epilepticis, praemiſſis ob ſordes primarum viarum euacuantibus (*Act. Societ. ſcient. Haſſiac. T. I. p.* 156.). Hactenus quidem recenſui caſus, quorum tantum non omnes vel magis vel minus efficaciam foliorum in epilepſia confirmant. Sed alii proſtant, in quibus ſpem omnino fefellerunt. Contigit illud in puella octenni per duos annos epileptica, ſed poſtea Galio luteo ſanata (BONAFOS in RICHARDI DE HAVTESIERK *d'Obſeru. de Medec. T.* 2. *p.* 450.). De pari inertia queritur ill. HOME (*clinical Experiments p.* 211.) binis exemplis, quorum vnum pertinet ad epilepſiam breuis durationis in puero, alterum ad epilepſiam ſexennem in viro quinquagenario. TISSOTVS (*Traité*

 de

de l'epilepſie p. 335.) licet ſubinde aliquid commodi ſe obſeruante in epilepſia haec folia attulerint, longe tamen illa inferiora radice Valerianae declarat. Non poſſunt igitur pro vniuerſali ſpecifico in hoc morbo agnoſci, quod ſuſtinere nec ipſe LOCHERVS auſus eſt. Aſt iam iuuat, aliquando in morbo tam difficili profuiſſe.

Potiores vires in ſpaſmis et conuulſionibus hyſtericis compeſcendis poſſidere videntur. Non vlterius extendit pretium eorum WERLHOFIVS (*Opp.* ed. WICHM. *p.* 707. *not.* *), quin ad leuiores tantum conuulſiones huius generis reſtringit. Ad haſce reſpicere et TISSOTVM (*l. c.*) arbitror, qui folia in ptiſana foeminae, cui reliqua omnia nimio irritamento fuerant, vtiliter exhibuit. Ita et cl^mo^ MIEG (*Epiſt. ad* HALL. *T.* 5. *p.* 135.) apud pluſculas foeminas hyſtericas, cum in vagis doloribus ſpaſticis tum praecipue in ventriculi ſpaſtica affectione, virtutem ſuam approbarunt. In neruorum debilitate optimum exinde effectum expertus eſt KÄMPFIVS (*l. c.*). Non moror igitur caſum ſingularem aduerſum (HOME *l. c.*), in quo et reprehendi nonnihil poteſt, quod aegra per decem modo dies foliorum vſui indulſerit.

Tentari vlterius meretur, quid haec folia in tuſſi conuulſiua valeant; certe animum addunt tria

a

a cel. DALBEKG capta experimenta, in quibus folia tam in puluere quam infuſione, ſed ſolito largius, data auxilio fuerunt (*Vecko-Skrift för Läkare Vol. 3. p. 49.*).

Diuturna corporis praeparatione ante vſum huius remedii in epilepſia non opus eſt. Purgatio autem alui et ſubinde repetita praecedat, in plerisque et reuulſionis a capite cauſa venaeſectionem inſtituere viſum eſt (LOCHER *l. c. p.* 46.). Praeſtat ſimpliciſſima ratione folia adhibere, ſcilicet vel in puluere, cuius drachma dimidia (LOCHER) ad integram (TISSOT) bis (LOCHER) vel ter quaterue (TISSOT) de die ingeritur; vel in decocto, ita vt foliorum Aurant. conciſ. Manipulus vnus in libra aquae ad dimidiae conſumtionem coquatur, et colatura pro vnico praebio mane ſumatur (LOCHER *p.* 47.). Formulae huic ſubſtitui poteſt alia ex foliorum vncia dimidia cum viginti vnciis aquae per quadrantem horae cocta; quod liquidum et ſpatio vnius diei deſtinatur. Non negligenda autem huius remedii per plures menſes continuatio eſt.

Subiungo hic Varietatem, quae intra arbores Citrum et Aurantium quaſi media eſt, Limon Bergamotta in VOLCKAMERI *Heſper. p.* 155. *cum icone*

p. 156. *b.* dictam. Huius fructus quidem plurimam partem pyriformis, ſubinde tamen et rotundus, color corticis vt in Limoniis ſulphureus et ſapor ſucci acidus, ſed folia alata. Odor corticis craſſi amoeniſſimus ex oleo latente. Hoc inde elicitur in Italia nomine *Olei Bergamot.* Eſt pallide citrinum, fragrantiſſimum, acre. Odoramentis praecipue inſeruit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CORTEX AVRANTIORVM CONDITVS. *Ph. Würt.* *p.* 37. Laus ſupra iam dicta. Poſſet ſyrupus, in quo ſeruatur cortex conditus, vſui medico inſeruire, praecipue tum, quando palato blandiendum eſt. Sed proſtat et alius

SYRVPVS CORTICVM AVRANTIORVM. *Ph. W. p.* 208. Maceratione corticis in vino generoſo praegreſſa, quo menſtruo aromatica iſtius pars tanto melius extrahitur, additur ſaccharum. Ita efficacior euadit ad ſtomachum roborandum et flatus diſcutiendos neruosque reficiendos, ad quos ſcopos tamen nunquam ſolus porrigitnr. Gratiae cauſa mixturis decoctisque admiſcetur et pulueribus in electuarium formandis.

ESSEN-

ESSENTIA CORT. AVRANT. CVM VINO MALVATICO. *Ph. W. p.* 80. Ex flauedine corticis in vino dicto macerata. Eximium ſtomachicum et carminatiuum, quod ad vnciam dimidiam vel integram per ſe ingeri poteſt. Efficax quoque et ſimul ſimplex ſatis ad ventriculum roborandum elixir parari curo ex amaro quodam extracto in hac eſſentia ſoluto, addito tantillo liquoris anodyni HOFFMANNI.

ESSENTIA CORT. AVRANT. SPIRITVOSA. *Ph. W. l. c.* Ex cortice, ſpiritu vini rectificato digeſto. Calidior eſt et caput tentans, vt modo pro dictis ſcopis guttatim exhiberi poſſit ad guttas ſexaginta vsque. Subſtituunt quidam pro eſſentia cortici huic fructus aurantios immaturos, quae ipſa eſſentia alteri virtute vix cedit.

AQVA CORTIC. AVRANT. C. VINO. *Ph. W. p.* 14. Fit deſtillatione corticis vino albo macerati. Grate analeptica.

AQVA CORT. AVRANT. SIMPLEX. *Ph. Lond. p.* 52. Corticem recentem cum aqua deſtillando.

SPIRITVS CORT. AVRANT. *Ph. W. p.* 191. Pariter ex cortice recenti deſtillatur, menſtruis ſpiritu vini et aqua.

OLEVM

OLEVM CORT. AVRANT. *Ph. W. p.* 131. Duplici modo et hoc, prout de oleo Citri dictum eſt, paratur, deſtillatione corticis recentis cum aqua, et expreſſione. Primum propoſuit Pharmacopoea indicata. Alter, certe qui in inſula Curaſſao exercetur, hic eſt, quod oleum ex cortice recenti Mali maturiſſimi preſſo, verſus planum inclinatum laminae vitreae excutiatur defluensque ad vſum colligatur (GAVB. *Adverſ. p.* 31.). Recens oleum, prope excolor et fluidiſſimum, aetate fuſcum fit, et in balſami fere craſſitiem ſpiſſeſcit. Aroma ſuum et ſpirat et ſapit, aquae ſuperficiem tenet, acre, calidum. In Curaſſao oleum hoc commendabile maxime ſe reddit vi cardiaca ſtomachica et carminatiua. Saccharo ad aliquot guttulas exceptum etiam apud nos leuamen in colicis affectionibus praeſentaneum attulit (GAVBIVS *l. c. p.* 31.); ſponte patet intelligi eas, quas flatus collecti generant.

Mora aliquot annorum hoc oleum in fundo vitri, quo ſeruatur, probe obturati, *concrementum* producit, quod conſtat ex glebulis ſubluteo pellucentibus, inter ſeſe nonnihil cohaerentibus, formae multiplicis, ad tactum ſcabris, fragilibus. Sapor huius quidem, qui Aurantii cortici proprius, aromaticus, non tamen, vt olei, acris. Saliua deliqueſcit integra.

Aqua

Aqua leui concuſſione, vti et alcohole vini, non aegre ſoluitur, et vtrumque grato ſapore et odore imbuit. Neutrum vero horum menſtruorum, vt oleis alias cum aqua conquaſſatis fit, hocce turbatur. Intra cochleare ſuper prunis liquatur, dein vapores emittens ſenſim omnino diſparet, ſed absque crepitatione vel flammula vel ſcintilla et absque vllo reſidui cuiusdam veſtigio. Flammam nullam capit (GAVB. *l. c. p.* 30. *ſq.*). Patet igitur non vno indicio, pro camphora hoc concrementum haberi non poſſe. Eſt potius ſal quoddam volatile eſſentiale, ex ipſo oleo aethereo enatum, quod ſimile et ex Oleo Maioranae, Cinamomi etc. depoſitum conſtitit (Vide de horum ſalium natura plura in CARTHEVS. *Diſſ. phyſ. chem. p.* 327. *ſqq.*).

AQVA FLORVM NAPHAE *vulgo*, FLORVM AVRANTIORVM *Cod. Pariſ. p.* 166. Ob inopiam florum in temperatioribus Europae partibus ex Italia et Gallia transfertur; commendabilis odoris gratia et vi analeptica, vnde variis medicamentis addi ſolet.

OLEVM DESTILLATVM FLORVM NAPHAE. Aliis OLEVM ſ. ESSENTIA NEROLI dicitur. Vna cum aqua aſcendit. Rubrum, fragrantiſſimum. Ob pretium charum, quo venit, ſubſtituitur illi vulgo oleum Been cum floribus

bus digeſtum. — Male igitur CHOMELIVS (*Uſuelles T. I. p.* 393.) NEROLI ex cortice Citri deſtillari innuit.

Pharm. AVRANTII SINENSIS v. DVLCIS *Pomum.*

β) Citrus Aurantium Sinenſis. LINN. *Spec. pl. p.* 1101. Malus aurantia, cortice eduli. C. B. Icon rami fructiferi: Aurantium Olyſiponenſe FERRAR. *Heſper. p.* 427. Aurantium Sinenſe VOLCKAM. *Heſp. p.* 194. *C.*, qui ſubtilis eſt in diſtinguendo Aurantio Olyſiponenſi a Sinenſi. Creditur arbor ex regno Sinenſi primum in Luſitaniam translata.

Quicquid ſit, colitur in Europa hodie iisdem artificiis iisdemque locis, quibus reliquae Heſperidum arbores. Etſi in plerisque conueniat cum Aurantio vulgari: ſunt tamen quaedam in ipſa arbore, quibus differunt (MVNCHH. *Hausv. T.* 3. *p.* 545.). Et FRVCTVS diſtinguitur cortice paullum pallidius flauo, laeuiori, aromatico absque amaritie, ſucco denique dilute flauo dulci vel acido dulci. Proſtat et Varietas huius rarior ſucco purpureo.

Raro

Raro fructus inſtar medicinae impenditur, ſed ad eſum eius inuitat aeſtate reficiens ſuccus, qui cum gratia combinat vires ſaepe de fructibus horaeis recenſitas, temperantes, antiſepticas, modice reſoluentes. Facile igitur patet, quantum in ſcorbuto valeat. Nominatim commendantur haec Mala in morbo ex hocce fonte oriundo et in Friſia occidentali familiari, difficultate deglutiendi, ita nimirum vt ſex octo duodecim poma quotidie per longum tempus conſumantur (PEREBOOM in *Nov. Act. nat. Cur. Tom. 5. p. 26. ſqq.*).

RIBES.

RIBES.

LINN. *Syſt. veg. p.* 201. *Gen. pl. p.* 111.

382.

Pharm. RIBIVM ſ. RIBESIORVM RVBRORVM *Baccae.*

Ribes rubrum; inerme, racemis glabris pendulis, floribus planiuſculis. LINN. *Spec. plant. p.* 290. Groſſularia multiplici acino ſ. non ſpinoſa hortenſis rubra ſ. Ribes officinarum. C. B. Ribes vulgaris acidus ruber. IO. BAVH. *Hiſt. pl. T.* 2. *p.* 97. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Groſſeiller à Grappe et à fruit rouge. Frutex ſponte creſcens in locis ſubmontanis et ſubalpinis Sueciae, Heluetiae, aliarumque ſeptentrionalium regionum, in hortis vbiuis colitur.

Propagatio per ſemina quoniam nimis lenta, alii eiusdem modi, per ſurculos ex radice pullulantes, ramos deflexos vel praeciſos et terrae infixos, praeferuntur. Solo fertiliori melius frutex viget, fert tamen et ſterile. Cultura baccae, quarum ratio praecipue habetur, grandeſcunt et mitiores fiunt.

BACCAE

BACCAE magnitudinis fere Piſi, globoſae, pellucidae, vmbilicatae ſunt. Hae intra tegmen tenue pulpam comprehendunt ſuccoſam ſeminibus ouatis. Cultae vel rubrae, vel rubellae ſ. carnei coloris, vel albae ſunt. Acidiores ſunt rubrae, quarum tamen acor intenſior in frutice fero eſt; hic igitur medico vſui aptior. Succus rubrarum earundemque maturarum baccarum acido dulcis, ſubmucilaginoſus, grate ruber. Statione in loco ſubcalido in gelatinam ſponte coit. Immaturae baccae proxime accedunt ad Acetoſam mitigando dolorem in lingua ex Ranunculis guſtatis exortum, quamdiu ſuperficies eiusdem nondum eroſa (KRAPF *exper. cum Ranunc. p.* 102.).

Vis cum aliis fructibus acido dulcibus communis, temperans, antiputredinoſa, ſoluens, dignas hasce baccas reddidit, quae in febribus continuis, inflammatoriis, bilioſis, putridis, ſedulo adhibeantur. In hiſce morbis pro conditione diuerſa crudae, vel in ſucco expreſſo vel ſaccharo conditae, vel in Rob inſpiſſatae, item in ſyrupo, vſurpantur. Soluendi potentia, qua ſaponem aemulatur, ſacchari additamento multum augetur. Sic mixturis vel potulentis crebro praeparata varia ex Ribeſiiis admiſcentur. Pluſcula experimenta cum calculis, ſucco vel vino Ribeſiorum immiſſis, capta videntur edocere, haſce

baccas, licet naturae acidae ſint, contra opinionem calculo comminuendo non ſufficere (LOBB *de diſſolv. calcul. p.* 69.).

Frequentior longe harum vſus diaeteticus eſt. Crudae nimirum eduntur vel ſolae vel humectatae aqua ſiue oui albumine, et ſaccharo in puluerem redacto immerſae. Integrae quoque ſaccharo coquuntur et ſic acetarii inſtar vel in placentis ingeruntur. Item ex ſucco earundem expreſſo cum ſaccharo gelatina (Marmelade) parari poteſt, ſola miſcela absque vlla coctione, ſenſim ſub continua et protracta agitatione ſacchari puluerem admiſcendo. Quod cupediarum genus iisdem, quos dixi, ſcopis inſeruit, item aqua ſolutum egregie aeſtate, et in febribus, reficit. Nec reticendum eſt vinum ſapidum, grate rubrum, quod ex ſucco cum aqua tepida expreſſo et poſt additum ſaccharum farinaceum fermentationem ingreſſo obtinetur (*Hjelpreda i hushållningen* 4. *Upl. p.* 494. ROZIER *Obſerv. et Mem. T. I.* 1773. *Mart. p.* 184. *ſq.*). Ex fecibus ſpiritus vini deſtillari poteſt, Gallico vix inferior (*Hjelpreda p.* 495.). Acetum quoque ex hiſce baccis obtineri (GVNNER. *Flor. Norv. p.* 46.), facile creditur.

PRAEPARATA.

ROB RIBIVM RVBRORVM. *Ph. Würt. p.* 163.

GELATINA RIBESIORVM. *Ph. Lond. p.* 67. Ex ſucco bacca-

baccarum et ſaccharo in mellis ſpiſſitudinem coctis. Vires egregiae iam dictae.

SYRVPVS. *Ph. Würt. p.* 199. Differt a priori praeparato, maiori copia ſacchari et fluiditate.

383.

Pharm. RIBESIORVM NIGRORVM *Baccae; Folia.*

Ribes nigrum; inerme, racemis piloſis, floribus oblongis. LINN. *Sp. pl. p.* 291. Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 556. REGNAVLT *Botan.* Le Caſſis ou Groſſeiller à fruit noir. Frutex ſponte ad ſtagnorum et fluuiorum ripas et in ſylueſtribus Germaniae, Angliae, Heluetiae, Sueciae, item in Finnia prope margines viarum creſcens. In hortis baccarum praecipue cauſa colitur. Ramis praeciſis et terrae impactis facile propagatur.

Omnibus partibus ſpirat odorem lotii felini, vel odorem fere cimicum.

BACCAE globoſae Piſum aequantes, vel maiores, vmbilicatae, nigrae et nitentes recondunt medio intra ſuccum obſcure ſanguineum ſubſtantiam

compaſtiorem, gelatinoſam. Expreſſione elicitur ſuccus rubro violaceus, qui colatus in gelatinam tenuiorem ſponte ſpiſſeſcit. Quibusdam crudae in deliciis ſunt, alii easdem repudiant. Lotium pellere arguunt materiae medicae commentatores tantum non omnes, inque eo (Vid. e. c. HALLERVS in *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 819.) ad FORESTI auctoritatem provocant. Mihi quidem hunc ſciſcitanti obuenit commendatio decocti vinoſi ex ſeminibus Dauci et gemmis Ribis nigri, caſu ſingulari facta (*Opp. Lib.* 25. *Obſ.* 10.), item alio loco laus efficacior connubii *foliorum* eiusdem cum aliis multiplicis generis decocto deſtinatis (*l. c. Obſ.* 18. 19.). Sed equidem non audeo gemmas per baccas interpretari, tanto minus, quum veras gemmas non deficiat ſua virtus, nec etiamſi baccas intellexiſſet, tribuiſſem hiſce in lotio pellendo multum in connubio Dauci ſeminum, quae quidem ſola diuretica eſſe, alio loco ſignificaui. Simile ferendum de foliorum in farragine aliorum miſcela.

In angina inflammatoria plus fidei hiſce baccis ineſt. Vnde ab Anglis *Squinancy-berries* dictae, quibus ipſis quoque, quoad ſciam, primam huius virtutis notitiam debemus. Eius meminit RAIVS (*Hiſt. plant. Vol.* 2. *p.* 1486.). In angina commendari

dari notauit DALE (*Pharmacol. p.* 321.). Item mulieribus quibusdam in Anglia medicinae operam nauantibus efficacia Robis harum baccarum in angina iam dudum cognita fuit (*Phil. Tranſ. Vol.* 41. *P.* 2. *p.* 656.). Hocce Robe et ſibi et aliis anginoſis ſubuenit Theologus quidam, qui et deficiente iſto decoctum ex foliis cum lacte vel praeſente hieme ex cortice pro gargariſmate ſubſtituit. Huius laude inductus fuit cl. BAKER (*loc. cit.*), vt in ſemet, ex refrigerio, anginae inflammatoriae in ſuppurationem alioquin tranſiturae ſaepe obnoxio, Rob tentaret, eo ſucceſſu, vt eius ope per duodecim annos intra paucas horas a malo liberaretur. Quod idem contigit multis eiusdem amicis, quibus, vt hocce remedium in vſum verterent, auctor ſuaſorque fuit. Quod alio tempore corriperetur iterum vetuſto malo, licet Robe vſus fuiſſet, tribuit quidem aetati eius bienni, qua eneruatum fuiſſe illud putat. Quod ſi verum ſit, valde tamen dubito, inflammationem iam eo inualeſcentem et violentia et duratione, vt puris contracti ſumma ſuſpicio adeſſet, exigua portione Robis nouiter parati tam cito potuiſſe diſcuti et ſudore foetente excipi, vt potius pus collectum aliorſum translatum, et, quantum elucet, per vias vrinarias expulſum arguam. — Ratio iam patet, cur alibi Rob hocce gargariſmis addere, item baccas ſaccharo

conditas per vices deglutire, in angina ſuaſum fuerit (ROSENSTEIN *Barnſjukd p.* 241.).

Ex hiſce baccis ſapidum vinum parari poteſt, aetate praeſtantius (BRAVNER *om Svenſka viner p.* 7. BERGII *Mat. med. p.* 156.). Parant et ex hiſce cum melle Hydromellis ſpeciem (WARGS *Hjelpreda p.* 493.), item aquam ſpirituoſam (*l. c. p.* 494.). Ratafia baccarum multis placet, quam vlterius noſſe qui cupiat, ablegandus ad CHOMELIVM (*Uſuelles T.* 3. *p.* 142.), item cl. DEMACHY (*L'art du deſtillateur liquoriſte P.* 2.) eſt.

FOLIA. Odor fortis iſte deſcriptus augurium de ſingulari eorum efficacia excitat, ſed nondum haec ſatis experimentis euicta eſt. Nam meris exclamationibus non fido, quibus prodigus eſt auctor libelli: *Les proprietés admirables du Caſſis, qui a la vertu de guerir pluſieures ſortes de maux, à Bourdeaux* 1712. (cuius cenſuram dedit CAMERARIVS in *Eph. nat. Cur. Cent.* 8. *p.* 272.). Aquae indita praebent infuſum non abſimile Theae Chinenſi et pariter ex vitriolo martis nigricans, quod ex tenellis foliis paratum huius loco quosdam delectat. Tingunt folia ſpiritum frumenti ita, vt Gallicum aemuletur. Morſum animalis rabidi irritum iisdem reddi, quod enchiridia quidem repetunt, fidem ſuperat.

PRAE-

PRAEPARATA.

ROB RIBIS NIGRI. *Ph. Suec. p.* 107. *Ph. Roſſ. p.* 112. Mirum in Anglicis pharmacopoeis non obvenire, quum tamen in Anglia tantum celebratum fuerit. Omittunt et Germanicae. Laus iam dicta.

SYRVPVS. *Ph. Suec. p.* 119. *Ph. Roſſ. p.* 122. Aemula virtus.

ORDO XXIX.

HESPERIDEAE.

MYRTVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 384. *Gen. pl. p.* 248.

384.

Pharm. MYRTI *Baccae; Folia.*

Myrtus communis; floribus ſolitariis, inuolucro diphyllo. LINN. *Spec. pl. p.* 673. Var. *γ. italica,* Myrtus communis italica. C. B. Myrtus foliis ouato lanceolatis acutis, ramis rectioribus. MILL. *Dict.* Μυρσινη et Μυρρινη Graecis. Icon: REGNAVLT *Botanique,* Le Myrthe. Arbuſcula, Veneri dicata, ſemperuirens, in calidioribus Europae regionibus, vt Galliae, vbi in prouinciis maritimis bene viget, Hiſpaniae, Italiae, aliis, ſpontanea. In frigidioribus regionibus intra hibernacula per hiemem ſeruari debet.

Venuſtate frondis et florum magis hodie placet, quam efficacia medica, qua non valdopere eminet.

BACCAE tamen pluris fiunt foliis, et illae vnice fere in officinis occurrunt, etſi vtraque pars eiusdem poten-

potentiae, nec iſtae facile extra patriam maturitatem aſſequantur. Bacca ouata eſt, coronata vmbilico quinquefido, magnitudine fere Piſi, nigra, includens intra tres loculos ſemina totidem reniformia. Recens et gratum aroma tam odore quam ſapore prodit, et ſenſum adſtrictionis cum leui amaritie in lingua excitat, qui ſenſus ex ſicca bacca fere vnicus eſt. Hoc idem et de FOLIIS valet, quorum adſtringens natura in infuſo, miſcela vitrioli martis facile cognoſcitur, et coriario vſu, ad quem Neapolitani et Calabri eadem adhibent. Et tonicae quidem partium harum virtuti praecipue veteres inhaeſerunt, vt ex indice amplo virium, quarum meminit DIOSCORIDES (*Mat. med. L. I. c.* 155,) apparet, quorum veſtigia ſequutae ſerioris aetatis ſcholae potius, quam ex propriis experimentis ad profluuia ſanguinea, nominatim haemoptyſin, vel ſeroſa ex aluo, coërcenda, prolapſum vteri vel ani, fluorem album, laxitatem gingiuarum, rel. eas commendarunt. In cibis baccae ante inuentum Piper vicem eius apud veteres geſſerunt (PLINIVS *L.* 15. *c.* 29. DALECH. *p.* 687.). Sed et hic vſus et *Vinum* myrtites et *Oleum*, vel ex baccis vel ex foliis infuſione paratum, et *Syrupus* myrtinus, qui diutius ſeruatus, iam euiluerunt.

385.

Pharm. CASSIAE CARYOPHYLLATAE *Cortex.*

Myrtus caryophyllata; pedunculis trifido - multifloris, foliis obouatis. LINN. *Spec. pl. p.* 675. IACQVIN. *Obſ. Vol.* 2. *p.* 1. *Americ. pict. p.* 76. Arbor in Zeylona, item in Iamaica, Cuba, Guadeloupe, Grenada aliisque Indiae occidentalis inſulis creſcens.

Fructus a Zeylonenſibus editur (BVRM. *Theſ. Zeyl. p.* 57.)

CORTEX affertur ſegmentis aliquot pollices longis inſtar Cinamomi conuolutis vel planioribus, lineam dimidiam circiter craſſis, extus ſubaſperis, coloris cinerei, interne fuſci vel fuſco ferruginei. Caryophyllos aemulatur odore, item ſapore, qui tamen mitior eſt ſimulque adſtringens (IACQVIN). Et aqua et ſpiritus vini infuſione odoris partibus imbuitur, hic et ſapidis. Extractum ſpirituoſum, valde acre, octauam circiter partem corticis conſtituit, aquoſum $\frac{1}{16}$. Olei aetherei valde pauxillum ineſt, ita vt integra libra miculas eius modo paucas, quae ſeparari ſeſe non patiuntur, eroget (CARTHEVS. *Mat.*

Mat. med. T. 2. *p.* 195.), quod ipſum oleum caryophyllacei odoris eſt, ſed acrius vero iſto ex Caryophyllis aromaticis (LEWIS *Mat. med. p.* 192.). Id quod remanet ingrate auſteri et amaricantis ſaporis eſt (ID.).

Lucri fraudulenti cauſa aliquando puluis huius corticis admiſcetur Caryophyllis pari modo ſubactis, quippe quum hi ipſi maiori pretio veneant. Non minor ſimilitudo virium medicarum eſt, quae ipſae ad aromaticis communes, ſtimulantes, ſtomachicas, calefacientes, pellentes, exiguntur. Verbo creditur hic cortex nonniſi gradu efficaciae Caryophyllis inferior eſſe. Aſt in deſuetudinem fere omnino in copia ſimilium abiit.

386.

386.

Pharm. AMOMI *Semen.* Ph. Würt., item PIPER IAMAICENSE Ph. Lond. et Edinb., item PIMENTA Ph. Ed.

Myrtus Pimenta; foliis alternis. LINN. *Spec. pl. p.* 676. Myrtus arborea aromatica foliis laurinis. SLOANE *nat. Hiſt. of Iam. Tom.* 2. *p.* 76. *Tab.* 191. *fig.* 1. Caryophyllus foliis oblongo-ouatis glabris alternis, racemis terminalibus et lateralibus. BROWNE'S *nat. Hiſt. of Iam. p.* 247. Pimenta de Chapa Hiſpanis. REDI *Experimenta circa varias res nat. p.* 133. cum *tab.* quae fructum depingit. Arbor in noua Hiſpania Americes et in inſulis Antiliis creſcens nominatim Iamaica; vbi loca petroſa occupat. Ibidem et plantatur ſollicite ambulacri ſerie, ſedulo cauendo ab incendio, quod ſi incideret, ob inflammabiles particulas, quas arbor ſpirat, exſtingui vix poſſet.

Non vna huius arboris pars aromate calido impraegnatur, folia, cortex, baccae. Linquo foliorum in balneis vſum, quo in patria oedemata pedum diſſipare ſtudent (SLOANE), de baccis vnice dicturus, potioris celebritatis. Hae matureſcentes viriditate priſtina depoſita nigrae fiunt, globoſae, vmbi-

vmbilicatae coronula quadripartita, biloculares ſeminibus duobus hemiſphaericis. Decerpuntur autem ante maturitatem, ne ſeriori collectione aroma debilitetur. Hinc ex auulſis racemis ſedulo auferuntur maturae, et reliquae ſuper planis ſolis radiantis et agitationis crebrae ope ſiccantur; quod factum rite eſſe, colore, qui ex viridi in brunum vel fuſcum mutatur, et ſtrepitu ſeminum intra baccas ſub agitatione cognoſcitur. Sic et ſuperficies earum antea glabra rugas contrahit. Maturae baccae tantum aromatis perdiderunt, vt baccas Iuniperi aemulentur, et in delicias auium cedant, quibus ipſis propagatio arboris plurimam partem debetur. Immaturae autem, prout in forum transferuntur, ſiccatae, vel aequant magnitudinem Piperis nigri, vel, vt plerumque, ſuperant, mox globoſae mox nonnihil oblongae ſunt, vmbilicatae denticulis detritis, ſaporem plurium aromatum, Caryophyllorum, Cinamomi, Nucis moſchatae, prae ſe ferunt; vnde et Anglis *Allſpice* dictae, quaſi quodlibet aroma in hoc vnico collectum eſſet.

Oleum aethereum recondit, cuius ex baccarum libra integra drachmam modo dimidiam circiter elicuit CARTHEVSERVS (*Mat. med. Vol.* 2. *p.* 361.), ex vncia vero vna eandem quantitatem (NEVMANNVS

(*Chemie*

(*Chemie* 2. *B.* 2. *Th. p.* 93.). Hoc ipſum ex rubro brunum eſt, odore et ſapore ad oleum Caryophyllorum propius accedens, ſed blandius, tam graue, vt aquae fundum petat. Et huic vis praecipua inſidet, nam reſidua poſt deſtillationem pars extractum nonniſi iners erogat.

Ad condiendos cibos adhibentur baccae, frequentius tamen in Anglia ex opportunitate ſine dubio regionum, quam alibi. Et hunc vſum commendat blandior eiusdem natura, quam quae vulgaribus condimentis ineſt.

In medicorum formulis raro hodie hic fructus occurrit, etſi non contemnendus ob efficaciam cum aliis aromatibus communem. Interim

AQVA PIPERIS IAMAICENSIS. *Ph. Lond. p.* 53. notanda, quae ipſa aquaefontanae ope parata fragrante baccarum odore inſtruitur. Proſtat et alia in officinis Anglicis ſpiritu vini tenui facta.

Baccae hucusque dictae confundi non debent cum *Caryophyllis Plinii*, Poivre de Thévet, quod nomen cl. GEOFFROY (*Mat. med. Traité T.* 3. *p.* 222.) tanquam ſynonymon Piperis Iamaicenſis proponit,

CHOME-

CHOMELIVS (*Plant. uſuelles T. I. p.* 407.) autem probe diſtinguit. Nuperius cl. DEHNE (in CRELLS *chem. Iourn. P. I. p.* 109.) memoriam eius reſuſcitauit, tribuens illi figuram ouatam, craſſitiem Amomi, ſed maiorem longitudinem et compagem pulpoſiorem. Ex huius vnciis octo olei vncia vna elicita, vix diſcrepans ab oleo Caryophyllarum (*l. c. p.* 111.).

MELALEVCA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 582.

387.

Pharm. CAIEPVT ſ. KAIVPVT *Oleum.*

Melaleuca Leucadendron; LINN. *Mant. I. p.* 105. Myrtus Leucadendra. *Spec. pl. p.* 676.). Melaleuca Leucadendron, foliis alternis lanceolatis ſubfalcatis quinqueneruiis, ſpica elongata. LINN. filii *Suppl. p.* 342. In hocce libro duae Varietates ſiſtuntur: α, *latifolia*, foliis falcatis lanceolatis acutis maioribus; et β, *anguſtifolia*. LINNEVS, pater, autem in Varietatum conſtitutione ad numerum diuerſum neruorum in foliis reſpexit; quae diuerſitas ſi vera, ne differentia quidem ſpe-

ciei

cifica ſignificata conſiſtere poteſt. Ante omnia ſequentes notari debent: α) Arbor alba, (*maior*) Caju Puti RVMPH. *Herb. amb. Vol. cit. p.* 72. *Tab.* 16. Myrto-Leucadendron GARCINI apud BVRM. in RVMPH. *l. c. p.* 75. De groote Cajoe-Poeteh-boom VALENTYN *Verhaal van de Geſchiedeniſſen en Zaaken in Amboina etc. Vol.* 3. *p.* 192. Melal. Leuc. foliis multineruiis. LINN. *Syſt. veg. l. c.* et β) Arbor alba *minor*, Caju Puti RVMPH. *l. c. Tab.* 17. *fig.* 1. De kleine Cajoe Poeteh VALENTYN *l. c. p.* 193. Melal. Leuc. foliis trineruiis. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Melaleuca Kajupoetie HOVTTVYN *Natuurlyke Hiſtorie Pars* 2. *Sect.* 3. *p.* 212. *Tab.* 15. qua ipſa partes fructificationis, etiam lente auctae, cum ramulo foliifero optime depinguntur. Ex hac nominatim arbore omnibus partibus, conſequenter et foliis longe minori, oleum originem ſuam capit. Arbor Indiae orientalis in Amboinae aliarumque iuſularum Moluccarum montibus frequens. Varietas *anguſtifolia Suppl. pl. l. c.* in noua Caledonia reperta (FORSTER'S *Voyage round the world, Vol.* 2. *p.* 391.).

Diu delituit origo OLEI dicti ſiue ſtirpis, ex qua proueniat, ſiue partis eiusdem, ratio habeatur, et, vt in rebus incertis fit, coniecturis variis rem expe-

expedire tentatum eſt. Quin etiamnum ſuperſunt varia de hocce ſcitu neceſſaria momenta, vlterius explananda. Plerique olim ex Cardamomi ſpecie illud eſſe, ſuſtinuerunt. VATERVS (*Comm. Nor.* 1731. *p.* 366.) nimirum a SEBA fructum obtinuerat, tanquam veram olei huius matrem, Cardamomi longo officinarum ſimilem. Idem Cardamomum, quod et medium dicitur, poſtea agnouit Anonymus (MARTINI, in *Diſſ. epiſt. de oleo Wittnebiano ſ. Kaiuput p.* 6. 13.). Ita et ill. TREW, ex fructus ſibi miſſi, cuius ſeminibus natales olei huius adſcripti, cum aliarum Cardamomi ſpecierum fructibus ſimilitudine concluſit, Cardamomi ſpeciem eſſe, fructum quoque depingi iuſſit (*Comm. Nor.* 1737. *p.* 129. *ſqq. Tab. I. fig.* 7. 8.), vtque aſſerto fidem tanto maiorem tribueret, oleum ex granis erui curauit, quod refert omnibus notis cum illo ex India congruiſſe. Fructus autem hic oblongo ouatus ſ. fere cuneiformis eſt, duos pollices longus et granulis anguloſis triplici ordine refertus; qui igitur manifeſte a tribus vulgaribus Cardamomi ſpeciebus, quae in pharmacopoliis ſeruantur, diſcrepat. Numeroſos iſtos auctores, qui ex hiſce fontibus hauſerunt, non moror. Diſpar igitur de ſpecie fructuum Cardamomi ſententia fuit, quorum hiſtoria in vniuerſum adhuc valde tenebricoſa eſt, vt et nominum ambiguitas moleſta ſit. Horum qui oleum Caieput ex Cardamomo deriuarunt, potiſſimum argu-

mentum fuit hoc, quod oleum vtrumque tantopere quoad naturam conſpiret. Sed quidni ſapor, odor, color aliaeque notae poſſent conuenire in oleis, vt aliis corporibus, originis etſi diuerſae. Opportune igitur VALENTYNVS (*Verhaal etc. l. c. p.* 193.), verbi diuini olim apud Amboinenſes miniſter, non ſpernendus hac in re iudex, fatetur, licet oleum Caieput cum oleo Cardamomi quibuslibet notis conueniat, diuerſae tamen ſtirpis progeniem eſſe.

Iam vero extra omne dubium poſitum eſt, verum oleum ex Melaleuca Leucadendro eſſe. Id quod LINNEVS, Eques, iam anno 1772. (*Diſſ. Obſſ in materiam med. p.* 5.) declarauit, dein FILIVS (*Suppl l. c.*) confirmauit. Si viro cuidam ex India orientali reduci, honeſto et litterato, credendum: ex ligno arboris, quod album eſt, deſtillatur (GOETZ in *Comm. Nor.* 1731. *p.* 4.), quorſum et nomen *Caie* (*album*) *put* (*lignum*) ſpectat, niſi potius hoc nomen epidermidem, vt in Betula, albam, qua eminus arbor dignoſcitur, reſpiciat. Ex FOLIIS autem deſtillatione elici, primum nos edocuit VALENTYNVS (*l. c. p.* 193.), dein RVMPHIVS (*l. c. p.* 77.), qui hac encheireſi ex Arbore alba minori Caiu Puti obtineri oleum, ſpirans Cardamomi fortiſſimum odorem, vt ipſa folia contrita, innuit, etſi non praeciſe nomen ſuetum iſtud oleo adiungat. Quae ante aliquot annos eiusdem arboris

folia

folia ex loco natali Amſtelodamum translata fuerunt, oleum eiusdem naturae et praeſtantiae ibidem deſtillatione erogarunt, ac quod foris venit (*Nieuwe vaderlandſche Letter-Oeffningen P.* 3. *n.* 3. *bladz* 104. quem vero librum fruſtra hactenus quaeſiui, et *Natuurlyke Hiſtorie l. c. p.* 216. *nota* *). Continetur hoc ſine dubio intra folliculos iſtos exiguos, qui in foliis arboris microſcopio deteguntur (V. *Natuurlyke Hiſtorie l. c. Tab.* 15. *fig. F.*), ſimiles iis, quos in foliis Hyperici perforati cernimus.

Ex India orientali in Europam transfertur. Magna nominatim copia deſtillatur in inſula Banda, vnde intra ampullas Batauiam dein in Belgium mittitur. Quo tempore ibidem praeciſe inclaruerit, et quo adiutore, vix certo conſtitui poteſt. Mentionem eius vno verbo fecit inter alia olea aromatica a. 1717. LOCHERVS (in *Act. nat. cur. Cent.* 5. *et* 6. *App. p.* 157.) tanquam condimenti infuſi Theae et Coffeae. Lipſiae in pharmacopolio LINCKII (*Breßlauer Verſuche* 1719. *p.* 258.) iam a. 1719. fuit. Anno circiter 1726. pharmacopolia Amſtelodamenſia primum intrauit (SCHENDO VAN DER BECK in *Act. nat. cur. Vol. I. App. p.* 123.). Artem autem deſtillandi illud quidam WITTNEBEN, Guelpherbytanus, theologiae antea in patria deditus, dein in inſula Iaua diu commoratus, edocuiſſe fertur (GOETZ *loc. cit.* item ANON. *Diſſ. epiſt. de Ol.*

Wittneb. p. 9.), vnde et oleum Wittnebianum dictum; an hic ipſe vero litterarum commercio de praeſtantia eius medica Germanos certiores fecerit, non conſtat. Certe in Germania oleum hoc longe plus celebritatis, quam in aliis terris obtinuit, vt in qua pleraque experimenta capta, et adhuc capiuntur. Tacent de eo indices pharmaceutici Anglorum et Gallorum, item libri de materia medica apud hoſce euulgati. Quoniam in officinis raro niſi corruptum occurrit, et hinc inde ex ſeminibus Cardamomi a pharmacopoeis Europaeis deſtillatur, adſcripto licet Caieputi nomine: difficile eſt genuini charactereres ſuppeditare. Requiritur iudicium viri ſcientis, qui oleum in ipſo loco natali erutum ſcrutinio ſubiecit. Cel. THVNBERGIVS ibidem quidem eius ſpectator non fuit, ſed quoniam illi in India orientali, ſcil. Iaua, Zeylona, verum oleum examinandi commoda occaſio ſuppetiit: e re eſt, notas ab illo ſuppeditatas publici iuris facere. Deſcribit (V. *Vet. Acad. Handl.* 1782. *p.* 223.) illud gramineo viride, fluidum inſtar ſpiritus inflammabilis, tamque ſubtile et purum, vt accenſum vel euaporationi commiſſum ne minimum quidem reſidui relinquat; ſpirare camphoram cum aliqua odoris terebinthinacei miſcela; odorem, ſi copioſius et fortius nares ferit, initio eſſe ingratum, minori autem copia vel diſperſa olfactum, valde gratum. Differunt hi characteres in quibusdam ab iis, quos allegat

GOET-

GOETZIVS (*l. c. p.* 5.), concinnatos ex oleo, quod pro vero illi a peregrinatore honeſto oblatum eſt. Hoc enim limpidum et aliquantiſper ſubflaueſcens fuit, vtique in vitro non omnino repleto nec accurate obturato diutius ſeruatum, odorem ſparſit fortem fragrantem initio gratum, ſenſim ſubterebinthinatum, tandem Sabinae digitis contritae ſimilem, diutiſſime perſeuerantem, ſaporem edidit aromaticum ad Roriſmarini oleum proxime accedentem; demum id pro criterio ſinceri habitum, quod guttula vnica temporibus illita morſus ſenſum in oculi cantho interiori et lacrymas cieret. Addo hocce oleum aquae inſtillatum eidem ſupernatare et aëre libero facile auolare. Plures notas adiungerem de ſolubilitate eius in ſpiritu vini, de habitu eiusdem in connubio acidorum mineralium aliasque, niſi ſemper metuendum, ne cum adulterato oleo res fuerit. Varia tamen huius generis experimenta ab ANONYMO (*l. c.*), CARTHEVSERO (*Diſſ. de oleo Kaiuput* in *diſſ. phyſico-chym. ac med. p.* 89. *ſqq.*), cl. ADAMI (*Diſſ. de Oleo Caiepu p.* 20.), capta, iucunde leguntur.

Viridi vel virideſcente colore plerumque venale comparet, qui color autem a multis non eſſentialis ſed aduentitius habetur; cui tamen ſententiae effatum THVNBERGII aduerſum eſt. Creditum nuper, viredinem eſſe vegetabilis naturae et baccae vel herbae

additamento deberi (DEHNE in CRELLS *chem. Iourn. P. I. p.* 112.), nominatim reſinae Milleſolii (HEYER *loc. cit. P.* 3. *p.* 102.). Verum manifeſta veſtigia cupri analyſis chemica aliquando reuelauit. Et hoc quidem vel ſub deſtillatione in vaſis cupreis ſtanno obductis (BINDHEIM in CRELLS *chem. Entd. P.* 3. *p.* 81), vel per moram in ampullis cupreis, quibus oleum ex India transmitti ſolet (HEYER *l. c. P.* 11. *p.* 256.), ſolui et ſeſe admiſceri potuit. Fraude quoque aliquando viredinem impertierunt oleo ſpurio, vt genuinum referret. Quin coniectura eſt, oleum modo Rorismarini, quod fraudulenti admiſcent, hoc colore imbutum fuiſſe (*l. c. P.* 11.). Si a cupro viredo prouenit: coeruleo viride comparet oleum; ſi a reſina addita: profundius viride minusque pellucidum conſpicitur (*l. c. P.* 3.). Concluſio ex hiſce, praxi medicae maxime profutura inde enaſcitur haec, oleum Caieput coeruleo viride non parum ſuſpectum eſſe. Nam licet et cuprum nuperius medicamenti iura obtinuerit, et in quibusdam malis conducat, quibus oleum Caieput idoneum eſt: ſunt tamen alia, contra quae oleum Caieput praecipitur, in quibus miſcela cupri neutiquam concedi poteſt. Forſitan et oleum virideſcens ex ſpecie Cardamomi elicitum fuit; etenim ex ſeminibus Cardamomi maioris oleum albo virideſcens euocarunt SPIELMANNVS et HERMANNVS (*Diſſ. de Cardamomo p.* 33.) et, quod expulſum ex Carda-

Cardamomo longo ſ. medio, coloris pallidi in flauo viridem inclinantis fuit (ANON. *Diſſ. epiſt. de Oleo Kajuput p.* 14.).

De ipſo modo oleum genuinum in India eruendi, et proportione, qua foliis ineſt, nihil fere conſtat, quam quae RVMPHIVS memoriae reliquit. Siccata ſcilicet folia poſtquam noctu aqua macerata fuerint, deſtillationi ſubiiciuntur. Oleum vero, quod prodit tenue, pellucidum ſubtile Cardamomique odorem fortiſſimum ſpirans, exigua modo quantitate praebent, vt ex duobus ſaccis iſtis foliis repletis vix tres eius drachmae expellantur. Ratio inde cognoſcitur inſignis pretii, quo genuinum venditur, ſimulque multiplicis illud adulterandi artis. In Suecia olim quaeuis vncia dimidii ducati aurei pretio venit, cel. THVNBERGII autem cura iam dimidio vel minori valore ibidem in officinis proſtat (*l. c. p.* 226.). Exemplum adulterationis huius olei hoc eſto, quod Belgae olim oleum Anthos tantillo oleo Cardamomi ſubinde et pauxillo camphorae commiſcuerint hancque miſcelam grata viredine imbuerint (CRELLS *chem. Entd. P.* 3. *p.* 83.).

Inſectorum naturae oleum Caieput valde aduerſum eſt. Inſtillatum illis, vel ciſtulae modo, cui includuntur, mox necantur. Circulus ſi eo circa

 cater-

cateruam formicarum formatur, quaſi inebriantur, vacillant et paullo poſt pereunt. Commodum ideo eſt ad tuendas veſtes et collectiones rerum naturalium contra inſecta illas depaſcentia. Auium vel aliorum animalium exuuiae ſi Dermeſte lardario ſimilique inſecto eroduntur, inſtillatis aliquot eius guttis mox fugam capit (THVNBERG. *l. c. p.* 227.).

Sed noſtra praeprimis ſcire intereſt, quam efficaciam in corpus humanum exſerat. Genuinum oleum corpus vehementer calefacit, ſanguinem aliosque humores exagitat, neruos ſtimulat et ſubtili ſua natura per lentos humores penetrat, ſicque eos attenuat et ſudorem copioſe pellit. Aethereorum oleorum ſcimus haec eſſe communia. Sed aliis prout maiori efficacia antiſtat: ita vel maxime vim antiſpaſmodicam ſibi priuam habere experientia conſtat. Hanc eamque certam quum ſecter: nolo multos iſtos titulos morborum repetere, contra quos chirurgus quidam naualis in Indiam orientalem profectus (*Breslauer Verſ.* 9. *p.* 258. *ſq.*), BEYERVS (*Breſl. Verſ.* 25. *p.* 569.), SCHENDO VAN DER BECK (*Act. nat. curioſ. Vol. I. App. p.* 111.) et GOETZIVS (in *Comm. Nor.* 1731. *p.* 4.) oleum hocce valere ambigua ſubinde fide indicarunt, inter quos quidem occurrunt nonnulli, quibus curandis et per alios conſtitit illud par eſſe.

Inter

Inter alia potiora leuius meritum videtur, quod ſudorem pellat efficaciter,° ob quam ipſam tamen vim, quam vnice tangit RVMPHIVS, Indis valde acceptum eſt. Haec forſitan in cauſa eſt, quod in oedemate et hydrope anaſarca profecerit (CARTHEVS. *Diſſ. de oleo Kaiuput in Diſſ. phyſ. chym. ac med. p.* 105.); prout pluries audaci conſilio, etſi non infelici, febris intermittens ſudoriferis profligata, in qua nominatim oleum Caieput laudem obtinuit vino ſumtum ante paroxyſmum (experientia VALENTYNI *in Verhaal, l. c.*).

Eminet vero praecipue virtute in morbis ſpaſticis et conuulſiuis, qui multiplicem ſcenam in corpore humano ludunt, caſibus adeo grauioribus, et hiſce qui aliorum remediorum vim eludunt, idque in vtroque ſexu. Huius loci ſunt conuulſiones, corpus vniuerſalius corripientes in homine, cuius pedes verſus caput contrahebantur caputque rurſus verſus pedes ſub ſenſuum perfecto diſpendio (ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 18.); caſus quoque epileptici cuiusdam (GÖTZE *l. c. p.* 5.). Choream St. Viti feliciter fugat fide praeſertim grauiſſima ill. virorum MEIBOM (ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 17.) et WERLHOFII (*Oper. ed.* WICHM. *p.* 711. *not.* * ENGEL *Syll. epiſt. Werlh. p.* 192.), quin etiam tum, quando praeſtans alias cortex peruuianus et oleum animale Dippelii huic malo tollendo non ſufficiunt. Qui ex eodem fonte, vitioſa irritabilitate,

pullulant ſpaſmi hyſterici idem ſaepe agnoſcunt auxilium (WERLH. *Op. l. c.* MEIBOM in ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 17.). Adiungo hic catalepſin ex lapſu, quam leuauit inſigniter, etſi illa ob penuriam olei perfecte curari non potuit (GOETZE *l. c. p.* 5.).

Tranſeo ad tribus huius vitia partialia; quorſum refero conuulſiones capitis (GOETZE *l. c.*), deglutitionem ex ſpaſmo poſt praegreſſum catarrhum impeditam (ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 20.), motus conuulſiuos pedum vel brachiorum in grauiditate pariter ac poſt puerperium ingruentes (MEIBOM in *Diſſ. ep. cit. p.* 16.), dolores ventris cum ructuum crebra eruptione ex ſpaſmo ventriculi et inteſtinorum (NEBEL in *Act. nat. cur. Vol.* 8. *p.* 405.). Cardialgiae ſpaſmodicae etiam medetur. Teſtis huius efficaciae grauis eſt, TREW, qui ſaepius hocce oleo in ſpaſmis ex voto vſus, pluribus caſibus et hanc praeciſe explorauit (*Comm. Nor.* 1734. *p.* 35. 1742. *p.* 303. Cfr. *l. c.* 1739. *p.* 75.). Cardialgia a podagra retrogreſſa orta pluries quoque hocce oleo deuicta fuit (WERLHOF. *Op. ed.* WICHM. *P.* 2. *p.* 710.). Spaſticae ſine dubio naturae fuere dolores iſti atroces poſt partum, huius olei beneficio diſcuſſi (*Comm. Nor.* 1739. *p.* 75.). Conuulſiones faciei puellae inunctio eius ſedauit (THVNB. *l. c. p.* 227.).

Neruos

Neruos praeterea paralytice affectos liberat. Inunctionem olei in membris mane et veſperi factam hoc ſcopo iam VALENTYNVS (*l. c. p.* 193.) impenſius laudauit. Interno autem eius vſu conualuit hypochondriacus quidam, ſtupore paralytico brachii cum vertigine et memoriae inſigni labe diu correptus (MEIBOM in ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 16.). Alius, qui ex febre tertiana ſuppreſſa atrocem dolorem colicum et dein amauroſin contraxerat, illius ope cum conſtantia vtroque malo liberatus eſt (TREW in *Comm. Nor.* 1737. *p.* 187.). Haecce coecitatis ſpecies alias in mentem reuocat, contra quas pariter profeciſſe oleum fertur, cataractas et maculas oculorum (SCHENDO V. D. BECK *l. c.*). Surditas vero octo dierum, poſt variolas infantem grauius affligentes reſidua, intra paucos dies diſparuit captis aliquot guttis interne iuncta eius in aures per goſſypium applicatione et pone aures inunctione (LENTIN *Krankh. am Oberharze p.* 31.).

In odontalgia a carie faſcini inſtar dolorem ſedat (GOETZE *l. c. p.* 5. LINN. *Diſſ. Obſ. in M. m. p.* 5.) goſſypio inſtillatum et eroſo denti inditum; nec hacce in re aliis oleis aethereis calidioribus, vt Caryophyllorum, Origani, rel. cedit (SCHENDO *l. c.*). Sed et in eo dentium dolore praeſtantiſſimum eſt, qui ex refrigerio et rheumatica cauſa oritur (THVNBERG *l. c. p.* 224.). Rheumatiſmi chronici et affinis mali, arthri-

arthritidis, oleo Caieput per os ingeſto curati varia memorantur exempla (*Comm. Nor.* 1735. *p.* 38. ANON. *Diſſ. epiſt. p.* 16. ADAMI *Diſſ. de oleo Caieput p.* 25.). Aſt et inunctione eius vel alia adminiſtratione externa promte tollitur, niſi malo nimis inueterato (THVNB. *l. c. p.* 224.). Ophthalmia pertinax in foemina arthritica diſparuit muccinio, cui inſtillatum oleum, oculis praetenſo (*l. c.*). Tutiſſimo et celerrimo effectu tam climate calido quam frigido arthriticis membris illinitur; poros enim aperit et fomitem morbi diſſipat (*l. c. p.* 225.).

Sunt et caſus herpetis eo inuncto diſſipati; item cephalalgiae, quam naribus oblatum et temporibus illitum diſcuſſit, vel ſaltim mitigauit (THVNB. *l. c. p.* 227.).

Sanguinem porro ad inferiora deriuat, vt in ſuppreſſione menſtruorum, ſecundinis retentis, vel molis vel foetu mortuo (BOENECKEN in *Act. nat. cur. Vol.* 8. *p.* 14.), et haemorrhoidum fluxu retardato, conſtitit (SCHENDO *l. c.*).

Reſtat tantum, vt, quomodo oleum Caieput aptiſſime ore capiatur, ſignificem, nam quomodo extrinſecus, prout rerum conditio requirat, adhibeatur, paſſim iam expoſitum eſt. Sacchari fruſtulo ad

ad duas, tres, ſex, imo duodecim, quod rarius, guttulas (WERLH. *Op. ed. et loc. cit.*) inſtillatum ter vel quater de die ingeritur. Excipi et poteſt vino, Liquore anodyno min. Hoffm. vel ſpiritu nitri dulci. Pro mali natura vtiliter infuſa calida ſuperbibuntur. Promtum plerumque effectum exſerit, vt nec diuturna continuatione opus ſit, prout ſolent ea, quae neruos praecipue afficiunt. Non excludit vero haec medicina aliorum efficacium connubium, ſicut vel WERLHOFIVS in affectionibus neruoſis ſaepe corticem peruuianum combinauit.

CARYOPHYLLVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 412. *Gen. pl. p.* 270.

388.

Pharm. CARYOPHYLLI AROMATICI; ANTHOPHYLLI.

Caryophyllus aromaticus; LINN. *Sp. pl. p.* 735. Caryophyllum. RVMPH. *Herb. amb. Vol.* 2. *p.* 1. *ſq. Tab.* 1. 2. 3. Caryophyllus, Kruidnagelboom. HOVTTVYN *natuurlyke Hiſtorie Vol.* 2. *P.* 3. *p.* 44. *Tab.* 12. *fig.* 1. vbi etiam flos fructusque diſſecti microſcopii ope repraeſentantur. Le Geroflier. SONNERAT *Voyage à la nouvelle Guinée p.* 196. *Tab.* 119. Conf. de flore

Hiſt.

Hiſt. de la Soc. R. de Medec. de Paris Vol. 2. p. 296. Arbor in inſulis Moluccis, et, vt nuper compertum, in Noua Guinea (SONNERAT *Voyage à la nouv. Guin. p.* 200.) quoque ſpontanea. Si RVMPHIO fides: in Amboina, Oma, Honimoa et Naſſalauta hodie modo creſcit, poſtquam Belgae, ne lucrum huius mercis illis eriperetur, eandem in reliquis inſulis deſtruxerint. Sed neque hanc narrationem eſſe fidam, nec aliam (SAVARY *Dict. T.* 2. *p.* 653.) quod eadem de cauſa inſulam Ternateam vnicum arbori domicilium conceſſerint, docent nuperiora felicia Gallo-Francorum tentamina in variis inſulis Moluccis facta. Etenim huic genti a. 1770. et 1772. ſucceſſit clam fructus et plantas huius et Myriſticae arboris ex Gueby, Moluccana inſula, transferre in inſulas Isle de France, Bourbon et Seichelles (*Hiſt. de l'acad. de Sc. de Paris* 1772. *P. I. p.* 56.). Sub quo ad colligenda haec aromata ſuſcepto itinere, compertum, in alia inſula Ceram, mox antea omnes vtriusque generis arbores a Belgis fuiſſe deſtructas. Plantationes in inſula Franciae factae nihil, quicquid falſo rumore in contrarium dictum, de priſtina arborum praeſtantia perdiderunt, ſed fructus optimae notae tulerunt (SONNERAT *Voyage aux Ind. orient. T.* 2. *p.* 81.), etſi Caryophylli ibidem ſunt paullo minores et minus bruni, quam Amboinenſes (TESSIER in

ROZIER

ROZIER *Iourn. de Phyſ.* 1779. *l. c p.* 53. Cfr. LE GENTIL *Voyages dans les mers de l'Inde T.* 2. *p.* 690.). Ex hacce inſula transuecta fuit Caryophyllus a. 1773. in inſulam Cayenne (TESSIER *l. c. p.* 47.), in qua et plantatio optime ſuccedit, vt ex icone rami Caryophyllis onuſti, qui inde in Galliam in rei teſtimonium transmiſſus fuit, conſtat (TESSIER apud ROZIER *l. c. tab.* 1.). Vt Caryophylli tanto praeſtantiores ſint, cultura arboris accedat oportet, quae praeprimis a Belgis in Amboina magno ſtudio et ſucceſſu peragitur, de qua vero pauca modo conſtant, quoniam eiusdem artem euulgare a ſummo magiſtratu interdictum (RVMPH.). Requiritur humidum ſolum (SONNERAT *Voyage à la nouv. Guinée p.* 197.) et initio ſtatio inter proceriores arbores, poſtea, quum Caryophylli ſuccreuerunt, euellendas.

Diſtinguenda genuina Caryophyllus ab arbore ſylueſtri (*Le faux Geroflier*, SONNERAT *Voy. à la nouv. Guinée p.* 197. *tab.* 120,) petiolis longis, foliis obtuſis, odore Caryophyllorum non aromatico, ſapore amaro.

Aroma quidem omnibus arboris partibus inſidet, praeſertim vero petiolis foliorum, qui huius plus adeo quam Caryophylli ipſi continent (SONNERAT). Sed hiſce ipſis vnice fere arbor inclaruit. Obſcura

valde

valde veſtigia ſunt notitiae huius partis apud Graecos et PLINIVM, paullo euidentiora apud AVICENNAM et SERAPIONEM. Moluccae inſulae poſtquam imperio Luſitanorum a Belgis ſubducerentur, in hoſce quoque venditionis lucrum tranſiit, et quidem inde ab a. 1627.

CARYOPHYLLORVM AROMATICORVM nomine venit flos nondum expanſus ſiccus, qui ex globulo conſtat, a calyce floris tetraphyllo et corolla tetrapetala conniuentibus, formato, et germine infero, ſubtereti, baſin verſus nonnihil anguſtato, vix pollicari, quod obducit alius calyx craſſior ſupra quadripartitus. Enaſcitur inde claui ſpecies, quam formam reſpicit eius in variis linguis Europaeis denominatio (*Clous de geroſles*, *Gewürznägelken*, *Kruidnagelen*). Inferior vero Caryophyllorum pars magis aromatica eſt, quam ſphaerula iſta ſuperius ſita, facile decidua. Perdit flos aroma, prout maturitati fructus propior eſt; vnde Caryophylli virides auelluntur. Colorem atro rufum ex fumo adſciſcunt, cui in ſuffimigiis exponuntur. Quidam eos aquae feruidae immergunt et dein foliis latis Ari obtectos ſuper cratibus in fumo per aliquot dies ſeruant. Plurimi autem incolae abſque praeuia immerſione fumo illos ſuffocant, deinque vlterius in ſole exſiccant. Probe eſſe exſiccatos cognoſcitur inde, quod tantillum eorum

vngue

vngue deradi poſſit, et intus colorem laete purpupureum praebeant. Iſti autem Caryophylli, qui ſine dicta ſuffocatione ſ. ſuffimigio in ſole vel fumo tantum exſiccantur, rugoſi ſunt et leues, ſordidi, hinc ab emtoribus ſpernuntur (RVMPH. in *Miſc. nat. curioſ. Dec.* 2. *Ann.* 1. *p.* 50. et *Herb. amb. l. c.*). Odor Caryophyllorum fortis, gratus, peculiaris, qualis floris Dianthi Caryophylli, ſapor acris, calidus, diu in lingua perſeuerans cum leui amaritie.

ANTHOPHYLLI (*Clous matrices*) ex Caryophyllis fiunt, dum hi ad maturitatem vsque in arbore relinquuntur. Magnitudine et figura Oliuam referunt, ſupra coronati calycis dentibus quatuor conniuentibus, intra quos medio ſtylus. Atro rufi pariter ſunt, ſubrugoſi, et intra tegmen oſſeum tenue nucleum durum, in duas partes longitudinales diſſilientem, recondunt. Odor et horum caryophyllaeus ſed remiſſior, ſapor itidem cum ſenſu acido adſtringente.

Redeo ad Caryophyllos. Horum ea indoles eſt, vt humidum auide imbibant, et, ſi aromate ſuo deſtillatione olei vel alio modo priuati fuerint, integris Caryophyllis remixti et ſaporem et odorem quoad partem recuperent. Quod artificium ſaepe in fraudulentum lucrum ceſſit (BOERH. *Chem. Vol.* 2. *p.* 100.), pallidiori autem colore et minori efficacia detegitur.

Aqua infuſione odoras partes auidius abripit, quam ſpiritus vini, ſed non item ſapidas, quae potius ſpiritu eruuntur, adeo vt extractum ſpirituoſum linguae feruidum maxime ſaporem imprimat. Deſtillatione cum aqua copiam olei erogant, cuius proportionem, notas, encheireſes, hiſtoriam, paullo poſt deſcribam.

Caryophyllorum ipſorum vſus culinaris crebrior eſt, quam medicus. Placent valde ad condiendas ferinas carnes, quibus transfiguntur, et fructus varios acetario deſtinatos, vt Pruna, Ceraſa, Cucumeres aliosque aceto ſeruandos, item ad confectiones fructuum ſaccharatos, vt nucum Iuglandum immaturarum, rel. Adhibentur et ad intinctus varios et ſpirituoſos liquores vinaque. Et hiſce quidem omnibus gratiam ſaporis item odoris conciliant. Indi vero illos vix in cibo adhibent (RVMPH.), vtpote nimis calidos, quam vt ſine valetudinis offenſa in tam feruido climate ferri poſſent.

Nulli aromati hoc cedit vi ſtimulandi neruos fibrasque muſculares, ſoluendi pituitam, exagitandi ſanguinem. Hinc et inſtar condimenti vſurpatum languenti ventriculo ſubuenit. Quatenus Caryophylli cordiales ſeu cephalici habeantur, ex dictis intelligitur. Commodiſſime in puluere cum ſaccharo ad

ad aliquot grana capiuntur. Maſticati copiam ſaliuae proliciunt. Variis compoſitis adduntur, vt ELECTVARIO DIASATYRII, SPIRITVI MASTICHINO, ESSENTIAE ABSYNTHII COMPOSITAE. Item externa eorum applicatio efficax cenſetur, inſtar ſtomachici, exemplo EMPLASTRI DE CRVSTA PANIS, item ad dentes ſeruandos, in pulueribus et electuariis, quorſum pertinet farrago illa, ELECTVARIVM GINGIVALE *Ph. W. p.* 46. In India mos eſt in paralyſi, Berberi ibidem dicta, vti balneo, cui Caryophylli incocti, vel linimento ex oleo, cum quo Caryophylli cocti fuerunt. Odoramentis praeterea inſeruiunt, et balſamis, pomatis, pulueri cyprio, pulueri fumali, addi ſolent. Maximum vero pretium in medicina ex oleo ſuo aethereo repetunt. Qui breuitatem in exponendis viribus Caryophyllorum vituperent, hiſce vberiori recenſu alibi facto (FR. HOFFM. et FRIEDEL *Diſſ. de Caryophyllis aromat.* 1701.) forſitan ſatisfiet, modo aeque certus ac largus reperiatur.

Anthophylli curioſitatis fere vnice cauſa in officinis ſeruantur, et Caryophyllis virtute inferiores ſunt. Saccharo recens a Belgis conditi ſtomachicam vim exercent.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA CARYOPHYLLORVM AROMATICA. *Ph. Würt. p.* 12. Deſtillatione eorum cum aqua paratur, coloris lactei. Analeptica, ſtomachica, grata, rarioris vſus.

OLEVM DESTILLATVM. *Pharm. omn.* Hoc ipſum primum dum prodit, albiſſimum et pellucidum eſt, diuturna autem mora vel per acceſſum aëris flaueſcit ſenſimque ſaturatius fit. Quoniam tam graue eſt, vt in aqua ſubſidat, fortiorem ignem vaſaque non nimis alta requirit. Originem ex Caryophyllis et odor declarat ſimilis et ſapor, qui valde calidus eſt. Copia, qua elicitur, diſcrepat pro praeſtantia Caryophyllorum; nam qui tam recentes ſunt, vt oleum preſſione digitorum conſpicuum fiat, aptiſſimi ſunt. Alius (NEVMANN. *Chymie Vol.* 2. *P. I. p.* 386.) ex libra eorum vna eruit duas vncias cum drachmis duabus; alius (FR. HOFFM. *Obſ. phyſ. chem. p.* 17.) vncias duas et dimidiam; alius (DEHNE in CRELLS *chem. Journ. P.* 3. *p.* 7.) ſemel tres vncias cum ſcrupulis duobus. Vt tanto plus olei emergat, aquam, quae ſemel tranſtillauit, poſt ſegregationem olei Caryophyllis affundere oportet. Sed maxime vulgare eſt, oleum ex Belgio vel India transmittere. Quod vero ipſum multis modis ab eo, quod in officinis aliquando deſtillatur, diſcrepat. Color ſcilicet eius longe profun-

fundior, ſaporque multo feruidior; vt igitur parum abſit, quin credam admixtum fuiſſe reſinoſae partis tantillum. Et vereor, ne hoc non vnice dependeat ab vſu vaſorum aeneorum et neglecta depuratione, vt quidem RVMPHIVS vult. Plerumque inſuper aethereo oleo et aromatico aliud vnguinoſum inſipidum, quod ſolutionem per ſpiritum vini reſpuit, larga proportione admixtum eſt. Hoc tamen tam acre eſt, vt cutem adurat et inflammet.

Rariſſime oleum ad vſum internum adhibetur, quum nimis calidum ſit. Denti dolenti goſſypio inditum ſedat dolorem et cariem, eius cauſam, coërcet. Quo fine et Eſſentia Caryophyllorum (TISSOT *Avis p.* 183.) nominatim commendanda. Indi illud commiſtum cum aliis oleis, Oliuarum, Roſarum, rel. in dicta paralyſi inungunt (RVMPH.), quod conſilium et nos feliciter in paralyſi ſequimur, quo id, quod in neruo ſtagnat, ſtimulo olei et frictione excitetur, moueatur, liberetur. Simili excipiente, ad ventriculum roborandum, in colica flatulenta, diarrhoea, abdomini inungitur. Intrat

BALSAMVM CARYOPHYLLORVM. *Ph. Würt. p.* 28. BALSAMVM APOPLECTICVM. *Ph. W. p.* 28. BALSAMVM VITAE HOFFM. *Ph. W. p.* 30.

ORDO XXX.

SVCCVLENTAE.

CACTVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 382. *Gen. pl. p.* 246.

389.

Pharm. OPVNTIAE *Folia.*

Cactus Opuntia; articulato-prolifer laxus, articulis ouatis, ſpinis ſetaceis. LINN. *Spec. pl. p.* 669. Ficus indica, folio ſpinoſo, fructu maiore. C. B. Icon: Opuntia. MILLER'S *Figures Vol.* 2. *Tab.* 191. Frutex, tam in calidiori America, quam Virginia creſcens, item in Luſitania, Hiſpania, Minorca, Italia, nec non in rupibus Valeſiae. In noſtris caldariis probe viget, et articulis terrae impactis facile ſeſe propagat.

FOLIA craſſa ex copia pulpae mucilaginoſae inſipidae, qua intra epidermidem tenaciorem farciuntur. Extra natale ſolum vix adhibentur, ſed ex hypocauſtis hortorum peti poſſunt, ſi eadem vſurpandi deſiderium nos tenet. Incitamento eſſe poterit efficacia, quam ſpecie cataplaſmatis applicata in doloroſis quibusdam affectibus praeſtiterunt. Minorcanis iam dudum haec cognita fuit. Confirmatur ab

artis

artis perito, qui ea in pleuritide, item in dyſenteriis aliisque morbis cum inflammatione viſcerum iunctis, proficua inuenit (CLEGHORN *Diſeas. of Minorca p.* 263. 279.). Simpliciſſima ibidem ratio haec eſt, quod folia calore emollita et medio diſſecta applicentur. Sub quo tentamine ob parenchyma craſſum et ſuccoſum diu calorem ſeruant. Sed in arthriticis doloribus ſedandis vel ſaltim mitigandis non minoris pretii ſunt (PAVLLE in *Iourn. de Medec. T.* 51. *p.* 321.). Nam nomen Cacti coccinelliferi adiectum (forſitan perperam) nihil mutat. Poſtquam hacce vi illuſtri exemplo in Monaco inclaruiſſent: et Nizzae et Turini ſimili ſucceſſu in vſum tracta. Nizzae et ille ad malum iſchiadicum aliosque rheumatiſmos extenſus eſt (*l. c. p.* 326.). In Italia quidem ſic, vt epidermide denudata et calefacta adhibeantur. Mucilaginoſa ſua natura et blando tepore emollire iſta et relaxare fibras ſtrictas ſicque dolores ſopire, quis non ſentit?

Alias ſpecies Cactorum articulis planis inſtructorum ſubſtitui poterunt ſpeciei in fronte praefixae. Sed ſedulo in omnibus ſpinulae auferendae ſunt, quae ſuperficiem obſident.

Fructus C. Opuntiae maturus pyriformis, edulis eſt; lotio autem colorem ſanguineum impertit in America, haud item in Barbaria (SHAW'S *Travels in Barbary and the Levant Ed.* 2. *p.* 145.).

SEDVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 358. *Gen. pl. p.* 230.

390.

Pharm. SEDI MINORIS vulgo ſ. SEDI VERMICVLARIS Ph. Auſtr. *Herba.*

Sedum acre; foliis ſubouatis adnato - ſeſſilibus gibbis erectiuſculis alternis, cyma trifida. LINN. *Spec. pl. p.* 619. Semperuiuum minus vermiculatum acre. C. B. Icon: BLACKWELL's *Herbal Tab.* 232. Planta perennis copioſiſſime in muris, aggeribus, campis ſterilibus, creſcens. Diſtingui a Sedo ſexangulari debet, huic ſimillimo, cuius vero cauliculi ſexfariam foliis teretibus mitis ſaporis imbricati ſunt. Sub tecto ſuſpenſa diu ſuccoſam ſuam naturam ſeruat; vt vel toto anno recens haberi poſſit. — In *Pharm. Auſtr.* Sedum minus eſt Sedum album LINN.

HERBA recens ſaporis acerrimi, inſtar Hydropiperis. Acrimoniam porro manifeſtat vomitus validus et alui purgatio, quae ex interno vſu conſequitur, et eroſio clauorum pedis per laminas contingens, hiſce ſi inſtar cataplaſmatis imponitur (KRAMER *med. caſtrenſ. P.* 2. *p.* 146.). Metuit igitur BOERHAA-

haavivs (*Hiſt. pl. hort. L. B. p.* 369.) interne illam exhibere. Sed non deſtituit hos felix euentus, qui contra ſcorbutum eam cereuiſia coctam ingeſſerunt, ſcilicet ita, vt herbae manipuli octo çum cerevifiae veteris libris octo vaſe tecto ad dimidiae partis conſumtionem ebullirent, et huius decocti ſingulis vel, ſi vires non ferrent, alternis diebus ieiuno ventriculo, tres vel quatuor vnciae tepide caperentur (below, medicus Suecus, in *Miſc. nat. cur. Dec. I. Ann. 6. Obſ.* 22. *p.* 49.). Tanto citius autem recuperatur ſanitas, quo facilior et copioſior inde vomitus ſuccedit. Fuit vero haec doſis, haec forma, militibus accommodatiſſima. Quibus gingiuae corruptae aut dentes vacillant, hiſce idem decoctum alumine et melle Roſarum impraegnatum pro colluendo ore conducit. Ita et in contracturis genuum ex eodem fonte exortis, tam decoctum ore captum quam herba cocta expreſſa et popliti applicata prodeſt. Ad vlcera vero tibiarum ſicca ſcorbutica ſananda confert, poſt vſum decocti internum, hoc ipſo eadem eluere ſubiuncta eiusdem herbae cum cereuiſia coctae applicatione (below *l. c.*). Nec caruit ſua efficacia, contra eundem morbum herbam lacte caprino decoquere, quod quidem vim temperandi eiusdem acrimoniam habet (lange *Remed. Brunſv. domeſt. p.* 121. item ei. *Miſc. verit. med. Faſc. I. p.* 23.).

Experimenta varia cum hac herba in vlceribus cancroſis ex voto capta ſunt, praecipue in Gallia. Doleo, mihi non ſuppetere libellum cl[mi] MARQVET (*Memoires ſur l'illecebra ou la petite Ioubarbe*), qui plures felices caſus huius aliorumque vitiorum Sedo curatorum continet, ſed, quae ille tradit, aliunde petere me oportere. Profuit ſuccus in cancro glandulae maxillaris (MARQVET in HALL. *Hiſt. ſt. helv. n.* 966), item ſtirps aqua et lacte cocta in cancro inguinis (IDEM *l. c.*), et alio exemplo in cancro femoris exulcerato (*Prat. de Chirurgie P.* 2. *p.* 237. apud HALL.). Imo vlcus ſinuoſum mammae, contra alia immorigerum, ſucco huius plantae iniecto et turundis linteoque carpto humectatis eodem, in foemina fere eousque coaluit, vt tantillum modo liquidi per cicatrices tranſſudaret; ipſe tamen narrationis huius auctor ſubdubitare videtur, an verum carcinoma fueerit (LE CAT in RICHARDI DE HAVTESIERK *Recueil d'Obſervations T. I. p.* 389. *ſq.*). Alia applicationis huius herbae ratio haec eſt, vt probe in pulpam contuſa cum pauxillo olei Lini miſceatur, et ſic inſtar cataplaſmatis quotidie ter quaterue imponatur; MARQVETI experimento. Cuius vero efficaciam alius reſtringit ad depurationem modo vlceris et fungoſae excreſcentiae diminutionem (Practicus quidam FABRICIVS in TIMMERMANNI *Progr. de Belladonna p.* 23.). Lego etiam depraedicari illam in tinea, item in gangraena

graena ad progreſſum impediendum et carbunculis, aqua cum melle coctam, ſicque et emortua delabi, et cicatricem formari (MARQVET apud HALL. *l. c.*).

In febribus intermittentibus praeterea valere illam compertum eſt. Herbae nimirum manipulus vnus in cereuiſiae libris duabus ad dimidiae eius partis conſumtionem coquitur, et liquidum hora ante paroxyſmum ebibitur, vnde plerumque praeuio vomitu effectus deſideratus obtinetur (LINN. *Weſtgöta Reſa p.* 180.); vel ſucci expreſſi cochlear dimidium cum vino ingeritur, ſubſequente pariter vomitu, quod conſilium in primis plebs Brunſvicenſis ſectatur (LANGE *med. Brunſv. dom. l, c.*).

Aqua deſtillata ſucci huius herbae, ad vncias quatuor cum quinta parte ſucci Citri commixta, in colica nephritica arenulas ex renibus pellendo potens eſſe medicina fertur (BLEGNY *Zodiac. gall. Ann.* 3. *p.* 71.).

Intrat herba inter tot alia VNGVENTVM POPVLEVM. *Ph. W. p.* 248.

391.

Pharm. TELEPHII vulgo ſ. FABAE CRASSAE ſ. FABARIAE *Herba*; *Radix*.

Sedum Telephium; foliis planiuſculis ſerratis, corymbo folioſo, caule erecto. LINN. *Spec. pl. p.* 616. Telephium vulgare. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* L'Orpin. Pl. perennis, in rupibus murisque frequens.

Obſoleuit plantae huius vſus; nec ob inertiam immerito. HERBA ſucco turget herbaceo, ſubmucilaginoſo, odore caret omni. Contra ſtranguriam proſtant efficaciora, quam ſuccus eius epotus, alias commendatus. Contuſa et applicata ambuſtas partes ſolatur. In panaritio toſta et conquaſſata pariter conuenit. Sic et moleſtias ex varicibus ani mitigat. In clauis pedum multum leuaminis afferunt folia recentia leniter contuſa atque aceto vini immiſſa et, poſtquam ſicca euaſerint, renouata, quin ſaepe inde claui omnino diſparent (BERGII *Mat. med. p.* 374.).

Quae de vi RADICIS, inſtar amuleti geſtatae, in haemorrhoidibus coecis narrantur ſuperſtitionem redolent, quam forſitan figura radicis nodoſa genuit.

nuit. Celebritatem aliquam illi conciliauit nomen GE. WOLFFG. WEDELII (*Miſc. nat. cur. Dec. I. Ann.* 2. *p.* 296. *Act. Haſn. Vol.* 3. *et* 4. *p.* 96.) in amuleta in vniuerſum iuſto procliuioris, dum radicem recentem vel aliquot ſaltim eius nodos pro nodorum in ano numero inter ſcapulas in dorſo geſtari iuſſit, donec marceſcerent. Eodem errore et inquinauit alios (*Ephem. nat. cur. Cent.* 1. *et* 2. *p.* 265. *Act. Haſn. Vol.* 5. *p.* 330.). Plus omnino in hoc malo, quod emollientibus et iis, quae inflammationem mitigant vel arcent, opus habet, promittit radix, ſi conquaſſata et butyro recenti cocta inſtar vnguenti haemorrhoidibus applicatur (CHOMEL *Uſuelles T.* 2. *p.* 286.).

SEMPER-

SEMPERVIVVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 378. *Gen. pl. p.* 244.

392.

Pharm. SEDI MAIORIS Germ. ſ. SEMPERVIVI MAIORIS Edinb. Suec. *Folia.*

Semperuiuum tectorum; foliis ciliatis, propaginibus patentibus. LINN. *Spec. pl. p.* 664. Sedum maius vulgare. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 601. REGNAVLT *Botan.* La grande ioubarbe. IO. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Pl. perennis, in muris, rupibus, montibus, alpibus, ſpontanea. Tectis aedium cum gleba terrae affixa probe ibidem viget.

FOLIIS ineſt copia ſucci ſubacidi auſteri. Hic expreſſus et ſpiritu vini rectificatiſſimo remixtus coagulum album format, referens cremorem lactis vel vnguentum pomatum; quod idem contingit, ſiue liquorem alcalinum fixum ſiue ſpiritum ſalis ammoniaci aquoſum ſucco effundas (CARTHEVS. *Mat. med. Vol. I. p.* 298.). Vnde eluceſcit, perperam hoc coagulum pro indicio alcali volatilis intra hanc ſtirpem abditi olim (BVRGHART *med. ſileſ. Satyr. Spec.* 4. *p.* 15.) habitum eſſe. Refrigerant folia et modice adſtringunt, abſtergendi praeterea efficacia excellunt. In vſum

vſum externum hodie vnice cedunt, etſi parcius, quam merentur. Aphtharum infantum eximiam medelam conſtituunt, dum ſuccus eorum expreſſus eodem pondere mellis coquitur, et, addito tantillo aluminis ad ſaporem modice acerbum vsque, aphthis quauis hora ope penicilli illinitur (BOYLE's *Works Vol.* 4. *p.* 501. ROSENSTEIN *om Barnſjukd p.* 44. Cfr. SCOPOLI *Fl. carn. Ed. I. p.* 491.). Delapſis cruſtis aphthoſis conuenit huius loco mucilaginem Cydoniorum cum eadem quantitate ſyrupi Sedi maioris combinatam eodem modo adhibere (ROSENSTEIN *l. c.*). Idem ſuccus cum melle commixtus in angina pro gargariſmate eſt (BOYLE). Fiſſuris papillarum nutricum dolentibus ſuccus hicce linteo carpto exceptus medetur, renouando ſaepe applicationem, ne ſicceſcens adhaereat (SWIETEN *Comment. Vol.* 4. *p.* 644.). Eadem vis in rhagadibus linguae febrientium ſeſe declarat (CHOMEL *Uſuell. P.* 3. *p.* 126.). Contrita folia et intra ſacculum applicata haemorrhoidum coecarum dolores vna cum tumore diſſipant (SCOPOLI *l. c.*). Notius eſt ſolatium, quod in clauis pedum afferunt, dum pediluuio tepido emolliti primum cultro enucleantur, dein locus mane et veſperi foliis huius plantae, epidermide altera parte denudatis, contegitur; tanquam infallibile adeo in hoc malo remedium ſiſtitur (HAMNERIN in *Prov. Doct. Berättelſer* 1761. *p.* 8. Cfr. *nützl. Samml. n.* 54. 1756. *Berlin.*

Samml.

Samml. P.4. p.168. Hann. Mag. n. 92. 1767.). In ambuſtionibus forma cataplaſmatis non ſpernenda. Coagulum iſtud, quod ex ſpiritu vini, ſi ſucco inſtillatur, fundum petit, ephelides faciei delet (CRELL *neueſte Entdeck. P. 9. p.* 109.).

De vſu interno pauca modo ſubiungo. Succus ad aliquot vncias quotidie epotus dyſenterias coërcet (BOERH. *Hort. L. B. p.* 368.). Nouiſſima commendatio contra morbos conuulſiuos fulcro plurium caſuum per partes enucleatorum eget; in virgine, pluribus corporis partibus couuulſa, miſcela ex ſucci expreſſi vnciis duabus et totidem ſpiritus vini pluries paroxyſmum fugauit, licet morbum non omnino tolleret (PEREBOOM in *nov. Act. nat. cur. Tom.* 7. *p.* 33.). Dedita opera plures vires omiſi, quas alii recenſent, equidem fontes conſulens dubias reperi.

PRAEPARATVM.

SYRVPVS SEDI MAIORIS ſ. SEMPERVIVI. *Ph. W. p.* 212. In linctu contra aphthas et in gargariſmatibus conducit.

RHODIO-

RHODIOLA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 745. *Gen. pl. p.* 526.

393.

Pharm. RHODIAE *Radix.*

Rhodiola roſea; LINN. *Spec. pl. p.* 1465. Rhodia radix. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 183. Planta perennis, in alpibus et rupeſtribus Lapponiae, Heluetiae, Auſtriae, Britanniae, creſcens.

RADIX ramoſa craſſa eſt, cinerea et foueis crebris notata, interne albida, carnoſa, odoris roſacei et ſtiptica. Odorem dictum ſpargit ſaepe per alpes Lapponicas, fragrantior in loco natali, quam hortis (LINN. *Fl. Suec. p.* 359.). Ex hac poteſt deſtillari aqua odore et ſapore iſtam ex Roſis referens (DEBES in *Act. Hafn. Vol. I. p.* 88.). Largitur et oleum aethereum ad drachmam vnam ex libra vna, quod flaueſcentis coloris eſt, odorisque et ſaporis eiusdem, quem dixi (BERG. *Mat. med. p.* 805.). Sed nec ſicca radix odore roſaceo deſtituitur, quam quidem coriariam modo facit LINNEVS (*l. c.*).

Vſus eius medicus adeo rarus, vt in plerisque officinis deficiat. Recens dolores capitis ſedare di-

 citur,

citur, ſiue externe ſiue interne adhibeatur (LINN. *l. c.*), qua in ſpecie mali nominatim valuerit, et qua forma, non memoratur. Cataplaſma huic fini fronti impoſitum eſſe, modo percipio (HALL. *Hiſt. ſt. helv. n.* 952.). Ferroenſibus radix ſcorbuti primaria medela eſt (DEBES in *Phil. Tranſ. Vol.* 9. *p.* 459.).

PORTVLACA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 370. *Gen. pl. p.* 240.

394.

Pharm. PORTVLACAE *Herba.*

Portulaca oleracea; foliis cuneiformibus, floribus ſeſſilibus. LINN. *Spec. pl. p.* 638. *β.* Portulaca latifolia ſatiua. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Pourpier. Pl. annua, in locis glareoſis Europae calidioris et reliquarum mundi partium ſpontanea. Colitur vero vbiuis in hortis culinaribus.

HERBA ſucco turget aquoſo, leniter acido. Iuſculis carneis crebro additur, nec non in aqua feruida, poſtea defundenda, macerata editur in connubio commodi intinctus. Caules crudi quoque condiuntur ſale aceto et aromatibus ad embammata. Non multum nutrimenti ſuppeditat. Copioſius comeſta

meſta aluum ducit et ventriculum labefactat (Vid. RAII *Hiſt. pl. T.* 2. *p.* 1039.). In acutis morbis haud repudiandum obſonium eſt. Vix vnquam hodie ſuccus amplius vſurpatur in inflammationibus internis ad temperandam bilis acrimoniam, in ſtranguria. In Suecia verrucas confracto folio recente crebro obliniunt ad easdem delendas; ſed lentum auxilium.

SAXIFRAGA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 342. *Gen. pl. p.* 223.

395.

Pharm. SAXIFRAGAE ALBAE *Herba; Semen.*

Saxifraga granulata; foliis caulinis reniformibus lobatis, caule ramoſo, radice granulata. LINN. *Spec. pl. p.* 576. Saxifraga rotundifolia alba. C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab.* 514. REGNAVLT *Botan.* La Saxifrage. MILL. *Illuſtr. Syſt. ſex.* Pl. perennis, in locis apricis gramineis creſcens.

Iam dudum ex cenſu efficaciorum medicaminum excluſa haec ſtirps fuit. Nec ſapor multa ſpondet, qui quidem a LINNEO (*Mat. med. Ed. I. n.* 215.) acris, pungens, deſcribitur, ab HALLERO (*Stirp. helv. n.* 976.)

ſubacidus; quod de HERBA aſſumo. Certe pecora intactam eam relinquunt. Quod ſit eadem planta, quam ad frangendum calculum veteres laudarunt, etiamnum valde dubium. Plures enim diuerſae plantae Saxifragae nomine olim inſignitae (LOBEL. *ſtirp. aduerſ. p.* 183.).

RADIX conſtat ex granulis magnitudine ſeminis Coriandri, farinoſis, amaricantibus. Ob figuram nomine *Seminum* ſeruantur. Veram vim lithontripticam, ſaepe in libris commemoratam, de neutra huius ſtirpis parte experientia confirmat. Si quid vero in lotio ſabuloque pellendo valeant, id rectius vehiculo aquoſo, quo decoqui ſolent, adſcribendum arbitror.

ORDO

ORDO XXXI.

COLVMNIFERAE ſ. MALVACEAE.

ALTHAEA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 518. *Gen. pl. p.* 353.

396.

Pharm. ALTHAEAE *Radix; Folia.*

Althaea officinalis; foliis ſimplicibus tomentoſis. LINN. *Spec. pl. p.* 966. Althaea Dioſcoridis et Plinii. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 530. REGNAVLT *Botan.* La Guimauve. Pl. perennis, creſcens ſolo humido in Gallia, Anglia, Belgio, paſſim in inſulis minoribus Daniae, item in Heluetia, et prope Francofurtum ad Moenum.

Huius loco ſubinde in Ruſſia *Lauatera Thuringiaca* LINN. depicta in IACQ. *Fl. auſtr. Vol.* 4. *Tab.* 311. colitur (SAM. GE. GMELINS *Reiſe durch Rußland P. I. p.* 81.); qui error tanto facilius condonari poteſt, quum columniferae tantum non omnes, prout mucilagine blanda, quam vehunt, ita viribus, conueniunt.

niunt. Plura hocce caput huius rei exempla ſuppeditat; aliae cognatae ſtirpes addi poſſent ex genere Alceae, Maluae, Lauaterae, Hibiſci, Sidae, Goſſypii. Ita et filamentoſa caulis compages plures huius familiae ſpecies eidem vſui oeconomico, cui Linum vel Cannabis inſeruiunt, aptas reddit, modo pari modo maceratae praeparentur.

Quantum apparet, eadem ſtirps eſt, quae DIOSCORIDI Ἀλθαια ſ. Ἰβισκος, GALENO Ἐβισκος, PLINIO Hibiſcum, dicitur.

RADIX inſtruitur ramis longis, digitum vel pollicem craſſis, extus ſubgriſea, interne alba eſt, et in fibras ſecundum longitudinem facile diſcerpi ſe patitur. In officinis epidermide plerumque priuata occurrit. Odore caret, guſtata autem copiam mucilaginis ſubdulcis dimittit. Hacce ipſa quidem tota planta ſcatet, praecipue tamen radix. Nam radix mucilaginem ad dimidium fere ponderis erogat, folia vix ad quartam partem, flores et ſemina, quae quidem partes hodie non amplius praecipiuntur, ad quantitatem adhuc minorem (LEWIS *Mat. med. p.* 35.). Superat mucilaginis copia radix reliquas huius gentis plantas, quin alias mucilaginoſas ſtirpes, earundemue partes, vt ſemen Cydoniorum, Foenugraeci, Lini, Radicem Salep aliasque (SPIELM. *Inſtit. Chem.*

p.

p. 102.). Haec infuſione vel coctione extrahitur facile aqua, et vt aliae ſimiles mucilagines refrigerata in materiem tremulam ſemipellucidam tranſit. Soluit iſta quadruplo ſui ponderis Myrrham, terendo, imo citius quam mucilago Gummi arabici (BVCHHOLZ in *Act. nat. cur. nov. Tom.* 5. *p.* 60. *Exper.* 32.); ſoluit quoque Opopanacem eadem proportione (*l. c. p.* 63. *Exper.* 51.); vt igitur pro commodo menſtruo in reſinoſis corporibus ſubigendis agnoſci debeat.

Mucilaginoſarum ſtirpium in foro medico radix huius omnium fere vſitatiſſima eſt, et vſui interno tanto accommodatior, quum inſipida ſit. Emollit iſta et relaxat ſolidas partes efficaciter, humorum acrimoniam inuiſcat, et diſpendium glutinis naturalis detritum in cauis reſarcit, eademque lubricat. Multiplex igitur eiusdem, ſi ore capitur, efficacia in raucedine, tuſſi, pleuritide ſicca, nephritide calculoſa, et aliis calculi affectionibus, dyſenteria, ſtranguria, teneſmo alui, gonorrhoea, quae, ſi recens, plerumque nonniſi diluentibus mucilaginoſis copioſe potis opus habet. In harum virtutum conſideratione ad ea, quae alibi (*Appar. med. T.* 2. *p.* 382. 411.) de virtutibus Tragacanthae et Gummi arabici dicta ſunt, reſpiciendum eſt. Rarius in puluere vſu venit. Praeſtat, in infuſo vel decocto eandem exhibere.

 Cauen-

Cauendum modo in decocto, ne, nimis larga manu praeſcripta, copia mucilaginis taedium pariat. Sufficiunt igitur drachmae duae vel tres pro aquae libra vna.

In affectionibus variis externis crebra eius applicatio eſt. Dentitionem difficilem leuat radix integra melle cocta, quae infanti pro manducatione offertur; item lac, cui Caricae, radix Althaeae et pauxillum Croci incocta fuerunt, ſpongia exceptum et gingiuis admotum; modo contactui gingiuarum vehementia inflammationis non obſtet (ROSENSTEIN *Barnſjukd* p. 35.). In ophthalmiis ſiccis vel acri illacrymatione ſtipatis decoctum proficit; prout nominatim in ophthalmiis poſt morbillos exortis iisque pertinacibus fomentatio ſola oculorum, decocto radicis facta, efficaciſſimum auxilium praeſtitit (NOBLEVILLE in *Mem. de l'acad. de ſc. de Paris* 1747. p. 337.). Gargariſmata emollientia intrat, valdeque vtile eſt huius radicis cum Caricis pro decocto connubium in angina faucibus ſiccis, et ad ptyaliſmum in variolis alendum et leuandum. Conciſa, et aqua vel lacte cocta, cataplaſma commodum pro emolliendis et maturandis tumoribus praebet. Clyſmatibus vulgo quoque additur.

FOLIO-

FOLIORVM eadem ratio, modo memineris, minus mucilaginis continere. Et haec vſui externo pro cataplaſmate praecipue conducunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

HERBAE QVINQVE EMOLLIENTES. *Ph. Germm.* Harum herba Althaeae vna.

SPECIES EMOLLIENTES. *Ph. Würt. p.* 183. Sufficerent radix Althaeae et flores Chamomillae vulg. excluſis herbis emollientibus. Pro clyſmate et cataplaſmate.

SYRVPVS EX ALTHAEA. *Ph. Lond. p.* 78. *Ph. Edinb. nouiſſ. p.* 146. Ex radicibus aqua coctis, Saccharo demum addito. Simplicior longe eſt aliis ſyrupis eiusdem nominis in pharmacopolio obuiis; hinc laudabilior. Ad eandem ſimplicitatem accedit SYRVPVS ALTHAEAE *Ph. Suec. Ed.* 2. *p.* 117. modo addita aqua Aurantiorum gratior. Linctibus et mixturis vulgo admiſcetur.

SYRVPVS DE ALTHAEA FERNELII. *Ph. W. p.* 203. Inconcinnum compoſitum, vtut in formulis crebrum, ob farraginem radicum herbarum et Ciceris ſemen. Breuior et ornatior eſt formula in *Ph. Edinb. vetuſtiori p.* 59. et *Ph. Dan. p.* 251. Vſus cum praece-

 dente

dente ſyrupo in morbis idem. — Hic ſyrupus cum reſinoſis quibusdam corporibus tritus pariter eadem ſubigit et affuſa demum aqua emulſionis ſpeciem gignit, exemplo Galbani (BVCHHOLZ *l. c. Exp.* 19.) Myrrhae (*l. c. Exper.* 31) Opopanacis (*Exp.* 37.).

PASTA ALTHAEAE (Pate de Guimauve) *Ph. Würt. p.* 135. Ex mucilagine radicis Althaeae, Gummi arabico, Saccharo, addito pro iuſta ſpiſſitudine albumine ouorum et, gratiae cauſa, aqua florum Naphae. In tuſſi mitiori locum habet et in eroſione faucium, dum ore liquatur.

VNGVENTVM ALTHAEAE. *Ph. W. p.* 239. Praeter mucilaginem radicis huius aliae mucilagines et radix Curcumae recipiuntur. Creberrimi vſus emolliendi et relaxandi ſcopo in pleuritide, qua oleum Lini et Camphora vtiliter additur, in obſtructionibus alui obſtinatis, doloribus a calculo, artuum contracturis, item in anchyloſi, quae vitio oſſis etiamnum caret, ſub vaporum aquae, poſt ſingulas inunctiones admiſſorum, connubio.

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX. *Ph. W. p.* 63. Intrant Lithargyrium et variae mucilagines, inter quas et mucilago Althaeae. Efficax et vulgare ad emolliendos et maturandos tumores.

EMPLA-

EMPLASTRVM DIACHYLON COMPOSITVM. *Ph. W. p.* 63. Praecedenti additur Gummi Ammoniacum et Galbanum Crocusque. Altero in ſuppuratione promouenda efficacius.

A L C E A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 519. *Gen. pl. p.* 353.

397.

Pharm. MALVAE ARBOREAE *Flores.*

Alcea roſea; foliis ſinuato - anguloſis. LINN. *Spec. pl. p.* 966. Malua roſea, folio ſubrotundo. C. B. Icon: MILLER'S *Illuſtr. Syſt. ſex.* REGNAVLT *Botan.* La Roſe Tremiere ou Doutremer. Pl. biennnis, in orientalibus regionibus creſcens. Vulgare hortorum ſeneſcente aetate ornamentum, multis Varietatibus, quoad florum colorem et plenitudinem, ludens.

Eliguntur flores integri et plerumque pleni, nam plus hi ſubſtantiae continent. Subadſtringentes vocat SCHRÖDERVS (*Theſ. pharm. p.* 621.), adſtringentes SPIELMANNVS (*Mat. med. p.* 419.), vt adeo roborantibus illos aſſociarit. Quae adſtringendi vis quoniam creditur potior eſſe in floribus atropurpureis, hi

hi praecipue recipiuntur (SPIELM. *l. c.*). Equidem nonniſi mucilaginoſas partes agnoſco; hinc virtute cum reliquis cognatis conueniunt. In externum vſum modo adhibentur, et hoc quidem hodie raro.

MALVA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 519. *Gen. pl. p.* 354. 398.

Pharm. MALVAE VVLGARIS *Herba; Flores.*

Malua ſylueſtris; caule erecto herbaceo, foliis ſeptemlobatis acutis, pedunculis petiolisque piloſis. LINN. *Spec. pl. p.* 969. Malua ſylueſtris folio ſinuato. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* La Mauve. Creſcit copioſe ad vias, ſepes, in locis ruderatis.

Angli et Galli hanc ſpeciem medico vſui dicant, LINNEVS in *Flora Suecica* (*p.* 243.) pariter, non autem in *Materia medica*, vbi *Maluam rotundifoliam;* caule proſtrato, foliis cordato - orbiculatis obſolete quinquelobis pedunculis fructiferis declinatis, *Spec. pl. p.* 969. depictam in *Flor. Dan. Tab.* 721., officinis dicat, vulgarem quoque ad vias et in ruderatis plantam. Selectus igitur dependet ab arbitrio et loci opportunitate, quum vtraque mucilagine abundet. Vtramque ideo merito admittit CHOMELIVS (*Plantes uſuelles P.* 3. *p.* 2.).

Vete-

Veteribus herba cibi genus fuit, huius, vt videtur, ſpeciei et aliarum quarundam, prout et Aegyptiis. Adhuc hodie Maluae in hortis cultae folia, adipe vel oleo inſtar Lactucae vel Spinaciae praeparata, apud Chinenſes in vſu culinari ſunt (*Melanges intereſſans et curieux T.* 4. *p.* 28.).

Folia et flores vnice, vix vnquam amplius radix et ſemina, praeſcribuntur. Ex radicis tamen vncia vna drachmae duae mucilaginis eliciuntur (SPIELM. *Chem. p.* 102.). Patet hinc Althaeae radici poſtponendam eſſe hanc. Maluae quoque herba plus mucilaginis continet, minus radix, quod in Althaea contrario modo ſeſe habet. Radix non mucilaginoſa modo ſed dulcis ſimul eſt, accedens ſapore ad Liquiritiae radicem, et in affectionibus pectoris pariter laudata.

Vires foliorum et florum eaedem, quae Althaeae, nec rarior iſtorum in morbis multiplicis quidem nominis, ſed naturae non valde diſſimilis, vſus. Conſuetiſſimum eſt, iſtas Maluae partes extrinſecus adhibere, ſed diſplicet alieno colore, ſcilicet herbae viridi et florum rubro, quo lintea conſpurcantur, difficilius eluendo. Foliorum potiſſimus vſus eſt. Non attinet, ne actum agatur, multis infuſi vel decocti potati vel fomentorum, cataplaſmatum, gargariſmatum, clyſmatumque ex iis paratorum, praeſtantiam heic perſequi. Pro quibus ſingulis adhibendi modis et formis

Malua

Malua ob vile pretium, quo venditur, tanto commendabilior eſt. Addo modo ad auferendum pus pone corneam oculi collectum inciſionem ſuperfluam reddi, ſi ſaturato et tepido decocto florum Maluae foueatur, et idem poſtea per interualla ſpleniis applicetur. Hocce enim auxilio inflammatio cum dolore aliisque incommodis coniuncta mitigatur et pus diſſipatur penitus, id quod inter binas hebdomades iam accidit, ſed continuandum ad perfectam ſanationem vsque (IANIN *Memoires ſur l'oeil p.* 406. 408. *ſqq.*). E re autem eſt, aluum ſimul ſubducere, ſerum lactis bibere, deriuantibus aliisque antiphlogiſticis vti. Idem collyrium profuit inſtillatis eidem ſub quauis applicatione aliquot guttulis ſpiritus vini camphorati, et in connubio fonticuli (GVLBRAND in *Act. ſociet. med. Havnienſ. Vol.* 2. *p.* 310.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA FLORVM MALVAE. *Ph. Lond. p.* 24. Superflua.

HERBAE QVINQVE EMOLLIENTES. *Pharm. Germm.*

VNGVENTVM MALVAE. *Ph. Würt. p.* 240. Ex herba, butyro cocta. Pro clyſmate, et emolliendi ſcopo, Superfluum.

GOSSY-

GOSSYPIVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 522. *Gen. pl. p.* 355.

399.

Pharm. GOSSYPII vel BOMBACIS *Semina; Lana.*

Goſſypium herbaceum; foliis quinquelobis ſubtus eglandulofis, caule herbaceo. LINN. *Syſt. veg. p.* 522. Goſſypium RVMPH. *Herb. amb. T.* 4. *p.* 33. *Tab.* 12. Planta annua, biennis, imo pro culturae ratione diutius ſuperſtes. Spontaneum in vtraque India, copioſe in inſulis Archipelagi Graeciae, Sicilia, Malta, Cypro, item Apulia colitur. Apud nos in caldariis ſeruari debet, vbi ſemina probe maturat. In omnibus exemplis horti botanici noſtri glandula vna venam mediam, diſtantia dimidii pollicis a baſi folii, occupat.

Meritum huius ſtirpis exiguum in foro medico cenſetur, tanto pretioſius in oeconomico, lanae praecipue, quam fructus fert, cauſa. Latet haecce cum ſeminibus, ex quibus ortum ſuum trahit, intra capſulam ſubrotundam quadriualuem et quadrilocularem. Semen ouale intra tegmen tenax, ſiue arillum obſcure

ſcure brunum, recondit nucleum album dulcem. Tegmen iſtud mucilaginem continet, nucleus autem oleo dulci ſcatet. Quae officinae noſtrae ſeruant ſemina exſucca plerumque ſunt, rancida, quin verminibus eroſa. Non mirum igitur ſperni in vniuerſum in hodierna medicina. In Amboina ſemina comeduntur, poſtquam germen in aqua emiſerint, vel, vt apud Braſilienſes, in pultem cocta (RVMPH.). Aegyptii mucilaginem ſeminum adhibent in tuſſi, venenis acribus ingeſtis, et in febribus ardentibus. Ratio et ſponte patet, cur medulla ſeminum in emulſiones ad raucedinem tuſſimque moderandam et ſputa leuanda, recepta fuerit (RVMPH.). Oleum ex hiſce preſſum ad emolliendam cutem variaque exanthemata leuioris generis tollenda inſeruiit (RAII *Hiſt. pl. Tom.* 2. *p.* 1064.).

LANA, quae et nominatim GOSSYPIVM dicitur, ex tota ſuperficie arilli ſeminis, non ex apice ſolo, vt in Epilobio, Aſclepiade, Periploca, vel ex baſi ſola, millenis filis emergit, gyros poſtea circa duplicem ſeminum ſeriem ſeorſim formans, tandem vtramque iſtam vna complectens, vt igitur nullibi ipſi pericarpio adhaereſcat. Semini autem tam arcte lana, quae initio humecta eſt, poſtquam exaruerit, inſidet, vt nonniſi vi auelli a ſemine poſſit. Crepante fructu et difflata humiditate, vndique ſeſe lana expandit.

Alterum

Alterum extremum fili nulla arte inueſtigare potui, nec longitudinem ſingularis fili ad menſuram, vt in ſerico, redigere. Semina ope bacilli tortilis inſtar mergitis formati extricantur; lana vero ipſa dein chordae tenſae ope liberantur (RVMPH.). Machinae et pro hocce ſcopo variae excogitatae, quales deſcriptae et depictae hinc inde occurrunt (Vid. SLOANE's *nat. Hiſt. of Iam. T.* 2. *p.* 68. *Tab.* 190. BROWNE's *nat. Hiſt. of Iam. p.* 283. GMELIN's *Reiſe durch Rußland Tom.* 3. *p.* 474. *Tab.* 53.). Proximum tum eſt, vt carminetur lana, quo intumeſcat et a ſordibus mundetur, cui fini ſimplicis ſtructurae machina ſufficit (V. SONNERAT *Voyages aux Indes orientales, Tom. I. p.* 109. *tab.* 21.); quibus factis fila inde, tandem telae, formari poſſunt. Quo Goſſypium tanto commodius nauibus transmittatur, machinis quibusdam in arctum ſpatium comprimitur, ita vt eius centenarii duo vel tres ſarcinam tres modo pedes longam, ſeſquipedem latam, et dimidium pedem craſſam, conſtituant (KLEEMANNS *Reiſe von Wien über Belgrad p.* 204.).

Praeter dictam Goſſypii ſpeciem et aliae ob lanae praeſtantiam clarent, praecipue *Goſſypium Barbadenſe* L. cuius cultura ſummo lucro in inſula Iamaica fit (BROWNE *l. c.*), G. *arboreum* L. quod in India orientali praecipue colitur, et ob albedinem et teneritatem lanae depraedicatur, et Goſſypium, quod

nomine G. *latifolii* (in *Comment. ſoc. ſcient. Gotting. a.* 1776. *p.* 32. *Tab.* 1.) deſcripſi, in quo maiores capſulas deprehendi quam in G. herbaceo et albiſſimam denſiſſimam et tenerrimam lanam. Differt ab harum ſtirpium lana ea, quam *Bombaces* ſuppeditant, quae, vtpote breuior, puluinaribus potius et veſtimentis farciendis et papyro conficiendae inſeruit, quam filis ducendis.

Goſſypii magna in vita communi dignitas eſt, vt quod, praeter Lanam ouillam, Sericum, Linum, Cannabin, veſtibus texendis materiam commodiſſimam praebet. Quin molli ſua compage cum tenacitate iuncta, indurata contra vermium roſiones natura, aptitudine ſua ad recipiendos varios colores, multiplici texturae artificio, cui haud aegre obſecundat, munditie demum facile ſub vſu vel ſeruanda vel per lotionem reſtituenda quibusdam dictarum veſtitui deſtinatarum materiarum antecellit. Sub calidiori coelo inprimis eiusmodi veſtes conducunt, quum ſudorem facile transmittant et aegrius eodem madeant, quam veſtes ex lana animali vel Lino. Non mirum igitur vel in vnica vrbe Manconio Lancaſtriae 120, 000 homines in opificio Goſſypii occupari (BROWNE *l. c. p.* 283.) et ex Aſia minori quotannis 3, 831, 629 libras transferri, et filorum inde ductorum 2,013,694. libras (*Guide de commerce par M. Ch - P.* 2. *p.* 168.).

Mitto

Mitto vſum eius vel carminatae vel in ſtupas goſſypinas (Watte) pro farciendis veſtibus mutatae, ellychniis lampadum, charta, quae apud Italos et in Hiſpania ad medium ſeculum vsque 13. et paullo forte ſerius vſitata fuit (MEERMAN *de chartae vulg. ſ. lineae origine p.* 4. 8.). In artis tinctoriae magis quam ſalutaris incrementum ſcire intereſt, ex quibus partibus Goſſypium conſletur, quas terreo reſinoſas eſſe analyſi chemica conſtitit, vnde patet, quum plerique colores hiſce non facile aſſocientur, praeparari Goſſypium debere, antequam tinctura idonea illi induci poſſit (POERNERS *chym. Verſuche u. Bemerk z. Nuz. d. Färbekunſt P. I. p.* 112. *ſqq.*).

Aegyptii ad inurendas quasdam aegrotorum partes Goſſypium adhibent (ALPIN. *med. aegypt. Lib.* 3. *cap.* 12. *p.* 209. *ſqq.* Vid. et *figura ad p.* 218.). Nimirum ex Goſſypio turundam pyramidalem parant, cui circumuoluunt ligulam lineam latitudinis trium digitorum, quam filo ſericeo demum firmant; ita vero illam pyramidem adornant, vt in eius medio meatus ſit, per quem aliqua exſpiratio fieri poſſit. Baſi ſiue extremo latiori eius cuti ope tenaculi perforati applicato, accendunt alterum et relinquunt pyramidem donec omnino cremata fuerit. Dum cutis inuritur, eam in vicinia ferro tangunt, vt ne in vicina parte inflammatio fiat; poſt inuſtionem medullam

oſſium illinunt, donec eſchara cadat. Quoniam vis ignis lente ſeſe exſerit, et cutis rarioris compagis materia ſenſim ad calorem diſponitur: non totam incendii vehementiam aeger ſentit, quod contrario modo quidem in ferro ignito applicato fit. Attamen in quibusdam foedae cicatrices remanent. Hacce inuſtione curant ſaepe dolores chronicos pertinaciſſimos artuum et coxendicis aliasque rheumaticas fluxiones ad pectus vel caput contingentes, phthiſin, tumores crudos et pituitoſos aliosque morbos vel in loco affecto vel in vicinia eius eam adminiſtrantes. Non mirum a gente medicinae rudiori praeter rem et occaſionem aliquando hoc curationis genus admiſſum fuiſſe. Sic tamen ſaepe roborando per ſtimulum, reuellendo et acrem fomitem eliminando, aegris ſuppetiae feruntur. Ab Arabibus ad Aegyptios haec curatio peruenit. Inter Europaeos eam, ob formidinem intempeſtiuam doloris et praeiudicia medicorum vel chirurgorum, neglectam in memoriam vſumque reuocauit POVTEAV (*Oeuvres poſthumes T. I. p.* 204. *ſqq.*) praeſtantiamque eius eximiam crebris obſeruationibus confirmauit. In quibusdam eius turunda ab iſta Aegyptiorum differt et in applicatione plus ſimplicitatis habet. Etenim figuram cylindricam illi impertiit Goſſypium arcte comprimendo et ligula linea vnum pollicem lata et tres pollices longa hinc inde adſuta, vinciendo

ciendo, dein tranſuerſum cultro acuto diſſecando. Hac ratione duo cylindri obtinentur, quorum ſingulorum baſis ſatis firma diametro ſeſquipollicem ſ. Ludovicum aureum dupli valoris exaequat, pauxillo ſaliuae adglutinanda. Haec turunda poſtquam in ſumma parte accenſa fuerit, exſpectatur, donec quoad partem conſumatur, tum applicatur cuti, et ventilabri ope ignis incitatur. Nunquam ignis vltra cutem ſeſe extendit, ne tum quidem, quando in eodem loco duo vel tres cylindri cremantur. Nec opus eſt, ad conſilium Aegyptiorum ferro perforato admoto impedire, ne vicinam partem ignis inurat. Eſchara ſic enaſcitur per craſſitiem cutis, quae ipſa ſoluitur Vnguento baſilico vel alio digeſtiuo illito plumaceolo, vel Emplaſtro diapalmae et ſpleniis calidis ſuperdatis. Summi momenti et ipſe reperit hanc medelam in rheumatiſmis fixis inueteratis, quibus veſicatoria, ſtillicidia aquae, ſcintillae electricae prolicitae, ad tollendos dolores non ſufficiunt, vrgetque pariter, vt applicatio in ipſo foco doloris fiat, vel ſi partis dolentis natura aduerſetur, dolori quam proxime et reſpectu directionis neruorum habito. Breui poſt doloris lenimen ſubſequitur, et ſub vſu plerumque diaphoreſin mouet, quae ipſa ſubinde peculiarem virtutem praeſtat (*l. c. p.* 412.); hinc non poteſt virtus ſuppurationi ſeriori tribui (*l. c. p.* 267. 415. *ſqq.*). Vlcus enatum immiſſo piſo, quando

fomitem rheumaticum copioſius adeſſe, vel profundius ſitum, largius profluuium vlceris et perſeuerans dolor indicant, proficue in fonticulum mutatur (*l. c. p.* 226.). Confert quoque hoc auxilium in doloribus fixis abdominis et pectoris a cauſa rheumatica profectis (*l. c. p.* 232. 242.), item, etſi non eadem certitudine (*l. c. p.* 265.), in rheumatiſmis vagis (*l. c. p.* 238.). Si rheumatiſmus primam ſedem relinquens in remotam ſeſe tranſtulerit, in priori inuſtio fiat. Subinde pluries ad idem remedium recurrendum eſt, antequam radicitus rheumatiſmus tollatur (*l. c. p.* 258.). Suppuratio poſt ſex aut ſeptem dies modo incidit (*l. c. p.* 267.). Proficua quoque valde eſt inuſtio in cancro, ſi nodi ſuperſunt, qui ferro non potuerunt auferri, vt fomes cancroſus omnino ſufflaminetur (*l. c. p.* 34.). Ita in phthiſi pulmonum cum dolore inuſtio pluries iterata cl^mo^ POVTEAV eximia praeſtitit (*l. c. p.* 408. *ſqq.*). Nec minus confert in ſpinae dorſalis morboſa incuruatione ex depoſitione acri humorum enata (*l. c. p.* 558.). Item in anchyloſi ex eadem cauſa (*l. c. Tom.* 2. *p.* 32.). Vtut vero funeſtus fuerit exitus binorum ab HAENIO experimentorum captorum et vnius a cl. POVTEAV capti, dum ferrum ignitum ipſi capiti applicaretur: cylindrorum tamen goſſypinorum hoc loco accenſorum vſus in gutta ſerena, epilepſia, pertinaci cephalalgia ex contuſione, tutus non ſolum eſt, ſed mul-

multum leuaminis, quantum ex Aegyptiorum experientia (ALPIN. *de med. Aegypt. p.* 211.) et paucioribus experimentis recentioribus elucet, promittit (*l. c. p.* 55. *ſqq.*). Id vnice adhuc adiicio, a cl. POVTEAV vix vllius virtutis huius medelae mentionem fuiſſe factam, quam non iam ALPINVS memorauerit.

Loco lintei carpti quoque Aegyptii Goſſypio in vulneribus et vlceribus ſanandis vtuntur, cui autem fini fila linea aptiora ſunt, vtpote molliora minusque elaſtica.

Nec hoc ſpernendum commodum eſt, quod Goſſypii ope apta liquida dentibus cauis vel meatui auditorio immitti poſſint, prout huic vel ſolum ad aëris iniurias frangendas, vel in efficacis remedii, quod inuoluit, connubio in vitiis variis auris, inditur.

HIBISCVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 522. *Gen. pl. p.* 356.

400.

Pharm. ABELMOSCHI *Semina.*

Hibiſcus Abelmoſchus; foliis ſuppeltato-cordatis ſeptemangularibus ſerratis, caule hiſpido. LINN. *Syſt. veg. p.* 524. Alcea aegyptiaca villoſa. C. B. Granum moſchatum. RVMPH. *Amb. Tom.* 4. *p.* 38. *Tab.* 15. Quigombo prior ſ. Alcea muſcata. PISO *Ind. Lib.* 4. *c.* 45. *p.* 210. Frutex vtriusque Indiae in Malabaria, Iaua, Braſilia, Iamaica creſcens; in Aegypto quoque obuius.

SEMEN reniforme eſt, ſubcompreſſum, lentis fere magnitudine, longitudinaliter ſtriatum, coloris extrinſecus gilui, hilo rotundo nigricante in ſinu ſeminis, repletum medulla albida. Manu incaleſcens, frictum, vel carbonibus iniectum, Moſchi odorem ſpirat, ſaporis vero eſt amaricantis, nonnihil calidi. Cur granum moſchatum a quibusdam dicatur, iam cognoſcitur. Semina ex India occidentali petita maiora ſunt et odoris fortioris, quam orientalia. Odor vero ſeminum tam fortis eſt, vt nonnulli vel ex ſolis hiſce manu retentis dolorem capitis contrahant.

Quo-

Quoniam odorem diu ſeruant, in patria ciſtis includi ſolent et a foeminis collo et brachio alligantur, quum enim corporis attactu incaleſcunt, Moſchum ſpirant (ROCHEFORT *hiſt. naturelle des Antilles c.* 11.). A mulierculis quoque Indicis, ſuffimigii inſtar, vel ſola vel aliis odoramentis admiſta, carbonibus inſperguntur, vt eorum odore veſtimenta imbuant. Item contuſa intra Bombacem veſtibus indunt Aegyptii, odoratui gratificantes (VESLINGII *Obſerv.* in ALPIN. *pl. Aegypti p.* 65.). Admiſcentur etiam in India vnguento Boborri, ex variis odoratis lignis ſeminibus radicibus compoſito, quo corpus inungunt (RVMPH. *l. c.*). Sed in Italia quoque pro odoramento ſunt, nec incongruum, eo fine pulueribus pomatis et ſimilibus eadem admiſcere; et in Gallia virgines moniales ea in ſeries loco ſphaerularum connectunt, vt ſub precationibus geſtentur (SAVARY *Diction. de Commerce T. I. p.* 122.).

Moſchus animalis hiſce granis aliquando adulteratur (PISO *l. c. p.* 211.). Ad huius tamen vires accedere odoris conuenientia ſuadet, quem ſimilem, praeter hanc ſtirpem, quoque Geranium moſchatum, Malua moſchata, Lathyrus moſchatus, Allium moſchatum, ſpargunt. Experimenta in morbis inſtituere hiſce praecipue granis operae pretium eſſet, quum reliquis dictis fragrantia antiſtent, et commodiſſime in emulſione exhiberi

hiberi poſſe videntur. Formulas vero noſtrarum regionum vix vnquam intrant. Sarbetis in Aegypto adduntur ſalubri effectu ab iis, quibus crumenae anguſtia Ambrae et Moſchi vſum denegauit (ALPINVS *l. c.*).

THEOBROMA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 580. *Gen. pl. p.* 391. *Suppl. p.* 341.

401.

Pharm. CACAO *Nuclei.*

Theobroma Cacao; foliis integerrimis. LINN. *Spec. pl p.* 1100. IACQ. *Amer. pict. p.* 104. *Obſerv. bot. P. I p.* 3. SLOANE *nat. Hiſt. of Iam Vol.* 2. *p.* 15. *Tab.* 160. Cacao Cluſii, *Merian. Surinam. Inſect. p.* 26. *Tab.* 26. *et* 63. Cacao tree, CATESBY *nat. Hiſt. of Carolina* 3. *p.* 6. *Tab.* 6. REGNAVLT *Botan.* Le Cacaoier Kakauboom, HOVTTVYN *Natuurlyke Hiſtorie P.* 2. *ſect.* 3. *p.* 186. *Tab.* 14., vbi icon floris, lente etiam inueſtigati. Le Cacao, SONNERAT *Voyage à la nouv. Guinée p.* 101. *Tab.* 61. 82. Arbor Americae calidioris indigena, vbi nominatim in regno Mexicano, Guiana et vicina inſula Cayenne, Carolina, inſulis Antillanis, creſcit; idque in locis depreſſis vmbroſis. Vt tanto praeſtantior fructus ſit,

ſit, ſtudioſe in dictis terris colitur; quod idem fit in noua Guinea, item in inſulis Philippinis, in quae loca ex noua Hiſpania arbor translata (SONNERAT *Voy. aux Indes orientales Vol.* 2.). Cultura multum difficultatis parit, prout aegre arbor transplantari ſe patitur. Culturam curatius deſcribunt BROWNE (*nat. Hiſt. of Iam. p.* 306.) et LABAT (*Nouveau Voyage aux Isles de l'Amerique T.* 6. *p.* 370. *ſqq.*). Galli non ante annum 1660. colere arborem coeperunt, ſed vix ante a. 1684. huic labori ſerio indultum fuit (LABAT *l. c. p.* 376.). Si autem alii fonti fides, iam a. 1649. in inſula St. Croix ad culturam eius acceſſerunt (*Guide de Commerce de l'Amerique T. I. p.* 353.).

FRVCTVS huius ouatus eſt, apice obtuſo, diametro tres circiter pollices aequans, longitudine autem ſex fere pollices. In quibusdam Varietatibus glaber, in aliis verrucoſus, et ſulcis decem per longitudinem inſtructus. Colorem vel ſanguineum vel pallide luteum habet. Intra corticem carnoſum pulpam albidam butyraceae compagis, dulcem ſubacidam, continet, tamque gratam, vt comedi ſoleat, et huius mediam ſedem ſemina ſ. NVCLEI circiter 25 occupant. Nomen *Cacao* illis ab Hiſpanis inditum fuit. Fructus decerpitur, vtprimum color eius et ſtrepitus ſeminum, eo agitato excitatus, maturitatem indicat.

Vt

Vt ſemina eximi queant, inciſione longitudinali facta, lapide vel ligno ille conquaſſatur. Illis exemtis adhaeret adhuc multum pulpae, quod oſcitantius modo ſeparatur; tum vero in receptacula ampla immittuntur, vt per 4 vel 5 dies ſub matutina agitatione, quae quotidie fit, bene operta et compreſſa ſpeciem fermentationis ſubeant, qua et germinandi vis tollitur, et ſuperflua aqua perit, vt oleoſum modo remaneat. Poſtea ſuper ſtoreis vel in ciſtis planis ope ſolis radiantis intra triduum ſiccantur (LABAT). Magnitudine et figura Amygdalas fere referunt, ſed teſta vel epidermide ſcabra atro rubra et medulla nigricante in lobos diuiſibili, in quos cuticula ſeſe inſinuat, inſtruuntur. Saporis ſunt vnctuoſi et amaricantis. Diſtinguuntur hi nuclei in varias ſpecies pro ratione regionum, vbi colliguntur, figura vel planiori, vel magis ad teretem accedente, proportione latitudinis et longitudinis diuerſa, magnitudine, item colore epidermidis pallide rubro vel profunde rubro, vel bruno vel griſeo, et ſapore nuclei. Pro loci natalis diuerſitate diſtinguitur a mercatoribus et aromatariis in duas ſpecies, ſcil. Caraccenſes et Martinicenſes; vel tres, ſcil. in Cacao de Caraques, de Barbiche (melius Berbice), et des Isles (*Obſervations ſur le Cacao et la Chocolade Verſ. Germ. p. 6.*); ab aliis autem paullo ſubtilius in ſeptem ſpecies, ſcil. Cacao de Caraques, de Guayaquil,

yaquil, de Maranhaon, de Berbice, de Surinam, de Cayenne, de la Martinique ou des Isles (RICARD *Traité general du Commerce T. I. p.* 153). Alii alia diſcrimina agnoſcunt, quae mercaturae cauſa haud ſuo vſu carent. In hiſce omnibus quoad momenta externa recenſita obtinet aliqua diſcrepantia, quam per partes ſectari huius loci non eſt. Praeſtantiſſimi cenſentur nuclei Caracenſes, qui in Prouincia Venezuela vel Nicaragua nouae Hiſpaniae colliguntur, et quando bene maturuerunt, teretes ſunt, maioris longitudinis quam latitudinis, puluere griſeo argenteo epidermidem tegente, medulla griſea pingui, ſaporis grate amari. Ex hacce deſcriptione pretium nucleorum in reliquis terris emergentium ſtatui poteſt, qui, quo propiores ad illam accedunt, eo praeſtantiores. Itaque planiores, minores, auſteri, ſunt inferioris pretii. Nuclei Berbicenſes maxime vnctuoſi dicuntur; illi ex Inſulis infimi ordinis ſunt (RICARD *l. c. p.* 154). Attamen, ſi SONNERATO (*Ind. orient. l. c.*) fides, nuclei Cacao in Manilla prouenientes Americanis praeſtant.

Abundant nuclei copia muci blandi, et adhuc maiori olei vnguinoſi. Hoc mox ſapore, nec non flamma, quam admoto igne capiunt, cognoſcitur. Vberius tamen recentioribus, quam vetuſtis ineſt. Et hoc quidem tam prelo extorqueri poteſt, quam coctio-

coctione cum aqua, et, dum refrixerit, ſpiſſitudinem ſebi induit. Pro vtroque fine toſtio modica, decorticatio, et tritura eorum praecedere debet. Expreſſione parcius prouenit, quam altera via, et, licet ſaporis eiusdem ſit, nimirum, qualis in oleo amygdalino, colorem tamen cinereum ad hepaticum vergentem prae ſe fert, et magis ſpiſſum eſt (MAVCHARTI et THEOPH. HOFFMANNI *Diſſ. de butyro Cacao p.* 14.). Coctione blando igne facta obtinetur oleum purius et albidius, quod a ſuperficie condenſatum facile ſeparatur. Pluribus de cauſis igitur haec encheireſis praefertur. Sic libra optimi Cacao trita et cum octo libris aquae cocta ad craſſitiem pultis vncias ſeptem olei ſebacei in ſuperficie erogauit (HOMHERGIVS in *Hiſt. de l'ac. R. de ſc. de Paris* 1701. *p.* 371.); vt tamen appareat reſiduo adhuc pauxillum olei infuiſſe, quod expreſſione elici potuiſſet. Alius ex nucleorum vncia vna coctione drachmas tres cum granis quadraginta duobus elicuit (*Obſerv. ſur le Cacao, Verſ. p.* 21.). Alius (SPIELM. *Mat. med. p.* 115.) tertiam circiter partem olei albiſſimi aſſumit. Addito tantillo ſalis alcalini maſſae torrefactae hocce ipſum cellulas nucleorum ita reſoluit, vt plus olei largiantur. Ad maiorem copiam acquirendam quoque facit, ſi toſtam et contuſam maſſam vapori aquae calidae per tempus exponas, et dein leniter exſicces, antequam ad coctionem vel expreſſionem transeas

eas (MAVCHARD *Diſſ. cit. p.* 16.). Oleum, quod deſtillatione ſicca euoluitur, ad vncias ſeptem ex libra vna nucleorum rubicundi coloris eſt, ſaporis acris pungentis, et odoris penetrantius foetentis, frigefactum mollioris butyri ſpiſſitudinem recipit (GEOFFROY *Mat. medicale Traité, T.* 3. *p.* 266.). Patet igitur hoc empyreumaticis aſſociandum eſſe. Reliquis, quae vehementior ignis vis excutit, partibus recenſendis nolo diu immorari, quum in exercitium artis non multum commodi inde deduci poſſit. Hanc vero viam ingreſſi ſunt HOMBERGIVS (*l. c.*), GEOFFROY (*l. c.*), auctor libelli (*Obſervations ſur le Cacao*) MAVCHARTVS (*l. c. p.* 12.), alii; vnde praeter oleum reſinoſas partes et multum terrae nucleis ineſſe collegerunt. Olei ſeiuncti a reliqua miſcela virtutes poſtea conſiderabo, nucleorum ipſorum vtilitatem primum perſequuturus.

Quo primum tempore Hiſpani ad regnum Mexicanum aduenirent, hi nuclei incolis loco monetae fuerunt, in foro ad neceſſaria quaelibet coëmenda valentes (SLOANE *l. c. p.* 16. 17.). Americanis nuclei in paſtam conquaſſati continuo praeſto ſunt, vt absque ambagibus eſcam domeſticam exinde lacte vel aqua ſibi parare queant (BROWNE *l. c.*). Europaei potiſſimum ad *Succoladam* eos adhibent. Qualecunque autem haec paſta connubium ferat, nucleos pri-

primum torrefieri oportet, quo cuticula dura exuantur et medulla emolliatur. Cauendum inter haec eſt ad exemplum Americanorum, ne toſtio iuſto diutius ad nigredinem vsque continuetur, quum oleum inde pereat et grata amarities. Tum immiſſi in mortarium ferreum vel lapideum calefactum piſtillo ferreo pariter calefacto contunduntur, donec in maſſam butyraceam deliqueſcant. Sunt qui mortarii loco cylindro ferreo vel lapideo ſupra planum rotato nucleos conquaſſant, parcendo tempori et labori, ſub quo negotio cultro ſitus maſſae crebro mutandus eſt, donec ad ſummam tenuitatem peruenerit. Haecce maſſa vel mox in modulos, qui rarius ex charta, plerumque ex lamina ferrea ſtanno obducta, facti ſunt, immittitur, vel antea eidem, deliqueſcenti adhuc, ſaccharum ſubtiliter contuſum et, ſi placet, aromata tenuiter contrita adduntur, ſuccedente noua tritura, vt aequalis omnium miſcela fiat. Moduli vero maſſa hacce recens repleti concuti ſuper menſa, cui imponuntur, continuo debent, donec iſta ſicceſcere incipiat. Praeſtat nihil maſſae admiſcere, ne ſaccharum quidem, vt tanto diutius integritatem ſuam ſeruet, et vt quilibet ſapori et genio ſuo ſub coctionem pro arbitrio indulgere queat. *Chocolat de Santé* vocant eam, quae aromatibus caret. Hiſpani, qui vſum Succoladae pro potu a Mexicanis didicerunt, tam perſuaſione falſa, quod nuclei refrige-

frigerent, deluſi, quam vt ſapori et odori litarent, primum admiſcuere varia. Proportio Sacchari variare debet, prout nuclei vel magis vel minus pingues ſunt; pinguiores enim plus Sacchari ſibi vindicant, ad $\frac{2}{3}$ vsque. Quibus minor quantitas Sacchari ob amaritiem diſplicet, hi ſub vſu tantillum iſtius addere poterunt. Aromatum, quae paſtam intrant, conſuetiſſimum eſt Vanillae ſiliqua. Alii admiſcent Cinamomum, Caryophyllos, quin Ambram, Moſchum, Balſamum peruuianum. Accedunt aliquando, ſtimuli maioris cauſa, Capſicum aliaque ſimilia, et coloris, Orleana, et ob duritiem, ni fallor, farina ſeminum Zeae vel Fabarum. A ſcopo alienum eſt, formulis multis rem illuſtrare, quales, praeterquam in diſpenſatoriis variis, hinc inde diſperſas reperies (e. g. in GEOFFROY *Mat. med. l. c. p.* 268. LINN. *Amoen. acad. Vol.* 7. *p.* 255.). Sufficiet vna (LABAT *Voyage l. c. p.* 430.), ſecundum quam minores quantitates facile parari poterunt. Nimirum nucleorum Cacao rite conquaſſatorum libris quadraginta admiſceantur Sacchari contuſi librae ſexaginta, Cinamomi librae duae, Caryophyllorum vnciae quatuor, Vanillarum vnciae viginti octo, Moſchi et eſſentiae Ambrae q. pl., farinae Fabarum cribratae manipuli aliquot; quae omnia rite trita in maſſam idoneam ſubigantur. Fraude ſaepe copia farinae vulgaris Succolatae venali additur. Potulenti materiem praebet in Hiſpania, Ita-

lia, conſuetiſſimi, ſed et hoc reliquis magis ſeptentrionalibus Europae terris in deliciis eſt, per cyathos bibi ſolitum, dum paſta vel aqua vel lacte, vel quod omnium minime commodum, vino, ſoluitur. Praeſtat vti aqua, cuius vaſi, quo coqui debet, tot cyathos infundas, quot Succolatae hauriri cupias, et, poſtquam aqua ebulliuerit, totidem vncias Succolatae tritae addas, agitando eam ope virgulae vel verticilli, vt ſoluatur, et noua demum coctione et agitatione facta eam in vſum calide adhibeas. Et ſic quidem ſani vnum vel alterum cyathum ſorbillant. Conſuetiſſimum eſt, liquidam illam bibere, alii nonniſi in ſpumam diuturna verticilli motitatione reſolutam ex cyatho ſorbent. Si lac adhibetur: minori quantitate Succolatae opus eſt; nec nocet hocce connubium, modo ventriculus lac ferat, quod in hominibus in acidum pronis non locum habet. Miſcela lactis cum aqua ſpumeſcentiam adiuuat, et palato gratior eſt. Succolata vino ſoluta tantum hominibus frigidae naturae et valde debilitatis concedi poteſt.

Ad diiudicandas igitur vires horum nucleorum non ad iſtos modo, ſed etiam ad ſaccharum, aromata et menſtruum, quo Succolata ſoluitur, reſpicias. Oleum, quod ineſt, non toſtione nucleorum ſolum ſubigitur, ſed tritura quoque cum ſaccharo; hinc quae absque eius connubio praeparantur maſſae, in

in ſuperficiem menſtrui plus longe olei dimittunt, quam ſaccharatae. Sacchari igitur additamentum conducit, modo non tam largum, vt fermentationem, flatus, ſenſus moleſtos, ructus acidos aliaque incommoda primarum viarum excitet. Sic vero Succolata eximie nutrit et demulcet, ſomnum placidum reſtituit, blande aluum aperit, emaciatos leuat, hosque, qui laboribus, peregrinationibus, vigiliis, curis, iactura proborum humorum, ſanguinis, geniturae, exhauſti ſunt, egregie refocillat. Robur quoque hominibus, qui grauibus laboribus ſubeundis et meditationibus protractis adſtringuntur, vigoremque neceſſarium ſubminiſtrat. Aromata modice addita ſtimulum ſalutarem impertiunt ventriculo ad digerendam illam, ipſosque neruos vellicando tanto aptiorem eam ad erigendas vires faciunt. Nocet vero plethoricis, obeſis, otioſis, et hos ad haemorrhagias, apoplexiam, procliues reddit, praecipue aromatibus iuſto largius condita, Vitari quoque debet, ſordibus bilioſis, rancidis, mucoſis, ventriculum grauantibus. Copioſius capta languorem, ſpeciem ſtupiditatis, obeſitatem, parit, et appetitum cibi proſternit. Minus ſalubris eſt poſt paſtum, quam mane potata, minus tempeſtate calida, quam frigida. Verum ſaepe medicamen eſt in tabe varia, quin et phthiſi pulmonum, modo febris abſit, tanto magis, quum acres ſtimulos inuoluat, tuſſim mitiget, ſputa promoueat. Memo-

 rabile

rabile exemplum phthiſici curati narratur (MVNDII *Comment. de aëre eſculentis et potulentis* c. 13. p. 350.). Atrophicis infantibus multo lacte ſoluta commendabilis eſt. Vis eius ad venerem incitandi explicari facile poteſt nutriendi eius efficacia, qua geniturae ſecretionem auget et addito aromatico ſtimulo. Plurimum illi tribuit virtutis LINNEVS (*Amoen. acad. Tom.* 7. p. 263.) in haemorrhoidum ſiue coecarum ſiue apertarum moleſtiis ſedandis. Si remedii vices peragere debeat, magis ſollicite ſecundum conditionum naturam et quantitas Succolatae et liquidum, quo ſoluere eam conuenit, et proportio vtriusque definienda.

Variis inſuper ferculis et cupediis et coquinaria ars et dulciaria per Succolatam gratiam conciliare nouit, vnde in potulentis magis artificioſis, iuſculis, tabellis, paſtillis, morſulis, bellariis, liquidis conglaciatis, rel. frequenter eam offendimus. Quin medicamenta quaedam ingratioris ſaporis vel Succolatae ſolutae vehiculo vel in paſtam eidem impacta haud inuite ingeruntur; exemplo corticis peruuiani (ROSENSTEIN *Barnſjukd* p. 321.), foliorum Aurantiorum (Vide ſupra *Appar. med. Vol.* 3. p. 293.), Tabellarum Succolatae mercurio ſublimato impraegnatarum (LE FEBVRE in *Iourn. de Med. T.* 41. p. 547.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

BVTYRVM ſ. OLEVM DE CACAO. *Pharm. omn.* Vid. e. c. *Pharm. Würt. p.* 124. Proportionem, qua ineſt nucleis, praeparationis methodum et praeſtantiam olei coctione eliciti prae oleo expreſſo ſupra (*p.* 381. *ſqq.*) iam attigi. Albidius redditur ablutione repetita per aquam calidam. Omitto alios modos albedinem huic oleo conciliandi, per lixiuium ex cineribus clauellatis et calce viua, vel per ſpiritum vini (MAVCHARD *Diſſ. cit. p.* 15.), vtpote in foro medico non vſitatos. Deſtillatione acidum offert, acido pinguedinis animalis ſimile (CRELL in *chem. Iourn. P.* 2. *p.* 152.). Et huic acido ſine dubio tribuendum, quod neque nuclei ne poſt multos annos quidem ranceſcere, nec oleum ipſum, niſi in hoc eruendo toſtione iuſto vehementiori peccatum fuerit, quum, quantum fieri poteſt, lenis eſſe debeat, nec vltra illum terminum protrahi, quo epidermis crepitu diſplodatur. Hoc conſilium ſi modo obſeruetur: non opus eſt, torrefactionem praeuiam omnino negligere, prout quidem cuidam viſum eſt (GEELHAVSEN in *Comm. Nor.* 1737. *p.* 82.), ne praeter neceſſitatem in encheireſi coctionis ſubſequae pergatur. Plane non ranceſcere hoc oleum ſunt, qui volunt (LABAT *l. c. p.* 461. LEWIS *Mat. med. p.* 158.). Certe poſt decem annos nulla rancoris veſtigia prae-

 buit

buit (DEHNE *l. c. p.* 39.). Et quod vltra integrum menſem relictum fuit in lamina cuprea oleum nihil in hac aeruginis genuit (*Obſervat. ſur le Cacao, Verſ. p.* 64.). Notandus quoque diſſenſus ratione copiae olei, quod vberius, contra vulgarem opinionem, expreſſione prouocari cl. DEHNE (*l. c. p.* 37.) innuit, qui et plus hac via ex Caraccenſibus nucleis quam Martinicenſibus obtineri expertus eſt (*l. c. p.* 42.). Oleum de Cacao rite praeparatum blandum ſubdulcem ſaporem gratumque odorem habet, et albidum eſt, et, licet in aëre noſtro ſebi ſpiſſitudine inſtruatur, liquore calido tamen facile deliqueſcit. Forma tabularum ſeruatur. Raro ore capitur, quamuis vix aliis oleoſis ex vegetabilium cenſu gratia cedat, eo autem haec ſuperet, quod aegre in rancorem degeneret; pinguedines animantium et inter haſce ſperma ceti antecellere dictis conditionibus palam eſt. Similem vero cum hiſce efficaciam poſſidet lubricandi, relaxandi, inuoluendi, commodo liquido calido, e. c. infuſo theaeformi, lacte, vel decocto auenaceo, hordeaceo, exceptum; de quibus virtutibus conſulenda ſunt capita de Olea et Amygdalo; vt vero et hic monitum contra abuſum pinguium redeat. Papillis mammarum lactantium vel labiis oris illitum fiſſuras harum partium egregie ſanat. Linimentum ex ſpiritu vini alcoholiſato et hocce oleo in fiſſuris mammarum plurimum virtutis praeſtitit (MAVCHART *Diſſ.*

cit.

cit. p. 21.). Contra haemorrhoides coecas quoque hoc oleum commendari meretur, cuius ſimplex inunctio (MANGET. *Bibl. pharm. Tit. de Cacao*) vel applicatio per Goſſypium, quo imbibatur (LABAT *l. c. p.* 461.) dolores eximie lenit, tumorem diſſipat et turgida vaſa ſaepe per profluuium ſanguinis liberat. Conducit quoque hiſce, ſi ardorem vel dolorem intra anum ſentiunt, inſtar ſuppoſitorii bis per diem illud adhibere (STÖRCK *Unterricht für Feld- u. Landärzte Vol.* 2. *p.* 81.). Sapo ex hocce oleo et alcali minerali paratus egregium cll. GRAVENHORSTIORVM inuentum eſt, vt qui et gratia et puritate et conſtantia contra rancorem reliquis omnibus ſaponibus praeferri meretur. Iisdem de cauſis hoc oleum baſin pomatarum et balſamorum variorum conſtituit. Ad metalla vel, vt medico vſui propius accedam, ad inſtrumenta chirurgica contra rubiginem et aeruginem tuenda, nulla pinguedo aptior hacce, ſi eadem obliniuntur.

CHOCOLATA. *Ph. Würt. p.* 35. vel SVCCOLATA Placet ſimplicitate formula dicta. Vide ſupra *p.* 385.

B I X A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 409. *Gen. pl. p.* 265.

402.

Pharm. ORLEANA *Terra.*

Bixa Orellana; LINN. *Spec. pl. p.* 730. Bixa foliis cordatis cum acumine, floribus racemoſis terminalibus. BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p.* 254. Orleana ſ. Orellana folliculis lappaceis. COMMEL. *Hort. Amſtelod. Tom. I. p.* 65. *fig.* 33. Urucu. PIS. *hiſt. nat. Ind. p.* 133. Uruca ſ. Arnotto. SLOANE *nat. hiſt. of Iam. Tom.* 2. *Tab.* 181. *fig.* 1. Pigmentaria ſ. Galuga. RVMPH. *herb. amb. Tom.* 2. *p.* 79. *Tab.* 19. Le Rocou ſ. Manillenſibus Atchioté. SONNERAT *Voyage à la nouvelle Guinée p.* 29. *Tab.* 13. quae icon characteres optime repraeſentat. REGNAVLT *Botan.* Le Rocou. Arbor mediocris ſtaturae Americam calidiorem inhabitans indeque ſine dubio in inſulas Moluccas et Manillam translata. In Iamaica copioſe colitur prope fontes et riuos vel quouis humido et fertili ſolo.

ORLEANA vel ORELLANA terra dicitur maſſa, chermeſini coloris, ponderoſa, fragilis cum quadam tenacitate, vt ſcindi cultro queat, digitos tenaciter inqui-

inquinans. Transfertur plerumque in placentis duarum vel trium librarum oblongis complanatis, quas folia obtegunt, in fragmento aſperis, extus ſublaevibus pallidioribus. Aëri ſicciori expoſita rimas agunt. Eſt faecula ſeu materia ceracea rubra ſemina arboris, intra capſulas ouatas muricatas biualues latentia, obueſtiens. Haec, affuſa ſeminibus calida aqua in commodis vaſis, manuum et ſpatulae adiumento ſeparatur. Tum exemtis ſeminibus nudis materies fundum petere ſinitur. Quibus factis aqua decantatur, et ſedimentum intra plana vaſa in vmbra pedetentim denſatur, dein in globos vel placentas compingitur, vlterius aperto aëre in duritiem vsque ſiccandas. Ita rem narrat BROWNE (*l. c.*), a quo nonnihil diſcrepat SLOANE (*l. c.*), ſignificans ſeparatam aquae infuſione ceraceam materiam in ſpiſſitudinem notabilem coqui, dein in aulaeum cineribus conſperſum collocari, donec denſitatem mellis induat, tum demum in maſſas effingi. Saporis ſubadſtringentis, et odoris mucidi, eſt, ſalina ſoluitur, quam rubram reddit, non vero aqua tepida penitus. Ad candelae flammam non liquatur, nec accenditur, ſed candens fumum ſpargit Tabacum redolentem.

Ab Europaeis medicis vix vnquam aegris praecipitur. Vires tamen in America, et ibi ab Hiſpanis

Bb 5 prae-

praecipue variae exploratae. Pilulae eius duae aut tres exiguae aluum blande mouent et ſaepe eius profluuium inſtar Rhei ſiſtunt (SLOANE *l. c. p.* 53. Conf. PISO *p.* 134.). Ita et dyſenteriae remedium praedicatur (BROWNE *l. c. p.* 255); et ſtomachicum (SLOANE). Vi cordiali (BROWNE) aegrius ſubſcribo. Omitto alias illi tributas virtutes minus probabiles, vel modos eam adhibendi minus ſimplices (Vid. PISO). Radices arboris vi vix a maſſa hacce differunt (PISO) et vias vrinarias praecipue ſollicitant (BROWNE), quo fine iisdem in iuſculis vtuntur (ID.). Succolatae iam dudum apud Indos et Hiſpanos in America fuit additamentum tam gratiae quam coloris cauſa.

Pigmento praeterea hocce Americani ſylueſtres nudum corpus obliniunt tempore praecipue belli, vel ea de cauſa, vt ſanguis ex vulnere erumpens celetur; contra culicum punctiones quoque munire corpus fertur (SLOANE). Maxime arridet Indis pro fuco macerare ſemina huius arboris in ſucco Limoniorum, in quo gummi arboris Mauna ante ſolutum fuerat (BANCROFT *nat. hiſt. of Guiana in South america p.* 45.). Non minus tinctorio vſui et ad pingendas chartas ibidem inſeruit. Cum vrina mixta tam conſtanti colore pannos lineos tingit, vt in poſterum elui nequeat (PISO). Lixiuio alcalino cocta lanam et ſericum pariter colore rubro auran-

tiaco

tiaco inficit. Sed tinctoribus Europaeis paullo infrequentior eſt. Fucum mulierum, qui *Bezetta rubra* dicitur, huic adſcriptum lego (BERG. *Mat. med. p.* 466.), quum hoc linteum ex Turcia aduehi ſolitum ab aliis Coccinellae tribuatur.

Radix in loco natali coloris cauſa pariter in pretio eſt.

ORDO

ORDO XXXII.

GRVINALES.

403.

Pharm. GERANII ROBERTIANI *Herba.*

Geranium robertianum; pedunculis bifloris, calycibus piloſis decemangulatis. LINN. *Spec. pl. p.* 955. Geranium robertianum primum. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 694 REGNAVLT *Botan.* l'Herbe à Robert. Pl. annua, frequens in rupibus, muris, ſyluis ſubhumidis.

Inter plures huius generis ſpecies, quae olim in medicum ſcopum collectae, ſcil. Geranium moſchatum, pratenſe, rotundifolium, ſanguineum, haec tantum vna hodie ſupereſt. *Geranium moſchatum* odor commendauit (V. art. de Hibiſco Abelmoſch p. 377.), ſed accedat oportet ad olfactus de vi analoga Moſchi iudicium experientiae robur. Hac deficiente, nolo ſpecialius de eo agere. Reliquae deſignatae adſtringentis ſaporis ſunt, et vitrioli martis ſolutionem nigredine tingunt; vnde in laxitate ſolidarum partium, calculo pellendo et profluuiis ſanguineis et ſeroſis ſiſtendis, priſtina laus.

Gera-

Geranii robertiani efficacia pariter nondum ſatis euicta. Odorem HERBA recens valde ingratum, LINNEO hircinum, mihi foetori lotii ex *Aſparagis* comeſtis ſimilem, ſpargit; ſapor eius ſalſo auſterus cum quadam amaritie. Recens contuſa cimices pellit (LINN. *Fl. Suec. n.* 619.). Adſtringentem naturam exploratio per vitriolum martis manifeſtat. Taceo alia experimenta chemica, quae nihil ad efficaciam in corpus humanum detegendam faciunt. Ex hiſce tamen ſolis denuo virtutes medicas deriuatas cerno (Vid. HINDERER *Diſſ. de Geranio robertiano Gieſſ.* 1774.). Quas ZORNIVS (*Botanolog. p.* 326.) operoſius ex ſcriptis practicis collegit, hae niſi verum eius pretium decernant, opinionem tamen maiorum de eo declarant. Quaedam horum effata iuuat cum recentiorum experimentis conferre. A paſtoribus infuſum huius ſtirpis ad mictum cruentum pecorum ſiſtendum adhibetur (LINN. *Fl. Suec. l. c.*). In haemorrhagiis hominum pariter eximiam fuiſſe, et quidem in puluere vulneri inſperſo traditur (STOCKER *prax. aur. l.* 1. *c.* 17. *p.* 119.). Ita naribus intruſa ſtillicidium ſanguinis ex iisdem ſedat (THEODORI TABERNAEM. *Kraüterbuch,* 1731. *Vol. I. p.* 129.). Adſtringentia prout vulgo in ſabulo renum pellendo valent, ita et haec herba (THEOD. *l. c. p.* 128.). In ictero Monſpelienſes multum huic herbae tribuunt (ADOLPHI MVRRAY *Diſſ. de methodo luis venereae curandae*

p.

p. 30.). Hiſce, et nominatim cll[is] CVSSON et FARCHON, in phthiſi ſcrophuloſa connubium ſucci Aparines et Geranii robertiani impenſius placet; vel vtriusque manipulum vnum coquunt cum iuſculo carneo addita radice Lapathi acuti (Fratris *itiner. mſpt.*).

Frequentius tamen extrinſecus contra varios affectus externos applicatur. Ob efficaciam in eryſipelate (THEOD. *p.* 127. 129.) nomen quoque *Rothlaufskraut* apud Germanos tulit; coniicio, applicationem eiusdem in hoc malo a cel. TISSOT (*Avis au peuple p.* 354.) propria experientia commendari. Diſſipati ea tumores mammarum in lactantibus mulieribus et fiſſurae papillarum ſanatae (WELSCH. *Mictom. Cent.* 2. *Obſ.* 38.). Contra tineam vnguentum ex herba Geranii (puto hanc fuiſſe intellectam) cum butyro frixa et linteo colata, quo obliniatur totum caput comprobatum medicamen vocatur (a DOLAEO in *Encyclop. med. Lib.* 6. *cap.* 11. *p.* 431.). Iterato tentamine opus eſt, antequam laudi herbae vel pro cataplaſmate contuſae vel in decocto, vel alio modo adhibitae in cancro (SENNERT. *Lib.* 4. *p.* 3. *ſect.* 1. *c.* 7. HILDAN. *Obſſ. et curat. Cent.* 6. *Obſ.* 75. SIM. PAVLI *Quadripart. bot. p.* 73.) ſubſcribas. Facilius oedemata pedum diſcutere (CHOMEL *Uſuelles T.* 2. *p.* 301.) credas. Febribus intermittentibus tollendis, teſte quidem

quidem viro ill. (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 943.) non ſuffecit: aſt a ruſticis infuſi vinoſi forma frequentari iſto fine ex voto alius (HINDERER *Diſſ. cit. p.* 18.) refert.

GVAIACVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 329. *Gen. pl. p.* 208.

404.

Pharm. GVAIACI *Lignum* ſ. LIGNVM SANCTVM ſ. (rarius) LIGNVM INDICVM; *Cortex*; *Gummi*.

Guaiacum officinale; foliolis biiugis obtuſis. LINN. *Spec. pl. p.* 546. Guaiacum foliis fere impetiolatis biiugatis obouatis leniter radiatis, pinnis et ramulis dichotomis. BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p.* 225. Arbor ligni ſancti vel Guaiaci. SEB. *Theſ. Vol. I. p.* 86. *Tab.* 53. *fig.* 2. Lignum vitae or Guaiacum. HVGH. *nat. Hiſt. of Barb. p.* 142. *Tab.* 9. Pruno vel Euonymo affinis arbor, folio buxeo ſubrotundo. SLOANE *nat. Hiſt. of Iam. Vol.* 2. *p.* 133. *Tab.* 222. *fig.* 3. 4. 5. 6. Arbor in Hiſpaniola, Iamaica, Barbados, Braſilia, aliisque regionibus Americae meridionalis ſpontanea.

Guaiacum nomen ab Indico Guayacan deriuatur; a patria quibusdam etiam nimis generali termino Lignum dictum fuit *Indicum*. Non attinet hodie,

MON-

MONTANVM (FALLOP. *de morbo Gall. p.* 28.) refutare, qui ex Cytiſo Laburno L. lignum depromi credidit. Sed fuerunt olim, qui inter *Lignum Guaiaci* et *Lignum ſanctum* vel *palum* diſtinxerunt, et quidem auctores, qui paullo poſt Americes detectionem illud tanquam luis venereae remedium depraedicarunt, Lign. Guaiaci ex inſula St. Dominici, L. ſanctum autem ex inſula St. Ioannis de Portu diuite (Porto Ricco), peti innuentes. Horum e numero praecipue CONSALVVS FERRANDVS (*de ligno Guaiaci et ſancto* in LVISIN. *Aphrod. p.* 355. *ed. L. B.* 1728.), IO. MONARDVS (*de morbo Gall.* in LVIS. *l. c. p.* 607.), FALLOPIVS (*de morbo Gall.* LVIS. *p.* 791.) et NICOL. MONARDES (*Simpl. med. Verſ.* CLVS. *p.* 343.). Tria adeo ligni genera memorat MONARDVS ſuo tempore in vſum eundem translata, quae praeſtat propriis eius verbis deſcribere. "Primum, inquit, quod Guaiacum vocant, denſius, grauius, craſſius, interiore parte nigriçantius, exteriore ſubpallida et veluti lineis quibusdam ad fuſcum inclinantibus in aeque diſtantibus per longum interſecta; alterius ad albius magis vergit exterior pars, neque eſt tam manifeſtis lineis diſtincta: nigrum tamen et ipſum colorem extrinſecus oſtendit, ſed minore orbe, quam praecedens; tertium, quod Sanctum praecipue vocatur, tam intrinſecus albicantem colorem prae ſe fert exilibusque valde lineis eius diſtinguitur longitudo." Reliqui

liqui, qui duo modo diſcrimina agnoſcunt, Guaiacum eo differre, quod meditullium nigrum contineat, quo alterum carere, indicant. Eodem fere redit diſtinctio CASP. BAVHINI (*Pinax* p. 448.) in Guaiacum magna matrice (Guai. officinale L.) et Guaiacum propemodum ſine matrice (Guai. ſanctum L.). Eo vero conueniunt hi omnes, quod Lignum ſanctum, prout odoratius magisque amarum, ita altero praeſtantius virtute ſit. Sed iam tum conqueſti ſunt de vtriusque in officinis pharmaceuticis confuſione (FERRERIVS *de pudendagra* in LVIS. *l. c. p.* 914.), et quidam coaeuorum idem vtrumque habuere (V. ſententia aliorum a FERRANDO *l. c.* prolata). Congrue quoque FRACANTIANVS (*de morbo Gall.* in LVIS. *l. c. p.* 841.) argumentatur, diſcrimen apparens a diuerſitate ſoli et regionis poſſe proficiſci. Addere licet, pro aetate potuiſſe variare lignum, vtpote quum in vetuſtioribus arboribus meditullium ligni ſubinde fuſcari vel nigreſcere, et arbores iuniores, modo iuſtum robur adeptae fuerint, efficaciores grandaeuis eſſe conſtet. Lignum inſuper trunci ſaepe haud parum ab eo ramorum differt. Ad priſtinam de diuerſitate lignorum ideam reſpexit ſine dubio ill. A LINNÉ (*Spec. pl. p.* 546. *ſqq.*), dum, duas ſpecies botanicas deſignans, alteram Guaiacum officinale, alteram G. ſanctum, cuius

videas iconem in REGNAVLT *Botan.* Le Guayac, nominet; idque ſcio, b. virum eandem lignorum distinctionem agnouiſſe, et vtrumque ad diuerſam speciem arborum retuliſſe, et ligni ſancti virtuti praerogatiuam tribuiſſe. Ad litem omnino diſcutiendam opus eſſet, vt vtriusque arboris lignum intra ſeſe compararetur, vt ſingularum ligna pro diuerſitate aetatis, ſoli, rel. in loco natali caederentur collatis inter ſeſe ſpeciminibus, tum denique, vt noua in morbis cum ſingulis fruſtis vel ſegmentis experimenta inſtituerentur. Olim quoque lignum quoddam *Guaiaci ſpurium* in Italiam, potiſſimum Romam, aduectum fuerat, cuius autem notas, quoniam ad noſtrum aeuum non pertinet, omitto, aliunde ſi opus videatur, petendas (Vid. CANEVARIVS *de ligno ſancto* 1602. *p.* 95. *ſqq.*). Alia demum ligna, Citri, Cupreſſi, etiam indigena, Pini, Coryli, Buxi, Iuniperi, initio, ob charum Guaiaci pretium ſuffecta ſunt. Iam pauciſſimi medici vel pharmacopolae nomina dicta ſynonyma non habent. Diſtinguunt adhuc Würtenbergenſes (*Pharm. P. I. p.* 116. 118.) item CARTHEVSERVS (*Mat. med. Vol.* 2. *p.* 161.), addentes contra priſtinum iudicium Guaiacum eſſe potentius altero, cui colorem pallidiorem tribuunt.

Trans-

Transfertur lignum ex patria magnis fruſtis ponderis quatuor quinque vel plurium centenariorum. Quoniam vero valde durum eſt: in Belgio, Anglia aliisque quibusdam regionibus in ergaſtulis inſtar lignorum tinctoriorum in ſcobem redigitur ſicque comminutum plerumque officinis venditur, et *Raſpatura* vel *Raſura ligni Guaiaci* ſiue *ſancti* audit. Fragmenta tamen quoque ibidem obuia ſunt variae ſectionis, longitudinalis item transuerſalis. Si iſta facta, vnus plerumque color conſpicitur, vel ex viridi brunus, vndis obſoletis profundioris coloris item punctis oblongis nigris notatus, vel flauicans inſtar buxi vndis fere nullis punctisque nigris paucis. Si vero transuerſim lignum ſectum fuerit, obſcurus ille color in media parte conſpicitur (Matrix), pallidus in exteriori (Alburnum). Ponderoſum in vniuerſum hocce lignum eſt, vt fundum adeo aquae petat et valde compactum, compactius tamen in bruna parte quam altera. Quo ponderoſius, quo recentius, quo plus reſinae continet, et quo obſcuriorem colorem prae ſe fert, eo praeſtantius cenſetur. Colligi quoque vel ex trunco vel ramis maioribus debet. Conuenientius habetur, vt cortex ſub transmiſſione ligno adhaereat, quam vt a ligno antea auferatur. Flammae admotum facile ardet, tumque multum reſinae eructat. In minora fruſta

 diſſe-

diſſectum vel raſum, et aëri libero expoſitum, parte bruna intra aliquot horas colorem coeruleo viridem adipiſcitur, quod idem accidit raſurae, ex qua reſina extracta (HEYER in CRELLS *Entd. P.* 2. *p.* 50.). Maſticatum leuiter acre et amaricans apparet, praecipue ex meo ſenſu flauicans lignum, odorem vero vix vllum niſi raſum vel calefactum prodit, qui ſubaromaticus eſt. Multum reſinae continet, quae vero adeo arcte cum gummi copulatur, vt, ſiue ſpirituoſum ſiue aquoſum menſtruum pro digeſtione adhibeas, vtriusque non leuis pars ſimul eruatur. Aſt reſina ſemper maiori quantitate ligno ineſt. Proportio non eadem a chemicis ſiſtitur, quod partim diſcrimini fruſtorum electorum, partim encheireſi ipſi adſcribas. Ita vnus (NEVMANN. *Chymie Vol.* 2. *P.* 3. *p.* 206.) extracti reſinoſi $\frac{7}{32}$ aquoſi $\frac{3}{32}$ eruit; alter (CARTHEVS. *M. m. Vol.* 2. *p.* 158.) iſtius circiter $\frac{1}{3}$, huius circiter $\frac{1}{5}$; tertius (LEWIS *M. m.* *p.* 300.) iſtius modo $\frac{1}{4}$, huius vix $\frac{1}{6}$. Quae maſticando lignum ſentitur acrimonia ea in decocto vel extracto aquoſo longe manifeſtior, vt linguam et fauces pungat, in tinctura autem vel extracto reſinoſo parum notabilis. Omitto ſtudio analyſin eius fortiori igne per ſiccam deſtillationem factam (GEOFFROY *Mat. med. Tom.* 2. *p.* 395.).

Cingi-

Cingitur lignum CORTICE ponderoſo, lineam ſupraque craſſo ex pluribus quaſi ſtratis conſtructo, quae facile diſcerpi poſſunt, extus ſcabro et fiſſuris variae directionis inſulas hinc inde ſquamoſas formantibus notato, variegato maculis liuido griſeis et luteis, interne griſeo vel flauicante, in fragmentis pallide fuſco. Magis hic et acrimonia et amarite linguam afficit, quam lignum. Ita ad meum ſenſum, contrarium etſi cl. LEWIS pronunciet. Minor huic, quam ligno, reſinae quantitas ineſt, maior gummi. Ex ligni ſcilicet libra dimidia extracti reſinoſi vncia vna cum quatuor ſcrupulis elicita, et ex eadem quantitate extracti gummoſi drachmae decem cum ſcrupulis duobus, reſiduumque vncias ſex et drachmas duas conſtituit (NEVM. *l. c. p.* 211.). Quidam corticem efficaciorem ligno habent (SLOANE *l. c. p.* 134.). Haecce ſine dubio cauſa eſt, quod LINNEVS in Materia medica lignum plane omittat. Hodie vero rariſſime cortex praecipitur.

In arboribus aetate prouectioribus plerumque per corticem ſponte exſudat id, quod GVMMI Guaiaci (*natiuum*) vulgo dicitur; ſauciata vero arbore copioſior longe eius prouentus fit (BROWNE *l. c. p.* 226. *not.*). Sponte proueniens virtute praeſtat alteri, arte prolicito, prout et illud gummi, quod tempore, quo ſuccus

 aſcen-

aſcendit, prolicitur, crudius eſt, licet maiori copia erumpat, quam poſt illam periodum collectum (DES MARCHAIS *Voyage en Guinée etc. Vol.* 3. *p.* 246.). Magnis maſſis ad nos aduehitur. Et hoc quidem gummi friabile eſt, ſemipellucidum, in fragmento nitens, profundioris coloris, in vno eodemque ſpecimine mox flauo fuſcum, mox virideſcens, quaſi grana diuerſae naturae confluxerint, ſaepe fragmentis corticis commixtum. Carbonibus inſperſum non male olet. Maſticando compingi ſeſe ſinit, et linguam haud parum pungit. Ad euitandas fraudes ea exempla eligere conducit, quibus adhaeret adhuc cortex vel immerſus eſt. Nam lucro ducti quidam ex colophonio balſamo ſulphuris mixto, vel alia mala arte, factitium conflarunt. Quae fraus tanto maiori reprehenſione digna eſt, quum genuinum gummi inſigni in morbis virtute inſtruatur, noſtro praecipue tempore celebrata. Solutio huius ſic dicti gummi ſpiritu vini rectificato facta ſi inſtillatur ſpiritui nitri dulci et aqua dein diluitur: gummi fundum petens colorem coeruleum gratum obtinet; quodſi vero peregrinam reſinam in ſinu gerit: ſtriae albae inter coeruleam partem comparent (MÖNCH in CRELLS *Chem. Iourn. P.* 2. *p.* 78.). Subinde ſerius modo ſeſe manifeſtat hic color, nec longae durationis eſt; requiritur et ſpiritus nitri dulcis recens,

cens, probe paratus ſed acido abundantior. Ipſi vapores ſpiritus nitri fumantis alluentes hunc colorem producunt. Reſinoſi parti deberi hunc colorem peculiaria experimenta edocuere (DEHNE in CRELLS *chem. Iourn. P.* 2. *p.* 80. *ſqq.* it. *P.* 6. *p.* 3. *ſqq.*). Verum et ipſa ſolutio gummi Guaiaci, mucilagine facta poſt aliquot horas coeruleſcit (LEWIS *Mat. med. p.* 302.). Vncia vna gummi Guaiaci dedit extracti reſinoſi drachmas ſex cum duobus ſcrupulis, extracti aquoſi autem modo ſcrupulos quatuor (NEVMANN *l. c. p.* 213.). Reſinae verae puraeque itaque circiter $\frac{3}{4}$ inſunt. Vnde patet maiori iure ſuccum iſtum concretum reſinam dici, quam gummi, quamuis tantillum veri gummi admixtum habeat. Vtramque partem arbitror iunctim conſpirare ad effectus egregios praeſtandos, quos de Guaiaco in praxi medica experimur. Vix dubitandum, ſaepe in officinis loco natiui gummi extractum ex ligno paratum obuiam venire. Certe gummi natiuum longe magis pungit linguam meam, et intenſiorem longe amarorem illi imprimit reſina pura. Huc reſpicere mihi quoque videtur FRID. HOFFMANNVS (*Obſerv. phyſ. chym. Lib.* 1. *p.* 66.), diſtinguens in ſubſtantiam reſinoſam et reſiniformem, quam ipſam acriuſculam eſſe et nares ad pituitam vberius ſecernendam vellicare obſeruauit. Et hiſce partibus re-

ſinoſis quidem Guaiacum per minimos corporis noſtri canales efficaciter penetrat, impacta reſoluit et diſcutit, balſamicam virtutem exercet et ſudorem potenter pellit item euacuationes per aluum vel lotium, vel aliquando ſaliuae profluuium, ciet.

Sed redeundum ad LIGNVM eſt. Hoc ipſum ob duritiem et nitorem, quem admittit, tam a fabris tignariis ad opificia quaedam longae durationis, quam a lignariis, item tornatoribus, expetitur. Et hoc quidem prae reliquis dictis arboris partibus frequentiſſimi vſus in re medica fuit.

Omnium primum hoc in lue venerea inclaruit paucis annis ſerius, quam ex itinere Hiſpanorum in Indiam occidentalem eiusdem niſi prima ſemina, quod haud probabile, noua tamen ſpargerentur. Initium celebritatis dedit felix curatio, quam in inſula St. Dominici Hiſpanus quidam ſuperioris ordinis, qui morbum ab Inda muliere contraxerat, iam doloribus diris detentus, ſuadente famulo ſuo Indo, ex hoc ligno in ſemet experiebatur. Eius exemplo praeeunte, plures alii Hiſpani eodem morbo contaminati ad idem auxilium fauſto ſucceſſu confugerunt. Quod quum poſt reditum Hiſpali ab hiſce euulgaretur, hinc per totam Hiſpaniam et inde per

totum

totum reliquum orbem, quem lues occupauerat, fama remedii increbuit (MONARDES *l. c. p.* 341.). Si DELGADO (*del modo de adoperare el Legno ſanto. Venet.* 1529.) fides, iam a. 1508. in Hiſpania eius vſus obtinuit. Primi vero, qui hoc lignum in Germania commendarunt, fuerunt a. 1517. NICOL. POLL (in LVISIN. *Aphrod. p.* 242.), qui iam tum tria millia hominum eo curatorum memorat, a. 1518. LEONH. SCHMAVS. (LVIS. *p.* 383.) et a. 1519. famoſus ille Eques Germanus VLR. AB HVTTEN (LVIS. *p.* 275.) qui, poſtquam ipſe ptyaliſmum vndecies fruſtra tentaſſet, Guaiaco tandem ſeſe ſanatum declarat. In Italia a. 1517. innotuit (DELGADO *l. c.*). Quantam vero vbiuis in Europa ſenſim acquiſiuerit fiduciam, tam copia iſta auctorum, quorum effata LVISINVS collegit, ſignificat, quam numeroſa eorum cohors, quorum nomina et ſcripta operoſe recenſuit BÖHM (*Diſſ. variae Siphilidis therapiae Argent.* 1771. §. 8.). Initio quum ex America adueheretur, tam charo pretio vendebatur, vt adhuc tempore MASSAE (in LVIS. *Aphrodiſ. p.* 71.), qui a. 1532. primam editionem libri *de morbo Gallico* euulgauit, ligni libra vna ſcutatis aureis vndecim veniret. Facile coniicitur, non omnes et ſingulos eadem ſimplicitate, forma, menſtruo, quantitate, duratione, Guaiacum exhibuiſſe. Plerique autem decoctione eius cum

 aqua

aqua vſi ſunt, cuius ſcopus fuit, implere corpus diluente attenuante et balſamico remedio, dein vero illud ei caloris moderamini ſubiicere, vt colluuies ſubacta per copioſum ſudorem eliminaretur. Et in hoſce quidem fines in vſu fuit mane et veſperi portionem meraciſſimi decocti bibere et per reliquum diei tempus debilius ſiue ſecundarium ex largiori copia aquae reſiduo ſuperfuſae conſumere. Ad HVTTENII (LVISIN. *l. c. p.* 283.) narrationem ſcobis ligni libra vna cum aquae purae libris octo per nychthemerum macerata lento igne per ſex horas coquebatur, et huius decocti percolati beneque in ampulla ſeruati libra dimidia bis de die bibebatur; ſubiuncto per diem decocto tenui ex reſidua ſcobe cum libris octo aquae. Eodem fere redit a MASSA (LVIS. *l. c. p.* 62. *ſq.*) propoſitum meracius ex pulueris ligni libris duabus et aquae libris ſedecim ad dimidii conſumtionem coctis, cuius vnciae ſex ad duodecim vel minor quantitas bis calide bibebantur; reſiduum cum aquae libris ſedecim ad tertiae partis conſumtionem ebulliebat, vt loco potus conſueti per diem eſſet. Quidam corticem et lignum vna decoxerunt. Inter haec aëris iniuriis ſollicite aegri ſeſe ſubtraxerunt, et poſt captum meracum liquidum in lecto corpus operiendo et ope calefacti conclauis ſudorem abunde mouerunt. Quo ipſo, ope panni deterſo, induſium mutatum eſt. Cibus potusque ſimul fuit valde

tenuis,

tenuis, parcus, niſi conſuetudo plus indulgentiae iniungeret (MASSA in LVIS. *p.* 70. FVCHS. *ib.* *p.* 599. 600.). Quantitas ligni ad curationem neceſſarii non vna ſemper fuit. MASSA aliquando acquieuit libra vna duodecies decocta, donec nihil ſaporis et odoris ſupereſſet. HVTTENIVS (LVIS. *p.* 285.) autem pro ſe ipſe libris quinque indiguit, aliis, vt indicat, libris octo vel decem opus fuit. Ad triginta vel quadraginta dies haec curatio protracta eſt, ſubiuncta per vices purgante medicina, et tum ſenſim ad opulentam diaetam redire permiſſum eſt. Vlceribus obortis vel oſſibus lue male affectis ſpuma decocti ſimul applicabatur (HVTTEN.), vel pannis meraciſſimo decocto madentibus pars obuoluebatur, ſudor item per ſpiritus vini vapores illuc directos ibidem vberius excitabatur (BOERH. in *praef.* ad LVIS.). Leges, quas praeſcribit ſub vſu Guaiaci BOERHAAVIVS (*l. c.*), dictis adhuc rigoſiores ſunt: aegrum ſcil. eſſe loco calidiſſimo includendum; abſtinere eum toto tempore ab omni potu ciboque debere, in quo vel minimum pinguis, et vnice pane bis cocto vuisque paſſis alendum; nullo potu reficiendum niſi Guaiaci decocto ſincero aut paullo leniori; quater interdiu decocti eiusdem meraciſſimi, quantum poſſit, ad minimum ſingulis vicibus octo vncias bibendas; hiſce per aliquot dies factis per vapores ſpiritus vini accenſi, vel, quod idem eſt, per vapores aquae

aquae ebullientis (DE HAEN *Praelect.* in BOERH. *inſt. pathol.* *Tom.* 5. *p.* 159.) nudo corpori per dimidiam horam admiſſos, vel intra ciſtam ligneam vel intra lectum, in quem per canalem illi deriuarentur, ſudorem eſſe excitandum, primum bis de die dein poſt quatuordecim dies mane modo. Hacce methodo curatos ſiſtit duos iuuenes ad oſſa vsque lue inquinatos. Decocta, ad quae reſpicit, ſine dubio ea ſunt, quorum formulas in Aphoriſmis (§. 529.) ſuppeditat. Ad reſinam tanto melius eliciendam pro digeſtione addidit ſal tartari, imo ſub finem coctionis ſpiritum vini rectificatum. Saporis cauſa addi poſſunt Paſſulae vel radix Glycirrhizae. Eiusmodi formulae exemplum hoc erit: ℞. Lign. et Cort. Guaiaci ℥vj Saſſafras ℥iij vel iv. Paſſular. v. Glycyrrh. ℥ij. Coqu. c. Aquae Menſ. vj ad dimid. (DE HAEN *Prael.* in BOERH. *inſt. path.* *Tom.* 5. *p.* 160.). Multis viſum eſt hoc curationis genus mercuriali inunctioni in lue venerea praeualere, vt adeo, ea irrita, demum in Guaiaco auxilium quaereret. Sic GARCIAS AB HORTO (*de aromat.* *Ed.* CLVS. *p.* 146.). Sic fide practica illuſtrior BOERHAAVE (*loc. cit.*), qui hacce ope contagium elui ex illis corporis partibus, quibus tenaciter inhaeſit, teſtatur.

Vt iudicium de hacce curatione absque partium ſtudio feratur, primum attendas ad acrimoniam

niam, qua decoctum meracius fauces exaſperat, quin nonnihil inflammat. Quae quidem moleſtia paullo poſt ſponte euaneſcit vel auerti poteſt, addendo ſub finem coctionis Liquiritiae radicem vel Caricam antea maſticando. Calorem, quem per reſinam lignum ſponte mouet, temperies atmoſphaerae, quae ſimul obſeruatur, inſigniter auget. Inſudatio vehemens priuat corpus neceſſariis humoribus, exſiccat, emaciat, debilitat. Aliud diſpendium virium facit tenuis exſucca diaeta, ad quam homo ſimul reſtringitur. Hinc in multis naturae ſiccioris, temperiei calidioris bilioſae, in phthiſin pronis, vel tentaminum curationis varietate eneruatis, locum habere nequit.

Relaxatus ideo nonnihil in hoc ligno adminiſtrando rigor tam ratione diaetae quam modi ipſius decoctum vſurpandi. Placuit quibusdam, vt, poſt MANARDVM et ALEXANDRVM MASSARIAM, VALSALVAE et MORGAGNIO (*de ſed. et cauſ. morb Epiſt.* 58. *p.* 16.) decoctum dilutius inſtar aquarum thermalium potare. VALSALVA initium a libris duabus vel tribus fecit, animaduertendo, an facile per vrinae iter non per aluum vel cutem prodiret. Niſi hoc fieret, deſtitit; contraria conditione poſtridie auxit pondus, ſenſim in dies aſcendendo ad libras decem vsque. Ita multum citoque profecit, vt ſubinde intra triduum

duum iam vlcera vetuſta ſanata conſpiceret. Eadem medendi ratione immortalis MORGAGNI mulierem ſanauit, iam biennium vlceribus pluribus foedatam, et generoſum quendam virum late foedoque variis locis exulceratum. Hacce via ſine multo incommodo et paucis diebus aegri id conſequuti ſunt, quod alii vix magno labore et longo tempore.

Senſim vero declinauit Guaiaci in lue venerea curanda auctoritas, etſi non vbiuis abolita, adeo vt adhucdum Florentiae in noſocomio Incurabilium ad ſolum Guaiaci lignum et Sarſaparillae radicem, tanquam ad ſacram anchoram medici confugiant, et in noſocomiis Hetruriae plurimis lege vſus mercurii ſit interdictus (Fratr. ADOLPHI MVRRAY *Diſſ. de methodo luis venereae curandae* §. 2.). Cauſa vero, cur alii medici in hoc morbo curando a Guaiaco receſſerint, videtur eſſe non vna. Multos deterruerunt moleſtiae praecipue ſub priori operoſiori methodo incidentes. Ab aliis, quoniam illud in multis inane vel ineptum conſtitit, ideo in omnibus eſſe creditum. Nonne et alii innouationis in re medica, vt quauis alia, ſtudio capti fuerunt? Numeroſis aegris ſubueniſſe egregie vel hoſce a malo liberaſſe negare non poſſumus, niſi omnem hiſtoricam fidem e re medica tollere velimus. Sed habere efficaciam ſuos limites, quis iure inficiabitur?

Non

Non tamen dixerim in leuiori tantum gradu mali et recenti malo vim habere, quum et interſperſae heic hiſtoriae de malo grauiori et vetuſtiori loquantur. Sunt qui aptum modo pronunciant vitiis venereis quibusdam localibus tollendis, contra inunctionem mercurialem obſtinatis. Largiar plus virtutis habere ſub climate calidiori, in quo lues venerea et mitior eſt, et facilius remediis obſequitur, quam frigido; et dabo debilius longe eſſe lignum vetuſtius exſuccum, quam ſuccoſum viride, quale in patria arboris proſtat (Conf. ASTRVC *de morb. vener. p.* 142.). Cl ASTRVC ad illum fere vnice morbum venereum vſum reſtrinxit, quae ſcrophuloſam vel ſcorbuticam diatheſin ſociam habet. Id autem experientia exploratum eſt, ſubinde miaſma venereum diuturnitate mali et curationis tentatae varietate aliquando ſic mutari, vt remedia, quae etſi contra virus ipſum nihil valent, iam praeter omnem ſpem accommodatiſſima reperiantur. Huius loci ſunt decocta lignorum et radicum variarum iuncto vſu lactis et acidularum; ſub qua conditione e contrario quaeuis mercurialia non modo non iuuant, ſed noxii effectus ſunt. Sic quoque in numeroſiſſimis caſibus poſt fruſtratam mercurii adminiſtrationem Guaiacum in ſubſidium tractum eſt. Quicquid ſit, non ſpernendae efficaciae eſt decoctum ad eluenda vlcera colli, naſi, oculorum, ad balnea pedum et manuum, ex-

oſtoſi

oſtoſi deformatarum, item in epithemate contra vlcera venerea cancrum mentientia (PLENCK *Mat. chir. p.* 257.).

Placet quibusdam ſub mercuriali curatione vna decocto guaiacino vti, vel ptyaliſmo finito ad reliquias mercurii ex corpore expediendas Guaiacum ſubiungere. Connubium hocce in ſcrophuloſis valde proficuum eſt (PLENCK *Mat. chir. p.* 258.). Memorabilis vero obſeruatio eſt (BOERHAAVE in *praef.* ad LVISIN.), in hoc connubio loco ptyaliſmi ſudoris profuſionem fieri, et diſſolutis decocto humoribus nec maxima mercurii copia ſaliuae profluuium cieri poſſe. Lignum hocce, vt alia reſinae ditiora, mercurium potius figit, quam fluxilem reddit et excutit (SYDENHAMI *Oper. p.* 340. BRENDELII *Progr. de hydrargyri reliquiis a ptyaliſmo expellendis*, §. 2-5.). Si enim mercurius dulcis cum Guaiaco ex aqua coquitur, decoctum nec pluribus diebus quidpiam albi puluilli demittit, vt radicis Chinae, Sarſae, et alia cum mercurio dulci parata, decocta. Hinc et contingit, vt ptyaliſmum per mercurium experti et decocto guaiacino ad finem medicationis vſi, ſi aquas medicatas aliquamdiu bibant, prout nominatim de thermis Carolinis, acidulis Egranis et Pyrmontanis compertum eſt, nouum ſaliuae profluuium, ſed plerumque mitius, experiantur (BRENDEL *l. c.*).

Virtute

Virtute Guaiaci in lue venerea diiudicata, quid in arthritide et rheumatiſmo praeſtet, ſignificandum eſt, quibus in morbis vſus eiusdem noſtro tempore ſpeciem nouitatis induit. Sed iam eo tempore, quo prima laus ligni huius, nominatim decocti eiusdem, contra luem veneream perſonauit, praecones iidem exſtiterunt praeſtantiae in dictis doloroſis morbis, ſed ſimul monentes, in frigida et humida modo diatheſi conuenire, et in multis non tollere omnino, aſt lenire modo malum. Nominandi inter hoſce MASSA (LVISIN. *Aphrod. p.* 67. 75.), HVTTENIVS (LVIS. *l. c. p.* 303.), FERRI (LVIS. *l. c. p.* 432.), FALLOPIVS (LVIS. *l. c. p.* 794), RINIVS (LVIS. *l. c. p.* 982.) rel. Dolorum iuncturarum meminit MONARDES (*Simpl. med. p.* 345.) inter ea mala, quibus ſuperandis Guaiacum par eſt, adiungens tum in primis conferre, quando morbum Gallicum ſubſequantur. Nec deferbuerat efficaciae huius opinio SENNERTI (*Oper. Tom.* 5. *de arthr. c.* 7. *p.* 178.) tempore, quo ad ſudoriferam vim reſpexiſſe praeſertim videntur, licet iſte potius hanc medicinam vituperet, quam laudet. Eodem fine SOLENANDER (*Conſ. med. Sect.* 4. *p.* 410.) decoctum ligni commendauit impenſius, faſſus tamen ſimul quosdam arthritide leuiori correptos vel coxendicis dolore conflictatos recuperaſſe ſanitatem, etiamſi nulla inſudatio acceſſerit. Multoties decocto ſaturatiſſimo ligni et corticis Guaiaci ad libram di-

midiam mane et veſperi tepide hauſto rheumatiſmum ſe diſcuſſiſſe indicat KLAVNIGIVS (*Noſocom. charitatis p.* 91.). Idem conſilium ſequutus TRALLESIVS (*de Opio Sect.* 2. *p.* 313.) eodem ſucceſſu in rheumatiſmo frigido et pituitoſo potitus eſt. Aliquando decoctum tenue ligni frequenter ore hauſtum et linimentum volatile loco dolenti inunctum cum pannis laneis eum inuoluentibus ſuffecit (TODE et SALHOLT *Diſſ. Adnot. med. pract. p.* 6.). Aliis decoctum Guaiaci cum lacte in lecto mane potum profuit (WILHELMI *Diſſ. de verm. pag. antepen. not. h.*). Atque ab hoc ligno dependet plurimam partem virtus variorum medicamentorum magis compoſitorum, in arthritide et rheumatiſmo celebratorum, vt SPECIERVM DECOCTI ANTIPODAGRICI VIENNENSIVM, ELECTVARII MVNDIFICANTIS BIERLINGII, ELECT. ANTIRHEVMATICI ANGLORVM (*Nucleus medic. ex Anglico verſus.*).

Sed commodius in hiſce morbis doloroſis, forſitan et maiori efficacia, quum aluum efficacius paullo moueat, ingeritur GVMMI GVAIACI, natiuum iſtud. Nec hoc nuperiorum horum annorum inuentum eſt. Gummi hocce in pilulis pari laude, qua decoctum ligni ad mitigandam vel ſanandam arthritidem, malum iſchiadicum et alios rheumatiſmos, notat DES MARCHAIS (*Voyage Vol.* 3. *p.* 247.). MEADIVS (*Monit. et praec. p.* 116.) iam tincturam guaiaci-

iacinam volatilem Lond. vel Balſamum guaiacinum omnibus reliquis in doloribus articulorum praetulit, quorum vtrumque gummi Guaiaci in ſpirituoſo menſtruo ſolutum complectitur. Alius inſignis auctoritatis Anglus (PRINGLE in *Diſ. of the armis p.* 161. *ſq.*) in rheumatiſmo chronico hauſtum quouis veſperi propinauit egregio euentu ex gummi Guaiaci drachma dimidia, vitello oui ſoluta, et duabus vnciis aquae diluta, addito ſacchari tantillo, vnde die poſtero duae vel tres alui deiectiones conſequutae, interponens aliis diebus vſum ſpiritus cornu cerui. Arriſit editori Lugdunenſi libri popularis TISSOTI (*Avis au peuple a.* 1763. *p.* 230.) hoc gummi ad grana ſex vel decem in pilulis, e. c. cum robe Sambuci, exhibere. Sed propius ad methodum exhibendi gummi hocce nouiſſime celebratam accedit illa, quam GVILIELMVS ELLIS (*The timber tree improved Lond.* 1742. 1746. Ego verſionem Germ. *von Erbauung d. Zimmerholzes* 1752. *p.* 327. *ſqq.* coram habeo.) refert tempore editionis libri ſui in Anglia contra arthritidem familiarem fuiſſe, et reliquis remediis fere palmam praeripuiſſe, dum ſcilicet gummi huius vncia dimidia in libra vna optimi ſpiritus ſacchari, Rum, ſolueretur, et huius ſolutionis quarta pars diluta cereuiſiae fortioris libra dimidia veſperi biberetur. Quicquid vero horum ſit, fatendum iuſto languidius ſaltim extra inſulas Americes Antilias et Angliam,

 in

in vſum hocce gummi tractum eſſe, donec Regis Galliae Cauſidicus EMERIGON litteris tribus ex inſula Martinica a. 1776. miſſis edoctus ab incola quodam Caribaeo experimentum primum in ſe per plures annos diriſſima arthritide eaque demum nodoſa vexato caperet, dein neruoſe aliis commendaret. Litterae hae mox variis diariis Gallicis inſertae (e. g. *Iournal de Medecine Tom.* 47. *p.* 424. *ſqq.*), item prodierunt ſeorſim impreſſae (*Specifique contre la goutte eprouvé et publié par Mr.* EMERIGON, *Procureur du Roi en la iurisdiction Royale et au ſiege general de l'amirauté du Bourg St. Pierre* 1778.), et paullo poſt in alias linguas verſae vndique innotuerunt. A lectione ad experimenta cito res tranſiit, et ab hiſce ad euentuum narrationem. Habent medicaminum, quorum non ſatis euicta fides, publica praeconia, etiamſi modum excedant, id tamen ſemper commodi, vt, ſi obliuioni tradita fuerint, memoriam eorum reſtaurent, et vt ſollertes medicos ad noua pericula incitent, ex quibus limitatio iuſta, quoad ſpeciales corporis conditiones, doſis commodiſſima et conſociatio aptiſſima, item diaetae ſimul obſeruandae norma, conſtituitur. Dignum igitur cl. EMERIGONIS nomen eſt, quod faſtis medicis inſeratur, vt quod anſam ad tot grauia momenta de efficaci medicina in atroci morborum genere eruenda dedit. Formula vero ab iſto publici iuris facta haec eſt:

Rc.

℞. Taſſiae pintas tres h. e. libras med. quatuor (nam quaelibet pinta Gallica aequat vncias ſedecim) Gummi Guaiaci vncias duas. Solue in ampulla bene clauſa, radiis ſolis per ſeptem vel octo dies expoſita, identidem illam agitando; filtratum demum per Goſſypium vel chartam bibulam liquorem immitte ampullis ſuetis probe obturandis. Doſis huius aſſignatur cochleare vnum maius quouis mane ſumendum. Hac ratione arthritis ſeptem vel octo annorum, initio facto ſub ipſa dolorum praeſentia, intra quindecim menſes ſopita, nodi, qui omnes fere articulos antea obſederant, vel hoc vnice auxilio vel ope ſaponis albi applicati omnino fere diſparuerunt, motus libertas in artubus rediit, nec dolores vagi, paroxyſmi olim praenuncii, reuerterunt, aluus blande aperta, et ſtomachus priſtinum robur recuperauit (*Lettre I.*). Quum poſt nouemdecim menſes intermitteret vſum medelae per ſeptem circiter hebdomades: recruduit quidem malum in pede cum vitiis ſtomachi, ſed conticuit iterum praebio ſignificato mane et veſperi per tres dies et dein ſemel per diem capto. Ipſe diatheſin ſuam pituitoſam declarauit (*Lettre* 2. in *Journal de Medec. l. c. p.* 429.). Senſim interualla concedere licuit, vt ſufficerent praebia bina per hebdomadem. Eadem medela multis aliis arthriticis in hac inſula auxilium praeſtitit, ita tamen vt doſis vel augenda vel

 dimi-

diminuenda eſſet pro temperie aegri et effectus diverſitate (*Lettre* 3. *l. c. p.* 430. 434.). Mirum haecce quum in vulgus prodirent, diſputatum adeo a practicis quibusdam fuiſſe, *Taſſia* quid eſſet, quum tamen et lexica et libri plerique in materiam medicam declarent ſpiritum ex reiectitiis quibusdam Arundinis ſacchariferae partibus poſt praeuiam fermentationem deſtillatione paratum, Taſſiam vel Rum vocari, et aeque auide potari a bibonibus in inſulis Indiae occidentalis et continente Americae terra, ac in Europa ſpiritum vini Gallicum vel frumenti. Dabo tamen colorem ſaporem odoremque illius Taſſiae, quae ad nos transuehitur, variare poſſe pro deſtillatione vel lentiori vel citiori, iteratione huius encheireſios vel inſtituta vel omiſſa, ligni quoque, ex quo dolium fabrefactum, diuerſitate. Taſſiam pro menſtruo requirit cl. EMERIGON, balſamicas vires ei adſcribens, nec alium ſpiritum inflammabilem, pluresque effectu deſtituti accuſant vel Taſſiae vel gummi Guaiaci vitium: ſed ſpiritum vini fortiorem vix dubito viribus inferiorem eſſe; anne vero obtineat aliud menſtruum vel connubium aptius, dein diſpiciemus. Non attinet per membra omnes ſingulares hiſtorias arthriticorum litteris mandatas, in quibus hac forma et methodo malum ſuperauit vel mitigauit, perſequi. In Gallia multis, etiam natalium ſplendore conſpicuis, proficua haec

mede-

medela fuit (*Iourn. de Medec.* 1777. *p.* 424. *not. Gazette ſalutaire* 1777. *n.* 19. *Hann. Magaz.* 1778. *n.* 58.). Haud paucis in Dania ſucceſſit res (V. ill. A BERGER *litt.* ad ill. ZIMMERM. in *Hann Mag.* 1778. *n.* 58. TODE et SALHOLT *Diſſ. adnot. med pract. p.* 3. *ſqq.* ROGGERT in cel. TOD. *Biblioth. Vol.* 7. *p.* 178.). Et in Germania, nominatim in ducatu Hannoverano plures ſunt, qui ſolutioni dictae valetudinem recuperatam debent (*Hann. Mag. l. c.*). Ea cl. MÖHSEN Berolini ducem militarem, et cl. METZGER (*verm. med. Schrift. P. I. p.* 173. *ſqq.*) alium virum muneribus grauem, a podagra liberarunt.

Vt vero pretium huius remedii rite diiudicetur, tam gummi ipſum quam ſpirituoſum menſtruum ſeorſim trutinandum eſt. Gummi hocce naturae plurimam partem reſinoſae eſſe, ſupra iam (*p.* 407.) indicaui, a qua ipſa tota fere ligni guaiacini virtus dependere videtur. Non mirum igitur, quibusdam gummi hocce qualicunque modo ingeratur calorem corporis intendere, congeſtiones ad caput creare, etiamſi plethora deficiat, anxietates creare, appetitum proſternere, alui profluuium gignere. Locum igitur modo habere poteſt in hominibus frigidioribus humidi et mollis habitus, ad quos egregie ligni Guaiaci vſum in vniuerſum vetuſtiores medici reſtrinxerunt. Hinc et neceſſe eſt cum vſu huius remedii

medii multum potulenti aquoſi, vt ptiſanam Hordei crudi vel perlati, Auenae vel ſimilis, addito quoque lacte, coniungere. Quidam ideo poſt captam ſolutionem ſpirituoſam multum lactis ingeſſerunt (EMERIGON in *Iourn. de Medec. l. c. p.* 428. 433. *Hann. Magaz.* 1778. *p.* 923.). Quod connubium tanto praeſtantius, quum lac ipſam podagram leniat. Et quum ſuperficiem corporis Guaiaci vis ſimul petat: oportet ea temperie aëris vti, vt tranſpiratio non ſufflaminetur. Facile patet, exceſſum quemlibet in cibo potuque vitari in morbo tanto magis ſollicite debere, qui prima ſtamina plerumque ex labefactata digeſtionis officina trahit. Porro diuturna continuatione opus eſt per plures annos quin vltra annum protracta, quam, quoniam varii neglexerunt, non mirum hoſce ſpe curationis excidiſſe. — Vim mouentem reſinae non poteſt non ſpirituoſum iſtud liquidum, quo excipitur, augere. Non igitur conducit praeſente febre vel inflammatoria diatheſi; nec Pariſiis ſub ipſo inſultu podagrico adhibere illud auſi ſunt (*Hann. Magaz. l. c. p.* 913.), quod ſi fit, febris inflammatoria facile ſuccedit (THEDEN *neue Bemerk. P.* 2. *p.* 204.). Quidam, etſi initio commoda haecce miſcela iis viſa fuerit, poſtea tamen eandem noxiam repererunt, dum nimirum inde paroxyſmus increſceret et curatio contra alia remedia tanto obſtinatior redderetur (A BERGER in *nya Vet. Acad.*

Handl.

Handl. Vol. I. p. 74.). Hinc opus aliquando fuit diminuere doſin ad dimidiam et eandem commiſcere cum cyatho aquae ſaccharatae (*Iourn. de Medec. l. c. p.* 424. *not. a.*). Nihil dicam de ingrato et feruente ſapore, qui in ore et faucibus eo capto ſentitur, qui quidem ſenſus tantillo ſacchari vel alia dulcedine deglutita vincitur, vel addito ſyrupo quodam grato tolerabilior redditur.

Ob haſce cauſas ſpirituoſi menſtrui loco aliud aptius pro ſolutione gummi requiritur. Huius generis eſt mucilaginoſum. Pro norma erit ſequens formula, cuius praeſtantiam ill. A BERGER (in *nya Vet. Acad. Handl. l. c. p.* 73.) experientia confirmat: ℞. Gummi Guaiaci ℥ß Gi. Arabici ʒij. Bene trita ſolv. in Aquae Hyſſopi vel alius deſtill. ℥ix. Add. ſacchari ℥ß. M. D. S. ſolutio, cuius duo cochlearia maiora mane et veſperi capiantur, ſuperbibito libra vna decocti Hordei perlati vel Auenae. Haec ipſa medicina plerumque bis vel ter quotidie aluum ciet, quod et neceſſe eſt, et pro hocce effectu doſis quoque definienda; ſubinde modicum ptyaliſmum mouet, et de reliquo tranſpirationem auget, vel moderatum ſudorem pellit. Et hancce ad praecipua remedia refert ill. vir, malis rheumaticis vel arthriticis diuturnis tollendis opportuna, ſua et aliorum medicorum Hafnienſium experientia nixus.

Valet nominatim in angina ſic dicta pectoris, quae rectius aſthma conuulſiuum vocatur, cuius cauſa conſaepe in acrimonia huius generis ad pectus conuerſa latet (*l. c. p.* 70.). — Aliud egregium in hiſce affectibus connubium ſapo eſt, quod meritiſſimo THEDEN (*neue Bemerk. u. Erfahr. a. d. Wundarzneyk. und Arz. P.* 2. *p.* 204.) praecipue placet. Gummi Guaiaci ſcil. vncia vna cum ſaponis amygdalini (cui, quum deficeret, equidem ſaponem Alonienſem ſubſtituo) drachmis duabus in pilulas redigitur, quarum mane et veſperi drachma dimidia vel ſcrupuli duo ingerantur, initium a ſcrupulo vno faciendo et augendo doſin, donec aluus molleſcat. Sic ſenſim ſub iuſta continuatione et iuncto diaetae rigore abſtinentiaque a nimio vino, nominatim vino Rhenano iuniori, acrem fomitem omnino ſufflaminant, verno autem et autumnali tempore per ſex hebdomades praeſeruatiuo ſcopo ſummo cum commodo vſurpantur. Quibus pilularis forma diſplicet: hiſce gummi Guaiaci cum ſapone dicto per vitellum oui ſolutum et aqua dilutum, ſyrupo demum grato dulcefactum conducit, dum modo id bis per diem ea quantitate capiant, vt aluus mollis fiat. Horum alterno vſu, iuncta intermediis horis tinctura antimonii THEDENII et applicatis ſub initium curationis circa anum hirudinibus, periculoſam indurationem proſtatae ex metaſtaſi materiae rheu-

maticae natam, quam inflammatio dira huius glandulae et gonorrhoea rheumatica praeceſſerat, caſu ſingulari intra nouem vel decem hebdomades ſanaui. Alia et connubia gummi Guaiaci cum antimonialibus, Aſſa foetida, ſale volatili cornu cerui, pro vario malorum arthritidem comitantium ſatellitio, concedi poſſunt (Vid. THED. *l. c. p.* 205.). — Poſſet et Gi. Guaiaci ſaccharo tritum in puluere ſumi, ſed dubito, an in primis viis hac ratione aeque bene ſoluatur. Ita ſaltim in Gallia extractum ligni et corticis reſinoſum cum gummoſo mixtum ad 24 grana ſemel bis vel ter de die captum, ſubiuncto extra paroxyſmum ſubinde purgante, aliquoties egregie profuit (Vid. *Gazette ſalutaire n.* 31. *et Iourn. encyclopedique* 1778. *Mars p.* 497.).

In reliquis morbis, contra quos vtiliter tentatum Guaiacum, recenſendis, licet eſſe breuioribus; quum in his nec eandem celebritatem nactum ſit, nec deſint alia remedia, illi vel paria virtute vel potentiora. Non moror iam mala iſta varia, quae, licet diuerſi nominis, vnum eundemque fontem tamen agnoſcunt, virus venereum, de quibus auctores ab ALOYSIO LVISINO collecti conſulendi ſunt. Praetereo quoque ſtudio nubem teſtium, quibus ZORNIVS (*Botanol. med. p.* 336.) nunquam ſine critico acumine legendus, ex ſuperioribus ſeculis vir-

tutes

tutes Guaiaci confirmare annititur. Laudari tamen ſpeciatim meretur in diatheſi pituitoſa, quae varias pro ſede, qua colligitur, vel in quam defertur, pituita, ſcenas ludit, coryzam fere perpetuam, ſcreatus, aſthma, fluorem album, difficultatem mingendi, deiectiones mucoſas per aluum, leucophlegmatias etc. generans. Siue haec ſiue alia materia impacta haeſerit in glandulis colli infantum tumidis, haſce diſſipatas ex voto Guaiaci cum Glycyrrhizae connubio compertum (KVCHLERI *Diſſ. de gland. coll. pueror. tumefact. p.* 27.). In foemina pituitoſi habitus tumor cyſticus palpebrae contra reliqua pertinax diſparuit ſolutione ſupra dicta gummi ſpirituoſa; et in podagrico largus ſimilis naturae tumor et vetuſtus in gena natus plurimam partem inde euanuit (EMERIGON in *Iourn. de Med. l. c. p.* 440.). In connubio lactis decoctum febrem hecticam tuto ſubegit (LÖSECKE *Arzneym. Ed.* 4. *p.* 177. *not.*). Confuſio inter varias phthiſeos ſpecies, quae plerumque ab auctoribus committitur dubium quidem eorum de hac virtute praeconium reddit: facile vero patet, vix conferre in vera phthiſi pulmonum vlceroſa, ſed ea, quae vel in tuberculis ſubſtitit, vel pituita absque magna flacciditate pulmonum ſtagnante. In ipſa neruorum ſtamina penetrando paralyſin, nominatimque ſurditatem, aliquando ſuperauit. Leguntur caſus curati cancri ope decocti potati et fomentatio-

tationis cum cataplaſmate, quod vtrumque hocce lignum intrauit: alter ſpectat ad cancrum mammae poſt amputationem recrudeſcentis, alter ad cancrum vaginae vteri (LOVE in *med. Eſſays et Obſerv. of Ed. Vol. 5. p. 29.*). Conſenuit fides, quam in exoſtoſi et carie oſſium decocto ligni copioſiſſime poto, inſtar penetrabilis detergentis antiſeptici liquidi, et externae applicationi per pannos in exoſtoſi et carie oſſium tribuit olim BOERHAAVIVS (*Aphor. §. 529. et Comment. Tom. I. p. 922. ſqq.*). Denique in exanthematibus variis cutis chronicis et tineae ſpeciebus hinc inde depraedicatur. Sic igitur in multis morbis, in quibus craſis humorum iuſto tenacior eſt, vel obſtructiones ſubſunt, vel ſubdola acrimonia per varias corporis excretorias vias eliminanda, efficax medicina exiſtit.

Regulae ſupra, quum de Guaiaci efficacia in arthritide et rheumatiſmo dicerem, ſuppeditatae in vniuerſum ſub adminiſtratione Guaiaci pro norma eſſe debent.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM LIGNI GVAIACI (addi debet AQVOSVM). *Ph. Würt p. 92.* Coctione fortiori cum aqua elicitur. Huius exiguum modo ineſt ligno, ſcilicet librae eiusdem vni vix drachmae duae. Naribus attra-

tractum pituitam ibidem haerentem colliquat et elicit. Celebratum olim hoc fine a FR. HOFFMANNO (*Obſſ. phyſ. chym. p.* 73.), et ab aliis in affectionibus arthriticis et rheumaticis. Hodie fere neglectum.

EXTRACTVM LIGNI SANCTI SPIRITVOSVM. *Ph. W. l. c.* Spiritu vini rectificatiſſimo paratur, tam largo prouentu, vt ex libra vna ad minimum vnciae tres obtineantur.

RESINA GVAIACI. *Ph. Ed. p.* 117. Ex praecedente praeparato ſueto modo per aquam praecipitatur. Neutrum hodie vſurpatur, niſi fraude aliquando Gi. Guaiaci natiuo ſubſtituatur.

SPIRITVS GVAIACI. *Ph. W. p.* 192. Eſt empyreumaticus eiusdemque naturae, ac alii ſimiles.

OLEVM GVAIACI. *Ph. W. p.* 130. Sub eadem encheireſi ac ſpiritus obtinetur.

SPECIES DECOCTI ANTIPODAGRICI VIENNENSIS. *Ph. W. p.* 181. Lignum Guaiaci vltra quartam partem totius ponderis efficit. Non vana eſt laus, quam titulus prae ſe fert; aſt diuturno vſu, vt alia decocta ventriculum debilitat (Conf. THED. *neue Bemerk. u. Erf. P.* 2. *p.* 203.). Praeferendi igitur gummi Guaiaci natiuum.

ESSEN-

ESSENTIA LIGNORVM *Ph. W. p.* 82. Ex lignis quinque diuerſis, inter quae Guaiacum, ſpiritu vini digeſtis paratur. Calida igitur nimium, vt nonniſi diluta aquoſo vehiculo ad paucas guttas ferri poſſit. Vires adſcriptae ex dictis de Guaiaco cognoſcuntur. Obſoleti merito vſus.

TINCTVRA GVAIACINA VOLATILIS. *Ph. Lond. p.* 70. Ex Gi. Guaiaci et ſpiritu volatili aromatico *Lond.*

ELIXIR GVAIACINVM. *Ph. Ed. p.* 41. Ex Gi. Guaiaci, balſamo peruuiano, ſpiritu volatili oleoſo et oleo Saſſafras. — Vtrumque horum liquidorum viribus fere conuenit; et in rheumatiſmo chronico vel arthritide haud ſpernendum (Cfr. DAWSON's *Caſes in the acute rheumatiſm and the gout etc.* DVNCAN's *medical Caſes p.* 51. *ſqq.* item FOWLER in DVNCAN's *medical Commentaries P. I. p* 94.). Datum poſterius ad vnciam dimidiam veſperi in vehiculo aquoſo; ſed cautione opus eſt, ne calida ſua natura officiat. Hinc et minor doſis, quae ad guttas vel drachmam reſtringitur, praeferenda. Tanto efficacius eſt, ſi ſimul ſudorem pellit et aluum laxat ad duas vel tres deiectiones intra nychthemerum. Caſibus acutis venaeſectio praemitti debet.

BALSAMVM GVAIACINVM. *Ph. Lond. p.* 74. Ex Gi. Guaiaci Balſamo peruuiano cum ſpiritu vini rectificato digeſtis. Laus et vituperium idem, ac praecedentium.

QVASSIA.

QVASSIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 333. *Gen. pl. p.* 212.

405.

Pharm. QVASSIAE *Lignum; Radix; Cortex.*

Quaſſia amara; floribus hermaphroditis, foliis impari-pinnatis, foliolis oppoſitis ſeſſilibus, petiolo articulato alato, floribus racemoſis. LINN. *Supplem. pl. p.* 235. Conf. EIVSD. *Spec. pl. p.* 553. 1679. *Diſſ. plantae Surinam. p.* 8., item *Diſſ. de Ligno Quaſſiae* in *Amoen. acad. Vol.* 6. *p.* 416. *ſqq.* cum icone, cuius vero ramulum cum foliis ad aliam ſtirpem refert Filius in *Suppl. pl.* Quaſſia pentaphylla pediculis alatis, floribus racemoſis terminalibus coccineis fructu pentaſpermo. PATRIS in *Gazette ſalutaire* 1777. *n.* 41. 42. item in ROZIER *Obſervations ſur la Phyſique* 1777. *p.* 140. *ſqq. Fevrier Tab.* 2., quae tabula ex arbore hortenſi parata omnium optima et accuratiſſima eſt. Icon cl. BVCHOZ in *Plantes nouvellement decouvertes Tab.* 18. videtur ex LINNEANA effícta. Arbor mediae magnitudinis in Surinamia ſpontanea, vnde a. 1772. in Cayennam translata (PATRIS). Creſcit etiam ſponte in inſula Antiliana Danicae poteſtatis, St. Croix (FORSTENSON). Delectatur ſta-

tione

tione ad oras fluuiorum et in planitie ex reiectaneis fluuiorum formata, item locis temperatioribus et nonnihil vmbroſis.

Ad cl. FERMIN (*Deſcription generale hiſtorique et geographique de la Colonie de Surinam. Amſt. 1769. Tom. I. p. 212. Verſ. Germ. P. I. p. 210.*) effatum arbor haecce (Bois de Coiſſi) iam circa a. 1714. Surinamenſibus ob vires ſtomachicas florum magno in pretio fuit; quorum in locum lignum, vel, vt paullo poſt innuit, radix ceſſit, ipſo eo nominatim corticem radicis commendante. HALLERVS (*Bibl. bot. Tom. 2. p. 555.*) autem refert generum ſuum, Tribunum legionis LVDOVICVM BRAVN, epidemica febre laborantem, iam a. 1742. Quaſſiam, tanquam vulgo notam medicinam, ingeſſiſſe. Imo in aromatarii Amſtelodamenſis inclyti, SEBAE, collectione radix iam a. 1730. traditur adfuiſſe, adſcripta arbori ab incolis Quaſci dictae (SCHLEGER in *Caſſelſchen Beyträgen* recuſ. in *Berlin. Samml. z. Beförd. d. Arzneyw. etc. Vol. 2. p. 153.*). Haec ſi aſſumantur, vacillare nonnihil videtur narratio ill. LINNEO, Equiti (*Amoen. l. c. p. 420.*), a CAROLO GVST. DAHLBERG, militum Protribuno Suecico et Conſiliario regiminis Surinamenſis facta, radicem arboris omnium primo a quodam aethiope, cui nomen QVASSI (quod cl. FERMIN ſcribit COISSI, cl. ROLANDER autem

QVASS), qui ſocrus ſuae tum temporis ſeruus fuit, inſtar arcani in febribus endemiis malignis Surinami exhibitam fuiſſe, tandem ſibi et remedium et arborem, vnde illud ceperit, ab eo veneratione et amore victo, reuelatam. Quidni vero potuit remedii huius cognitio a patre ad filium eiusdem nominis profecta eſſe, vel quidni idem aethiops a. 1714. curationes hocce remedio exercere potuit, idemque DAHLBERGIO illud patefacere, qui ipſe, ni fallor, iam circa a. 1744. ſedem Surinami fixit, nec de anno, quo rei certior redditus fuerit, expoſuit. Inventorem eum declarat quoque cl. ROLANDER, Suecus, Surinami olim ad hiſtoriam naturalem inuentis nouis ditandam verſatus, et cum aethiope hocce collocutus, qui et eum ob curationes ſuas diuino fere cultu proſequutum deſcribit et ab aliis artis magicae ſuſpectum, ceterum hominem ſimplicem et anilium fabellarum magis quam rei magicae peritum, attamen in pecunia corradenda auidiſſimum et feliciſſimum (FRIIS ROTTBÖLL in *Act. litt. Vniuerſit. Hafn.* 1778. *p.* 291.). Hic idem cl ROLANDER, redux ex itinere a. 1756. Stockholmiam ligni huius aliquot ſpecimina ſecum attulit, ab aethiope dicto de virtute eius edoctus. Sed nullibi in Europa inclaruit, ſaltim exiſtimatio eius, ſi qua fuerit, breuis durationis fuit, donec ill. A LINNÉ in diſſertatione academica citata a. 1763. et botanico acumine et practi-

practicis experimentis in illam inquireret, poſtquam DAHLBERGIVS duos annos antea Surinamo reuerſus et radicem et ramulum florentem vna cum foliis ſpiritu vini ſeruatum ill. praeceptori offerret. En igitur nouum magni viri de remediorum penu meritum inter tot alia, quorum memoriam nec inuidia nec aetas vlla delere valet.

Quae hucusque circa initia vſus Quaſſiae medici commemoraui ad radicem, quae lignoſa eſt, ſpectant. Haec albicans deſcribitur, at aëri per aliquod tempus commiſſa nonnihil flaueſcens, brachium humanum craſſa, continens medullam cum alburno cohaerentem, veſtita cortice tenui coloris griſei, inaequali, rudi, interdum fiſſuris diremto (LINN. *Amoen. acad. l. c. p.* 423.). In colorem brunum adeo inclinare radicem alibi ill. A LINNE tradit, quum lignum trunci vel ramorum colorem album prae ſe ferat; et haec radix potentior longe cenſetur ligno partium dictarum, quod idem de aliis lignis medicis, Guaiaci, Saſſafras, Rhodii rel. locum habet (LINN. in *Vet. Acad. Handl.* 1770. *p.* 172.). Fragmentum, quod SPIELMANNVS (Vid. PAARMANNI *Diſſ. de ligno Quaſſiae, Argent.* 1772. §. 4.) ab aromatopola Batauo, tanquam ſolum verum et genuinum obtinuerat, coloris multo profundioris quam venale lignum fuit, et quidem cinerei, mul-

tis ſoraminulis pertuſum, cortice ex cinereo ruſeſcente verrucis euidenter flauis tectum, meditullio ab alburno perfecte ſeparato. Quum variis momentis a ſuperiori deſcriptione radicis hoc fragmentum diſcrepauerit, tum hoc praecipue, quod ſapor multo minus amarus fuerit. Nam ab aliis radici intenſior longe amarities quam ligno adſcribitur. Verum radix licet ligno in patria arboris viribus praeferatur, iſta praeterea pars a DAHLBERGIO in Sueciam translata, et prima illa pauca experimenta ibidem cum ea capta fuerint: rariſſime tamen hodie, quantum conſtat, ab Europaeis medicis praecipitur, quum nonniſi operoſo ſtudio obtineri poſſit (THORSTENSEN *Diſſ de ligni Quaſſiae vſu medico praeſ.* KRATZENSTEIN, *Hafn.* 1775. *p.* 7.). Et haec quidem pronuncio nixus criterio radicis a LINNEO ſuppeditato, quod colorem profundiorem reſpicit. Si hoc ſufficiat pro diſtinctione, contra quod quidem varia opponit SEVERIVS (*Commentarius, in quo medicatae Quaſſiae vires expenduntur p.* 74. *not.*), non audeo fruſtum quoddam pedale, quod praeſto eſt, radicem vocare, quamuis forma nodoſa et ramorum eiusdem reliquiae palmares id ſuadeant. Nam etſi quaedam loca, ſuperficiei propiora, cinerea, quin bruna apparent, interior tamen pars alba eſt, tota de reliquo maſſa nonnihil aliis ſpeciminibus mollior. Cortici radicis apud nos nullum peculiare pretium ſtatuitur.

Acqui-

Acquieſcere igitur LIGNO oportet, quod tantum abeſt, vt vile vel debile exiſteret, vt ad hoc potiſſimum, ſi modo radicis character praecipue a colore profundiori petendus, referendae numeroſiſſimae iſtae felices curationes, de quibus in ſequentibus ſermo erit. Inter multa ſpecimina ligni, quae coram habeo, quaedam craſſitiem brachii habent, ſubcylindrica, alia digiti, alia calamo ſcriptorio tenuiora, longitudinis diuerſae, pedalis maiorisque paſſim et minoris. Multis adhaeret cortex tenuis aſper vel rugoſus, albo griſeoque varius, facile ſeparandus, friabilis, interna ſuperficie griſeus. Quaedam ſecundum longitudinem fiſſa occurrunt, alia non, adſunt et ſpecimina, in quibus baſis ramorum ſuperſtes. Quaedam ex infima trunci parte petita, vt ex initiis radicis colligitur. Quo craſſiora fragmenta ſunt, eo compactius eſt lignum, ſed pro ratione magnitudinis tamen leue, eo albidius quoque interne, ſaporque amarior. Haud rarum eſt, maculas vel faſcias cinereas, brunas, quin ſaturate coeruleas vel atras, hinc inde in ſuperficie cernere. Iis locis, vbi color iſte alienus profundius deſcendit, lignum inſipidum fere et valde molle deprehendi, vnde corruptelam quandam illuc acceſſiſſe ſuſpicor. Durities ligni nunquam maior, quam vt cultro facile in ſegmenta diſcindi poſſit. Ex dictis cognoſcitur, lignum tam

ex trunco, quam ramis peti, et truncum ramis eſſe praeferendum.

Caret odore omnino, ſed amarities illi ineſt inſignis, quae mox ligno linguae applicato ſeſe manifeſtat, ſed, vt facile apparet, maſticatione longe euidentius, diutiſſime linguae inhaerens, pura, absque vllo adſtrictionis ſenſu coniuncto, gratiſſima, nec nauſeam excitans. Haecce amarities per omnes Quaſſiae partes diſperſa eſt, corticem, lignum, folia, corollam, calycem, pericarpium, ſemina, quin potior ineſt cortici radicis, corollae, ſeminibus (PATRIS in ROZIER *Obſervations l. c. p.* 143.). Vnde et ex variis hiſce partibus ſimplici forma remedia in patria arboris parantur. Corticis amarities mihi (item cl^mo^ EBELING *Diſſ. de Quaſſia et Lichene iſland. Glaſg.* 1779. *p.* 6.) longe inſignior apparuit quam ligni, quin celerioris in lingua impreſſionis. Adeo amarum lignum eſt, vt pulueris ſcrupulus vnus integram aquae feruentis libram ſapore ſuo impraegnet (LINN. *Amoen. l. c. p.* 424.), et, ſi aeſtate duodecies aqua, per debita interualla et ſub iuſta proportione infundatur, nonniſi vltima infuſio omnem amaritiem extrahat (SEVERIVS *l. c. p.* 95.). Comparatione facta cum aliis amaris, ita vt ſingula decocta diluta inter ſe conferantur, conſtat Quaſſiam potiorem eſſe Lichene iſlandico, radice Gentianae (cultae) et radi-

radice Columbae, ſuperari autem amaritie Colocynthide et Gentiana lutea ſylueſtri (EBELING *l. c. p.* 6.). In eo tamen praeferenda amaris tantum non omnibus, imo Gentianae, quod aeſtum in corpore non excitet (FARLEY in *Phil. Trans Vol.* 58. *p.* 81. BERG. *Mat. med. p.* 355. SEVERIVS *l. c. p.* 76.). Etenim nec infuſum nec decoctum, quamuis magna copia bibitum, pulſum celeriorem vel fortiorem reddit (EBELING *Diſſ. cit. p.* 23. 27.). Differt et ab aliis amaris eo, quod non, vt haecce plerumque efficiunt, aluum moueant (LINNEVS *l. c. p.* 427. EBELING *l. c. p.* 24.). Solutio vitrioli martis neque infuſum neque decoctum Quaſſiae obfuſcat, nec caro per aliquot dies in hiſce ſeruata rigidior euadit (EBELING *l. c. p.* 7.); vnde confirmatur, quod iam ſenſu cognoſcitur, vires adſtringentes illi non competere. Amaris nouimus ſaporem et vim acidorum infringi, exemplo Abſynthii corrigentis cereuiſiam aceſcentem, et Lupuli, eandem contra acorem tuentis, vt ne dicam de eorundem efficacia in primarum viarum acido eneruando. Docent idem experimenta cum infuſo Quaſſiae, cui ſuccus Citri, vel acetum, admiſcetur (SCHLEGER in *Berl. Samml. Vol.* 2. *p.* 155. IOHN in *Samml. d. naturf. Geſellſchaft in Danzig Vol. I. p.* 182. *Exper.* 14. 15.). Sed acidis mineralibus nihil de acore ſuo hacce miſcela deceſſit (IOHN *l. c. Exper.* 16.), diſſentiente tamen

 alio

alio (SCHLEGER *l. c.*). Debilitat valdopere odorem ſpirituum volatilium (SCHLEGER *l. c.*) nominatim ſpiritus ſalis ammoniaci et ſpiritus cornu cerui (JOHN *l. c. Exp.* 18.). Dicta rurſus acida vegetabilia plurimam partem amaritiem Quaſſiae deſtruunt; mineralia autem non multum eandem perdunt (*Exp. citt.*). Inebrians vis ſpirituoſorum liquidorum ſufflaminatur addita Quaſſia (SCHLEGER *l. c. p.* 156.). Magni momenti huius naturae experimenta ſunt ad iudicium de hocce vel illo additamento, quod conditiones peculiares morbi requirere videntur, ferendum. Quo vero nec in ſelectu eorum, quibus corrigere ſaporem annitimur, peccetur: ſciendum, Cinamomum cum Quaſſia coctum, vel aquam Cinamomo cum vino, ſ. eiusdem tincturam, vel et tincturam corticum Aurantiorum, item aetherem vitriolicum, liquidis Quaſſiae additum, huic fini ſalua virtute Quaſſiae inſeruire. Inter ſyrupos autem ſyrupus Caryophyllorum vel Zingiberis, praecipue autem ſyrupus corticum Aurantiorum pro hoc ſcopo conducit. Gratiſſimum omnium eſt infuſum ex hoc ligno cum vino albo Hiſpanico. Quae omnia tamen ſaporis delinimenta nonniſi per pauca momenta amaritiem obuelant, niſi copia additamenti ipſam vim Quaſſiae peſſundet; nam poſtea amarities magis vel minus iterum ſeſe effert (EBEL. *l. c. p.* 9. *ſqq.*). Decoctum ex Quaſſiae drachma

dimi-

dimidia et vnciis octo aquae ſupra duas vncias ſacchari fert pro mitiganda amaritie.

In putredine arcenda potentiam inſignem Quaſſiae ineſſe experimentis multis extra corpus humanum inſtitutis euincitur. Capta haec ſunt cum carnis variis generibus, bouilla, vitulina, veruecina, item liquido vario animali, ſanguine, bile, quibus omnibus ſeorſim Quaſſia, vel forma pulueris vel infuſi tam aquoſi quam vinoſi item decocti intra vitra ſub temperato calore admixta. Conſtat igitur horum liquidorum colore, odore, et, ſpeciatim quoad carnes, earundem firmitate vel ſeruata vel relaxata, absque Quaſſiae additamento haecce omnia longe citius putreſcere quam eadem addita. Longe vero infirmior et languidior vis antiſeptica Quaſſiae quam corticis peruuiani eſt (Conf. PAARMANN *l. c. p.* 29. 35. SEVERIVS (*l. c. p.* 77. 84. IOHN *l. c. p.* 183. EBELING *p.* 14. *ſq.*). Omitto comparationem in hac re cum aliis amaris (V. EBELING *l. c.*), ex qua id vero euincitur, vim antiſepticam non ab amaritie dependere; nam Gentiana lutea ſylueſtris, omnium amariſſima, hacce potentia Gentianae hortenſi ceſſit, item Chinchinae. — Putredinem vero iam praeſentem Quaſſia quidem imminuit, non tamen omnino ſupprimit, id quod experimenta cum carne, bile,

 ſangui-

ſanguine putrido, edocent (V. IOHN *l. c. p.* 191. *ſqq.* EBELING *Exp.* 19.).

Simpliciſſima omnium encheireſium, quibus Quaſſia ſubmittitur, eſt eiusdem in puluerem reſolutio, qui ipſe praeuia ligni ruditer contuſi ſiccatione facile paratur terendo in mortario. Ita ligni vncia vna pulueris ſubtiliſſimi drachmas ſex erogat (EBEL. *l. c. p.* 9.). Infuſum cum aqua frigida factum flauum colorem habet (SEVERIVS *l. c. p.* 76.), vel forſitan ex copia aquae iuſto maiori, aqueum (BERG. *Mat. med. p.* 353.), ſimul ſaporem valde amarum. Plus vero per aquam frigidam infuſam praecipue tritura in auxilium vocata euoluitur, quam per aquam calidam, quin coctione accedente; vt ponderatione cognoſcitur. Ope triturae tamen cum aqua bulliente inſtitutae paullo plus efficacium partium ſuſpenditur (EBEL. *l. c. Exp.* 3.). Praerogatiuam infuſionis prae coctione inſuper declarat amarities infuſi longe intenſior (THORSTENSEN *l. c. p.* 10.). Inſigni amaritie quoque Quaſſia ſpiritum ſacchari, vinum Maluaticum, Luſitanicum, ſpiritum vini tenuem, acetum, praeprimis autem ſpiritum vini rectificatum impraegnat (EBEL. *p.* 9.), et haec tinctura ſpirituoſa flaueſcens eſt. Extractum aquoſum coctione paratum non ſemper vna eademque proportione emerſit; etenim mox eius fere $\frac{1}{4}$ (*Anonym.*

in

in CRELLS *chem. Iourn. P. I. p.* 59. SCHLEGER *l. c. p.* 157.), mox circiter $\frac{1}{7}$ (TROMSDORRFF *Diſſ. de Quaſſia amara p.* 10.), mox $\frac{1}{8}$ (PAARMANN *l. c. p.* 16. EBEL. *p.* 15.), mox circiter $\frac{1}{9}$ modo (BERG. *M. m. p.* 353.) idque tam amari, vt eius granum vnum aquae libras quatuor notabili amaritie et colore flauefcente imbuat (EBELING *l. c. p.* 12.). Spirituoſi extracti autem $\frac{1}{24}$ modo obtinetur (PAARMANN *l. c. p.* 17.), vel vix $\frac{1}{30}$ (EBEL. *p.* 12.) vel $\frac{1}{32}$ (TROMSDORFF *l. c.*). In vſum igitur practicum concluditur ex hiſce, gummoſarum partium plus longe ligno ineſſe quam reſinoſarum, et infuſionem cum aqua frigida factam decocto longe eſſe praeferendam. Oleum eſſentiale illi ineſſe, ſunt qui negant (SCHLEGER *l. c. p.* 157. PAARMANN *l. c. p.* 17 EBEL. *l. c. p.* 12.), cl. SEVERIVS (*l. c. p.* 108.) autem exiguam eius portionem elicuit, quae aquae ſuperficiem inſtar oleoſae pelliculae obduxit, odore praeterea ſuo et colore lacteo cohobatae aquae cognoſcendam. — Quid fortioris ignis adminiſtratione, ſcilicet incineratione et deſtillatione ſicca de eius natura conſtiterit, malo ex fontibus ipſis (SCHLEGER *l. c. p.* 158. SEVERIVS *l. c. p.* 108. *ſqq.*), quam mea interpretatione derivari, de vſu eiusmodi ſcrutiniorum in rem medicam etiamnum dubitans.

In

In morborum recenſu, quibus Quaſſia medetur, febrium iſtarum obſtinatarum et periculoſarum primum merito mentio eſt facienda, quae remittentes et exacerbantes (LINN.) apud pathologos audiunt, quum efficacia in hiſce in primam Quaſſiae commendationem ceſſerit. Harum, quae ob paludoſum ſolum et feruidum ſolem in Surinamia endemiae ſunt, curatione aethiops Quaſſi in primis tantam celebritatem in patria ſua nactus eſt (LINN. *Amoen. l. c. p.* 420.). Ipſe LINNEVS meminit hominis octogenarii, qui eius ope de hemitritaeo emerſit (*l. c. p.* 428.).

Quoniam hae febres in decurſu multum ſimilitudinis cum intermittentibus habent, iis praeſertim, quae longos paroxyſmos experiuntur: a minus cautis vtriusque generis confuſio facile fieri poteſt. Hanc ſubfuiſſe arbitror in hiſce, qui tantis laudibus extollunt Quaſſiam in intermittentibus, vt Chichinae adeo efficacia et tuto vſu eam praeferant. Ita FERMIN (*Deſcription l. c.*) in omnibus ſpeciebus febrium intermittentium pro omni ſexu, aetate, vitae ſtatione, tanquam certiſſimum remedium, radicem vel praeprimis eius corticem, praemiſſo purgante aut emetico, experti inſtar, depraedicat. Eodem fere ſermone vtitur cl. PATRIS (apud ROZIER

l. c.

l. c. p. 144.), efficaciam infuſi foliorum vel florum aquoſi, item praeſtantiam tincturae cum ſpiritu vini ex Arundine ſaccharifera recenſens. Numeroſis caſibus ſe conuictum eſſe vi febrifuga ligni innuit cl. CLERC (*Hiſt. naturelle de l'homme Tom. I. p.* 427.). Chinchinae ad minimum parem virtute niſi ſuperiorem tam in intermittentibus quam continuis, praecipue malignis quas vocat, eam pronunciat cl. DE LA BORDE, medicus Cayennenſis (in ROZIER *Obſervations ſur la Phyſique Tom. I. p.* 461.), breuius quam rei dignitas requirit. Exemplum ſiſtit cl. SCHLEGER (*l. c. p.* 161.) hominis quartana contra omnia alia rebelli ſimulque reſpiratione difficili et corporis intumeſcentia affecti, hac vero vnice medela curati. Aliis binis caſibus tertiana tam pertinax quam mitioris generis eodem ſublata (*Chir.* SIMSON in EBELING *Diſſ. p.* 25.). Addo SCHWENCKII praeconium (*Beſchryving der in - en uitlandſche Gevaſſen.*) Simili vero laude licet LINNEVS (*Amoen. l. c. p.* 426.) pluribus verbis Quaſſiam, tempore, quo inclareſcere primum coepit, exornet: facile patet, eum narratione potius DAHLBERGII, quam propria experientia, nixum eſſe. — Nihil vero ſpecifici ineſſe Quaſſiae in febribus intermittentibus curandis certus perſuadeor, quicquid pretii aliis amaris, Carduo benedicto, Gentianae, Abſynthio,

Chamo-

Chamomillae aliisque olim adſcriptum fuerit. Nam, ſollerter licet et praemiſſis digeſtiuis et emeticis vel purgantibus exhibita, pluries votis non ſatisfecit. Accedere hac in re partibus cl. THORSTENSEN (*Diſſ. l. c. p.* 46.) tanto iuſtius eſt, quum obſeruationum ſummam paullo enucleatius exponat. Memorat et SPIELMANNVS (*M. m. p.* 225.) inertiae exempla, quae Argentorati in hiſce febribus occurrerunt. Saepe fefelliſſe in hiſce queritur cel. BERGIVS (*M. m. p.* 355.). Nemo vero vberius rem demonſtrauit, quam cl. SEVERIVS (*libro cit.*), qui hoc argumentum rimandum praecipue ſibi propoſuerat, et ſtudioſe diuerſitatem harum febrium pro anni tempore et conſtitutione aërea varia perpendit. Huic debemus ſedecim hiſtorias ample prolatas. Conſtat ex hiſce in intermittentibus vernalibus vel in ver protractis, ſiue ſint quotidianae, ſiue tertianae, ſiue quartanae etiam duplices, non ſpernendam Quaſſiam eſſe, non tamen ſubinde reditui earum praeuertere poſſe, quo in caſu ſaturatiori infuſo vel decocto opus eſt, vt penitus exſtinguantur. Quae vero reliquis anni temporibus incidunt, neque doſi ampliori auſcultant, etſi nonnullae tamen miteſcant, quum alia contra ſenſim et clanculum ad continuitatem deflectant et exitiales euadant. Plurimum in hiſce lotio et ſudoribus pellendis valuit. Ad

febres

febres intermittentes vernales quoque eam reſtringere videtur cl. WAHLBOM (*Med. Verkets tilſtånd p.* 105.).

Tam in hiſce febribus, quam in continuis, in quibus cortex peruuianus alias opem eximiam fert, ſaepe primae viae tam debiles ſunt, vel tanto ſenſilitatis ſeu irritabilitatis vitio laborant, vt vel tantilla eius doſis nauſeam excitet vel vomitu ſiue alui profluuio mox excutiatur; vel et ſponte vomitiones frequentes contingant, eo quoque moleſtae, quod corpus neceſſario nutrimento priuant. In hiſce ſolatium maxime egregium praeſtat Quaſſia, tanto tutior, quum calorem non augeat. Spectant huc variae curationum, quas radix Quaſſiae praeſtitit, hiſtoriae a cl. FARLEY ex inſula Antigua transmiſſae *Phil. Tranſ. Vol.* 58. *p.* 81.), in quarum tribus niſus in putredinem ſubfuit. Prodeſt in hiſce caſibus ſaepe Quaſſiae cum radice Serpentariae virginianae connubium (FARLEY). In febribus bilioſis pariter eximium vſum praeſtat (SCHLEGER *l. c. p.* 162.).

Quum in hiſce primarum viarum labi ſubueniendo Quaſſia praecipue auxilium ferat: ad conſiderandas egregias eius vires ſtomachicas in vniverſum deuehor. In Surinamia radix optimi huius

gene-

generis remediis accenſetur (FERMIN. *l. c.*). Et medici ibidem, qui modo extractum radicis recentis in vſum trahunt, illud minus inſtar febrifugi, quam ad reſtaurandum ventriculum in febribus lentis, quae acutas excipiunt, adhibent (PATRIS *l. c. p.* 144.). Si Quaſſiae prae cortice peruuiano vlla praerogatiua adſcribenda, tum certe praeferri debet, quum robur ventriculo et inteſtinis reſtituendum, appetitus cibi ciendus, digeſtio eiusdem adiuuanda, flatus diſſipandi, alui adſtrictio, ex debilitate habitualis, laxanda; vnde et litteratis, qui varia hacce labe ob neglectum exercitium corporis et animi nimiam intentionem creberrime afficiuntur, eximium ſolamen offert (Conf. TISSOT *ſur la Santé des gens de lettres p.* 223. SANDIFORT in *Vet. Acad. Handl.* 1770. *p.* 170.). Sic infuſum Quaſſiae robur ventriculi, ex frequenti nimis veneris exercitio cum incipiente tabe debilitati, reſtituit (*Gazette ſalutaire* 1775.). Et Lüttichii flores Zinci ventriculo ſubinde tam moleſti, vt vomitum cieant, cum puluere Quaſſiae miſcentur (*l. c.*). Ex debilitate ventriculi ſaepe naſcuntur moleſtae tenſiones in abdomine, dolores, cardialgiae, poſt paſtum auctae vel recrudeſcentes, contra quae omnia Quaſſia pariter valet (GESNER *Samml. v. Beobacht. a. d. Arzneygel. Vol.* 3. *p.* 225. *ſqq.*). Ita cephalalgia chronica vitio ventri-

ventriculi enata, ea diſparet (WAHLBOM in *Medicinal-Verkets tilſtånd p.* 105.). Poſſem propria experientia per partes enucleata egregiam eius vim ſtomachicam confirmare, niſi mihi perinde eſſet, vtrum veritas, mea, an aliena fide, conſtiterit. Quae poſt dyſenteriam diuturnam vel male curatam remanet inteſtinorum laxitas et virium concoctricium debilitas, Quaſſia feliciter vincitur (*Götting. Anz.* 1778. *Zug. p.* 736.); id quod et HALLERVS expertus eſt (*Praef. ad Pharm. helvet. p.* 10.). In quanam ſpecie diarrhoeae et quo eiusdem ſtadio conferat, ex hiſce elucet (Conf. SCHLEGER *l. c. p.* 162.). A labefactato ventriculi tono ſine dubio plurimam partem ſubnatus erat ſpaſmus ille oeſophagi, qui deglutitionem ciborum intercepit, Quaſſia tandem ſopitus (Meritiſſ. TODE in *Collect. ſoc. med. Havn. Vol. I. p.* 205.). Nec errare me arbitror, ſi ex hoc potiſſimum fonte vertiginem cum conſtrictionibus ſpaſticis ceruicis, dolore preſſorio capitis et tinnitu aurium, deriuo, quae mala quidem alia auxilia minuerunt, Quaſſia vero perfecte ſuſtulit (SCHLEGER *l. c. p.* 162.). In colica flatulenta ex primarum viarum imbecillitate praecipue profecta opem promittit illa, etſi et in alia ex refrigerio (LINN. *Amoen. l. c. p.* 428.), nec non alia ex haemorrhoidibus veſicae in febre lenta (SCHLE-

GER *l. c. p.* 161.) voto ſatisfecerit. Huc et ſpectat hiſtoria viri hernia ſcrotali laborantis, ob quam brachierio eum munire oportuit, quod vero quum applicaretur, diro dolore afficiebatur, qui ſenſim fixam ſedem in regione ventriculi cum tumore et deiectionibus alui turbatis et vomitu cepit: multis fruſtra tentatis, Quaſſia tandem ſalutem reſtituit (THORSTENSEN *l. c. p.* 38.).

Si quo vnquam in morbo digeſtionis officina vitio laboret, id certo in morbo hyſterico et hypochondriaco accidit: quantum vero et in hiſce valeat Quaſſia diu protracto vſu, documentis pluribus in medium prolatis conuincimur (THORSTENSEN *l. c. p.* 22. *ſqq.* Conf. TODE *Bibl. Vol. I. P.* 1. *p.* 159.). Multum leuaminis affert hypochondriacis, qui vomitionibus flatibus et pervigiliis detinentur, et in hiſce et viſum imminutum acuit (WAHLBOM in *Medicinal-Verkets tilſtånd* 1769. *p.* 105.). Efficaciam eius in neruoſis morbis pariter explorauit cl. RHADES (SANDIFORT *l. c. p.* 169.) vti et in febribus irregularibus. Addo caſum hyſtericae foeminae a cl. KÖLPIN (SANDIFORT *l. c.*) Quaſſia ſanatae.

Qui arthritidis, niſi hereditate fuerit vel contagio contracta, originem ex languente vigore viſcerum

ſcerum, quae digerendis cibis et chylo ex hiſce ſalutari parando inſeruiunt, perpendat, et amarorum remediorum prudenter et ad conditionem aegri morbique exhibitorum ſaepiſſime exploratam praeſtantiam: ad Quaſſiam in hoc malo confugere, non multum cunctabitur. Sed ratiociniis amicam manum heic praebet experientia. Fuit vir ſexagenarius, aſthmate ſuffocationem minante et cruciatibus abdominis diris ex podagra retrogreſſa correptus, ſed radice Quaſſiae praeſentaneo periculo ereptus (*Amoen. l. c. p.* 428.). Ex pluribus caſibus, in quibus arthriticis ſuccurrit, duos recenſet prolixius cel. SANDIFORT (*l. c. p.* 170.) diuturnitate et vehementia dolorum infeſtos, quibus ſola tinctura Quaſſiae iuncta frictione membri ſanitatem reſtituit. Haecce narrans ſimul amico ſuo cel^{mo} KÖLPIN in duobus aliis aegris ſucceſſiſſe ſignificat. Bonum inde effectum ſaepe expertus eſt in eodem morbo cel. BERGIVS (*M. m. p.* 355.). Aſt nonniſi leuiores eius inſultus memorat cl. WAHLBOM (*l. c.*), tenſionibus et ſpaſmis pectoris ſtipatos, quos breui illa leniuit. Diſſuaderi lego in podagra inflammatoria aut erratica (*miſplaced* EBELING *l. c. p.* 29.). In iſta dabo haud iniuſte id fieri, ſed quod ad vage oberrans malum attinet in noſocomio Fridericiano Hafnienſi non tuta modo ſed efficax exſtitit (THOR-

 STEN-

STENSEN *l. c. p.* 41. *ſqq.*). Hiſce omnibus inter ſeſe comparatis non deterrere aliquem debet ſiniſtrum LANGII (*Miſc. verit. med. faſc.* I. *p.* 75.) de vi antarthritica Quaſſiae iudicium, quaſi eadem deſtituta omnino eſſet.

Nec in affini malo, calculo, defraudanda laude ſua eſt Quaſſia. Mitigat ad minimum cruciatus et interualla paroxyſmorum libera prolongat (WAHLBOM *l. c.*).

Amaris in vniuerſum vermes inteſtinales necari iuſto liberalius olim creditum, ſed redarguerunt errorem experimenta tam extra corpus humanum inſtituta, quam in ipſis aegris verminantibus. Nam ex hiſce conſtat, praeter amaritiem alias quasdam vires Santonico, Tanaceto reliquisque efficacioribus ineſſe, vermibus infeſtas. Incautius igitur Quaſſia anthelminticis adiudicatur. In quibusdam aegris occidere illum vermes cl. FERMIN (*l. c.*) affirmat; nec minus eam Chinchinae in affectionibus verminoſis TISSOTVS (*l. c.*) praefert. Sed inertiam dolent experti alii (THORSTENSEN *p.* 47. item SANDIFORT *l. c.*) licet in vno caſu ſymptomata varia ex hiſce malis hoſpitibus ſuborta per tempus ſedauerit (THORSTENSEN).

Sunt

Sunt et alia, praeter dicta, vitia a ſolidarum partium debilitate, quae Quaſſia ſuperauit, ſed tam paucis hactenus notatis exemplis, vt breuitati indulgere liceat. In fluore albo benigno, et digeſtionis viſcerum vires deperditas roburque totius corporis reſtituiſſe et ipſam mucoſam excretionem intra octo hebdomades obſtipaſſe, a quodam quidem narratur (SCHLEGER *l. c. p.* 161.), ſed alius medicus (THORSTENSEN *l. c. p.* 47.) in hoc vitio eandem adhibens exſpectatione ſua excidit. — Haemorrhagias aliquando ſedauit. Accidit hoc in matrona haematuria rebelli affecta, quam breui curauit (BERGIVS *l. c. p,* 355.), et in alia quinquaginta annorum, ex vtero ſanguinem fundente (SCHLEGER *l. c. p.* 160.). Contrario exemplo menſtrua poſt partum ſuppreſſa reſtaurauit tumoresque mammae ex hac cauſa ſubnatos diſſipauit, vt tamen et ſemicupiis tepidis in ſubſidium ſumtis pars curationis tribuenda ſit (ALIX *Obſerv. chir. Faſc.* 1. *p.* 73.) Ita ars nouit mala etſi contraria, ſi modo eundem fontem agnoſcunt, eodem remedio annumerare. Sic et haemorrhoides ſuppreſſas prouocare valet (EBELING *Diſſ. l. c. p.* 32.). Singulari caſu ſudores foetidos nocturnos in tabido ſtipauit absque ſputorum decremento; aliis duobus, quod in tam obſtinato alias morbo mirum, diabeten ſuppreſſiſſe fertur (SCHLEGER *l. c.*).

Radicem efficaciorem eſſe ligno, rariſſime autem ad nos adferri, ſupra declaraui. Quoniam vero omnis huius arboris vis in amaritie conſiſtit, non errabit, qui a ligno easdem virtutes paullo maiori doſi et diuturniori continuatione exſpectat. Simpliciſſimus illud exhibendi modus in puluere eſt (V. ſupra p. 442.) qui tamen ob leue pondus nimia quantitate diſplicet, et ab hiſce, quorum ventriculus tenerior haud ſine oppreſſionis vel grauitatis ſenſu, aliquando non ſine alui adſtrictione ſubſequa capitur (THORSTENSEN *p.* 51. Conf. FERMIN *l. c.* de alui obſtructione). Aſt non omnium naturae aduerſari efficacia ſua eximia comprobauit (TODE *Bibl. Vol.* 3. *P.* 3. *p.* 189. SEVERIVS *l. c. p.* 76.). Commodius tamen forma liquida ingeritur, et ex analyſi chemica elucet, aquam eſſe aptiſſimum menſtruum. Infuſio coctioni praeſtat, quod prout cl. PERCIVAL (*Eſſays medical and experimental cap.* 3.) de pluribus amaris euicit, ita et de Quaſſia ſupra extra dubium eſt poſitum. Vtrum autem eligenda frigida an calida, pariter iam conſtitui, ſtabiliuitque idem celebris vir experimentis de aliis amaris. Solutionem adiuuat tritura et infuſionis tempus abbreuiat, ad quam alias nychthemerum pro eliciendis viribus requiritur. Aqua bulliens tamen pleriſque pro infuſione placuit. Ita ſummus LINNEVS (*l. c. p.* 427.) radicis Quaſſiae raſae drachmam vnam cum aquae bullien-

tis

tis libra vna per horulam igne digerendam curavit, huiusque infuſi pluries de die vnciam vnam aegris propinauit. Ipſe vero concedit quantitatem maiorem, duplam, triplam, quadruplam, cui maiori quoque in praxi ſolemus indulgere. Et haec proportio ad menſtrua alia quoque applicari poteſt. Malo tamen in infuſione, niſi tritura accedat, cuius poteſtatem Garayana ars edocet, digeſtionem diutius protrahi, ad 24 horas vsque. Pro decocto conducit, e. g. ligni conciſi drachmas duas cum aquae vnciis viginti vel triginta ebullire ad conſumtionem vnciarum ſex, huiusque decocti ſeſquiunciam ad tres vsque vncias bis pro die bibere (GESNER *l. c. p.* 229). Cl. FERMIN autem corticis ex radice deglubiti vnciam dimidiam in aquae ſex libris intra opertum vas decoquendam curat, donec dimidium ſuperſit, quod colatum dein ad cyathum omni bihorio exhibet. De varia arte gratiora haecce liquida reddendi ſupra iam diſſerui. Si ſapori litandum, infuſiones cum vino quodam fortiori grato, vt Hiſpanico vel Maluatico, quoque commendabiles e. c. drachmae ligni duae pro vini libra vna; ſicque efficaciae nouum pondus addemus, et vino aſſuetis gratificabimur. Sponte patet, locum non eſſe infuſo vinoſo in febrientibus vel plethoricis. Hiſce multo minus tinctura ſpiritu vini facta conducit, quali aethiops QVASSI vſus eſt (LINN. *l. c.*

p. 427.) et commode alias Quaſſia aegris offertur. Hanc potiſſimum quoque adhibuit cel. SANDIFORT (*Vet. Acad. Handl. l. c. p.* 172.) ea proportione, vt ligni vncia vna cum ſpiritus vini Gallici vnciis ſex intra phialam vitream altam moderato igne digeratur, donec omnis virtus extracta fuerit. Percolatae huius tincturae guttae triginta ad ſexaginta ſemel vel bis per diem, imo intra idem tempus vncia ſeſquialtera vel duae cum tantillo vini Gallici ingeruntur. Attulit quoque haec ſaepe leuamen in noſocomio Hafnienſi (THORSTENSEN *l. c. p.* 52.). Extracti aquoſi pariter haud exiguum pretium eſt, quod in pilulis, vel ſolutum commodo liquido, faſtidientibus amara facile offertur. In Surinamia extractum radicis recentis medicis praecipue arridere, ſupra iam monui.

Id porro in commendationem Quaſſiae cedit, quod, etiamſi larga copia qualicunque forma capiatur, nec ventriculum grauet, nec nauſeam vomitumque cieat, nec aluum laxet aut ſtringat, nec caloris vel vllius alius moleſtiae ſenſum imprimat (SEVERIVS *l. c. p.* 76.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM QVASSIAE. *Pharm. Brunſv. p.* 254. Aquoſum eſt.

TINCTV-

TINCTVRA. *Ph. Dan. p.* 270. Proportio inter ſpiritum vini et Quaſſiam eadem, quae SANDIFORTIO placuit. *Ph. Suec. p.* 127. paullo plus ſpiritus requirit. *Ph. Genev. p.* 76. aromata recipit, quod connubium ſtomachico ſcopo non repudiandum.

406.

Pharm. SIMARVBAE *Cortex; Lignum.*

Quaſſia Simaruba; floribus monoicis, foliis abrupte pinnatis: foliolis alternis ſubpetiolatis, petiolo nudo, floribus paniculatis. LINN. *Suppl. plant. p.* 234. Conf. LINN. *Mat. med. Ed. I. p.* 188. Simarouba amara. AVBLET *Hiſt. des plantes de la Guiane Francoiſe Tom.* 2. *p.* 859. *Tab.* 331. 332. Euonymus fructu nigro tetragono, vulgo Simarouba. BARRERE *France equinoxiale p.* 50. Le Simarouba vel Bois amer. DES MARCHAIS *Voyages en Guinée et à Cayenne Vol.* 2. *p.* 124. BANCROFT'S *nat. Hiſtory of Guiana p.* 84. Arbor alta locis arenoſis Cayennae et Guianae et in inſula Sandominicana creſcens.

Olim etſi dubitanter corticem hunc LINNEVS (*Diſſ. obſſ. in Mat. med.* 1772. *p.* 8.) Burſerae gummiferae adſcripſerat. Sed iam inde dubitandi argumen-

gumenta peti poterat, quod IACQVINVS (*ſelect. ſtirp. amer. Hiſt. p.* 96.) nullibi nec in inſulis Antillis, nec in terra continente adiacente, vbi Burſera abundanter creſcit, corticem inde deglubi viderat, et experimenta ibidem inſtituta vim longe debiliorem declararunt. Qualis vera eiusdem arbor ſit, iamiam AVBLETII indagine cognoſcimus; vt tamen et mihi monere incumbat, b. LINNEVM, Equitem, litteris iam a. 1776. ineunte mihi datis, antequam AVBLETII elegantiſſimum opus illi innoteſceret, ſignificaſſe, Simarubam Quaſſiae ſpeciem a ſe haberi. Ille autem Simarubae cortex, quo cl. WRIGHT (Conf. *Bibl. mea med. Vol.* 3. *p.* 483.) arborem in Iamaica vulgarem veſtitam eſſe innuit, pariter in alui profluuiis efficaci, diſcrepat a vulgo vſitato cortice, vt ſpecimine mihi miſſo reperio, quod ſcilicet tenue eſt, tenacius, longe pallidius, obtectum extrinſecus verrucis exiguis fere ſtipitatis, valde amarum.

Nomen Simaruba Caribaeum eſt (AVBLET *l. c. p.* 860.).

CORTEX, praecipue iſte, qui RADICEM cingit, arborem hancce celebrem reddit. Inſignis craſſitiei radix eſt, ample prope ſuperficiem ſoli ſeſe extendens, et ſubinde quoad dimidium eius tegmine denudata. Quando cortex vel ex trunco vel ex radice

dice deglubitur, ſuccum lacteum fundit. *Lignum* coloris initio laete flaui, ſiccatione album fere euadit, in fila diſcerpi poteſt et leue eſt (DES MARCHAIS *l. c. p.* 125.). Viribus cum cortice conuenit, ſed minori gradu amarum et efficax (IVSSIEV *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris* 1727. *p.* 38. AVBLET *l. c. p.* 863. BARBEIRAC *med. conſt. p.* 102.) Inſipidum vocat FERMIN (*Deſcr. de Surinam. Verſ. Germ. P. I. p.* 212.): attamen in patria, Cayenna, olim ſaltim non ſpretum, prout et quondam radix vna cum cortice in vſum tracta (DES MARCHAIS *l. c. p.* 124. 126. Conf. IVSSIEV in *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris l. c.* item *Diſſ. de Simaruba.*). Praeſtat cortex radicem obuoluens illo ex ramis (BANCROFT *l. c. p.* 84.). Ex barbara itaque gente omnium primo efficacia corticis in morbis in Europaeorum cognitionem peruenit.

Transfertur CORTEX ad nos ſiccatus fruſtis, aliquot ſubinde pedes longis, conuolutis et, vt tanto commodius ſeruetur, varie ſecundum longitudinem plicatis. Fibroſae texturae eſt, leuis, tamque tenax, vt flecti poſſit et aegre in puluerem ſeſe redigi patiatur, craſſitie lineae dimidiae vel integrae, coloris albo flaueſcentis extus eminentiis rotundis exaſperatus, et epidermide pallidiori veſtitus, interne mox laeuis mox quaſi membranulis longitudinaliter adhaerentibus ex libri reliquiis ſcaber. Sapor

por eiusdem notabiliter amarus absque vllo adſtrictionis ſenſu, odore quoque omni caret. Quae alibi querelae motae fuerunt (DEGNER *de dyſent. bilioſo-contagioſa p.* 156. *ſqq.*), corticem non ſemper eiusdem eſſe bonitatis vel aliquando ſuppoſititium occurrere, de harum aequitate confirmor, ſpecimina varia praeſentia inter ſeſe conferens. Adeſt iam aliquod eiusdem, vt deſcripſi, texturae et formae, vtraque ſuperficie ſatis profunde brunum, interna compage pallidius, vix poſt diuturnam maſticationem vllum amaritiei veſtigium prodens; nullus itaque dubito hocce ſpecimen quauis virtute caſſum pronunciare. Aliud contra ſpecimen minoris longe tenacitatis ſupra deſcripto coram eſt, tam amarum, vt fere ligni Quaſſiae amaritiem aſſequatur. Cauſa horum diſcriminum varia eſſe poteſt: cortex ſcilicet forſan ex trunco vel ramis, loco radicis, detractus fuit, nec perinde eſt, quam craſſitiem radix, quam aetatem ipſa arbor habeat; vt de vetuſtate corticis ſeruati nihil dicam.

Omnium primo a. 1713. ille Cayenna Pariſios vt egregium in alui profluuiis et haemorrhagiis remedium peruenit. Sed pauca tum experimenta ſubiit, donec a. 1718. dyſenteria epidemice incideret, contra alia remedia pertinax, in qua, poſtquam egregium ſuum effectum comprobaret, et annos aliquot

quot poſt a. 1723. per BARRERIVM copia eius inſignis Cayenna transferretur: in exploranda eius efficacia multum ſtudii impendit ANTONIVS DE IVSSIEV, cuius fructus ex actis academiae R. ſcientiarum Pariſienſis (*Mem. a.* 1729. *p.* 32. *ſqq.*) et peculiari Diſſertatione academica, paullo poſt edita (*An inueteratis alui fluxibus Simaruba Pariſ.* 1730. cuius praecipua capita propriis auctoris verbis ſiſtit b. WERLHOFIVS in *Obſſ. de febribus p.* 100. item BÖCLER in HERM. *Mat. med. Tom.* 3. *p.* 95. *ſqq.*) carpere licet. In eo autem deceptus videtur cel. vir, quod crediderit Simarubam idem eſſe, ac Μάκερ et Μάκειρ DIOSCORIDIS, memoratam quoque nomine Macer a PLINIO, GALENO, Arabibus, item a CHRISTOPHORO ACOSTA nomine Arbore de las Camaras et Arbore ſancto. Nam licet quoad virtutem haec omnia in plerisque conueniant, quoad notas externas vel ſaporem tamen mirifice differunt; quem vero errorem diutius redarguere opus non eſt, quum id iam praeſtitum ab aliis fuerit (CRELL *Diſſ. de cortice Simarouba reſp.* LEINCKER 1746. §. 11. 12. CARTHEVS. *Mat. med. Vol. I. p.* 523.). Eodem fere tempore, quo cel. ille botanicus, de egregiis Simarubae virtutibus medicos certiores reddidere LAVAL (*Voyage de la Louiſiane* 1728. *p.* 76.) et DES MARCHAIS (*Voyage cit.* 1731.). Ex hiſce initiis et litterarum commercio, quod amplum coluit IVSSIEVVS, expe-

experimentis mox eam ſubiecerunt exteri, quae adeo illi fauerunt, vt inter praeſtantiora remedia locum obtineat. Cortice vero radicis vnice acquieſcimus, cui, quod tamen hodie rarum, tantillum ligni, dum transmittitur, adhaeret.

Prout olfactu ſua ſponte nihil odoris ſpargit: ita nec deſtillatione aliquid eiusmodi eruïtur. Carere adſtringente natura, confirmat et coloris nigri, ſub vitrioli martis miſcela, abſentia. Amarities autem facile tam cum aqua quam cum ſpiritu vini infuſione ſeſe communicat, vt tamen frigidae aquae plus virtutis conciliare videatur, quam calidae, quod quidem ſapor ſuadet (LEWIS). Vtrumque menſtruum maceratione coloratur. Decoctum aqua factum, dum calet, pellucet et flauum eſt, poſtquam vero refrixerit, turbidum et rubicundo brunum fit. Colorem lacteum, quem IVSSIEVVS ſub ebullitione ſe animadvertiſſe aſſeuerat, alii, CRELLIVS, LEWIS, BERGIVS, negant ſibi obueniſſe. Extracti aquoſi larga copia inde eruitur $\frac{1}{6}$ (CRELL *l. c. p.* 20.) ad $\frac{1}{4}$ (CARTHEVS, *M. m. Vol. I. p.* 524.), ſaporis valde amari; ſpirituoſi autem vix $\frac{1}{40}$ modo ineſt (CARTHEVS.) amariſſimi, a quo reſina ſeparari non potuit (CRELL *l. c. p.* 21.).

Et

Et haec quidem medicina in alui profluuiis multiplicis generis ſiſtendis inſignis pretii eſt. Quae ipſe cel. IVSSIEV de ea cognouit, nonniſi poſt tentamina per 15 annos inſtituta in medium protulit, quibus conſtat, tam in dyſenteriis quam diarrhoeis contra alia rebellibus et longae ſaepe durationis, variam ſcenam, deiectionum natura mucoſa, bilioſa, ſanguinea, ludentibus ſibi ſucceſſiſſe, nec minus eſſe tutam haemorrhoidali fluxu vel menſtruo ſimul incidente. Confugit ad hunc corticem DEGNERVS (*Dyſent. bil. p.* 155.), ſi poſt euacuantia adhibita dyſenteria adhuc continuaret, praeſtantiorem tamen et citiorem effectum percepit in profluuio ſanguinis et materiae cruentae, quam excretionibus bilioſis. Subſcribit encomio in fluxibus iſtis diuerſis ventris immodicis BVISSON (DEGNER *p.* 289. *ſqq.*); nec minus iſti tam in dyſenteria quam diarrhoea cum ſuis ſpeciebus vel alterutro horum malorum ex propria experientia fauent viri eximii SCHWENCKE, TYSSOT, PRINGLE, GRASHVIS, WERLHOF, FARON, BOENECKEN, ZIMMERMANN, LIND, BROKLESBY, alii. Quibus opem in dyſenteria fert, hoſce iam poſt pauca plerumque praebia ſolatur, mentis ſerenitatem iis reſtituit, dolores pacat, ſomnum gratum cibique cupiditatem reddit, vt inde ſucceſſus exoptati auguria capi poſſint; nec vllum faſtidium vel vomitum in iuſta doſi, vel ſublato malo primario alia incommoda,

parit

parit (IVSSIEV. DEGNER). Sed ſenſim continuatione remedii facta, decreſcit morbus, foecum foetor perit, color earum mutatur, et craſſiores fiunt ad ſanationem vsque. Qui intra primos tres dies, poſtquam haec ipſa medela in vſum tracta, ſeſe non melius habent, hiſce raro beneficium aliquod praeſtat (HVCK in PRINGLE'S *Diſ. of the army p.* 282.). Senſum illum obtuſum motus cuiusdam inteſtini per totum corpus perceptum, quem cl. IVSSIEV (*Mem. l. c. p.* 38.) refert aegros Simaruba ſanatos tanquam luctam cum morbo ſignificaſſe, alii (DEGNER *l. c. p.* 156. FARCIN in BARBEIRAC *med. conſtit. p.* 104.) in ſuis aegris non obſeruarunt. In quibusdam lotium abundantius et meliori colore tinctum poſt vſum ſeceſſiſſe, item ſudorem prorupiſſe copioſius, IVSSIEV teſtatur, et de lotii copia ſub dilutiori colore aucta, confirmat SCHWENCKE (in DEGNERI *hiſt. dyſ. p.* 291.): ſed DEGNERVS (*l. c. p.* 155.) inſenſibili modo vim exſerere auctor eſt. Sunt, qui, Simarubae ope etſi ſanati, vel vitio diaetae vel ex morbi reliquiis, in eundem aliquot dies poſt relabuntur: in hiſce tamen iterato eius per duos vel tres dies vſu malum ceſſat (IVSS. *Mem. cit. p.* 39.).

Non excludit vero Simaruba euacuantium in dyſenteria vſum, ſed praemittenda ea iuſto ordine et copia iubet, ne aluum ſtipando acre, quod in

primis

primis viis ſtabulatur, et prima morbi cauſa exiſtit, remaneat, et nouas vires in aegri interitum colligat. Similiter ſi inflammatoria diatheſis praeſto ea ante omnia auferenda eſt. Hinc nunquam locum habet initio vel incremento vel vigore morbi, et quando tormina et teneſmus valdopere adhuc grauant, et rarius, quando fluxus ſanguineus continuat. Tum vero confert, quando remittente mali vehementia morbus protrahitur, et reliquiae eius pertinaces diutius adhuc durant (WERLHOF *Litt.* in CRELL. *Diſſ. cit. p.* 28. SCHWENCKE in DEGNER. *l. c. p.* 290. PRINGLE *l. c. p.* 281. ZIMMERM. *v. d. Ruhr p.* 495). Quod ad cruentas alui deiectiones attinet, quae dyſenteriam comitantur, in hiſce, etſi PRINGLEVS et cl. HVCK (in prius dicti ill. viri *Diſ. of the army p* 282.) Simarubam damnauerint: ad ſedandum tamen immodicum cruoris fluxum ſub ſtatum morbi commendat (*l. c. in ead. pag.*) cl. MITCHEL; nec veriti ſunt praeſentibus eius veſtigiis illam adhibere ill. WERLHOF (*Litt.* in CRELL. *Diſſ. cit.*) et DEGNER (V. *ſupra*). Etenim hocce profluuium, poſt euacuantia praemiſſa ſuperſtes, ſaepe nonniſi nimiae inteſtinorum relaxationis ſequela eſt. Ab eodem vitio ſolidorum diuturnus ſeceſſus ſeroſus per aluum repetendus, quem igitur omnium optime tollunt, quae deperditum vaſorum in inteſtinis robur reſtituendi vim habent. Horum e numero Simaruba, tanto

 tutior,

tutior, quum, quoniam amara eſt, absque adſtrictione roboret. Hancce vim quum exploratam habeamus, lubens aliis relinquo efficaciam Simarubae per vires balſamicas, vnctuoſas, vulnerarias, anodynas, antiſpaſmodicas ample diſerteque exornare, vel nuda ſpecificae virtutis opinione acquieſcere. Cauendum praeterea eſt, ne in ea dyſenteria, quae vlcera interna in comitatu habet, materiam purulentam et acrem cancroſam fundentia, exhibeatur, quum effluuium inde coërceatur et intro feratur (SCHWENCKE in DEGN. *l. c. p.* 294.).

In diarrhoeis inueteratis, quae ex eadem inteſtinorum flacciditate oriuntur, non minus Simaruba proficua eſt (IVSSIEV *ll. ctt.* DES MARCHAIS *l. c. p.* 124. FERMIN *Deſcription de Surinam, Verſ. Germ. p.* 213. BVISSON in DEGNER *l. c. p.* 289.). Fuit matrona diutiſſime alui fluxu afflicta, nullis medicamentis cedente, Simarubae tandem per ſex hebdomades vſu continuato ſanata, poſtquam multum vrinae, quae antea pauca et rubra fuerat, profluxiſſet (SCHWENCKE *l. c. p.* 292.). In hiſce ſubinde nauſeam excitat, qua deficiente tanto magis prodeſt (LIND *Diſ. in hot countries p.* 270.). — In abſceſſibus et vlceribus artuum aliquando inteſtinorum laeuitas incidit, quod ſi fit, reſorbetur pus, ſiccatur puris fons, peſſimae febres oriuntur, putridae, hecticae, et

et tandem diarrhoea colliquatiua et mors ſcenam claudit: exſtat vero in Simaruba, quod, aluum coërcendo et priſtino loco pus laudabile reſtituendo, multiplici huic malo praeuertit (SCHWENCKE *l. c.*). — Sed et difficiliores aliquot profluuiorum aluinorum ſpecies, quae fluxus hepatici, lienteriae (BOENECKEN in *nov. Act. nat. curioſ. Tom.* 2. *p.* 80. 82.), affectionis coeliacae, nomine veniunt, etiamſi diu durauerint contra alia efficacia pertinaces, ſiſtit cum conſtantia. — Locum et habet in febrium putridarum profluuiis aluinis exſtincto calore (ROVPPE *de morb. navigant. p.* 311.), in qubus et deiectiones vt plurimum et ſudores colliquatiuos, etſi aliquando lente, ſuperat animumque cum viribus corporis egregie erigit. Ita et confert in diarrhoeis febrium bilioſarum, nec nocet etiamſi febrilia quaedam ſymptomata ſuperſint (BROCKLESIY *Obſervations p.* 194.).

Malum affine etiam ſignificandum eſt, ſcil. colica habitualis, deiectionibus cruentis ſtipata, contra quam nihil praeter Simarubam valuit. Memorabile huius rei exemplum, quo aeger in ſummo vitae periculo verſabatur, febriens, delirans, ſed intra paucas hebdomades a vetuſto malo perfecte liberatus (GRASHVIS *de colica pict. p.* 63. *ſqq.*).

 Sequa-

Sequatur iam haemorrhagia vterina, de qua quidem pauca modo virtutis Simarubae documenta memoriae prodita ſunt. IVSSIEVO crebra occaſio eandem explorandi in Gallia obuenit, et fatetur ſimilitudine cauſarum alui profluuiorum et huius haemorrhagiae ſe ad eam tentandam fuiſſe commotum. Immodicas ſiſtere haemorrhagias vteri iuſto breuius exponit FARCIN (*l. c. p.* 103.). Rectius BVISSON (DEGNER *l. c. p.* 289.) per momenta ſingularia hiſtoriam matronae perſequitur, quae per ſex vel octo annos nimium menſium fluxum paſſa erat, ſed tam hocce vitio quam irregulari menſium eruptione Simarubae ope ſanata. In Hibernia quoque optimo ſucceſſu in obſtinato ſanguinis ex vtero fluxu tentata (SPEER in DVNCAN's *med. Commentaries P.* 4. *p.* 443.). — Excepit huncce in foemina iuuene fluor albus, cum virium magna proſtratione iunctus: hocce tranſitu et tonica virtute Simarubae inductus eandem praeſcripſit cl. SPEER (*l. c.*) in decocto cum vino, votique compos euaſit. Id modo dolendum, quod additum decocto Elixir vitrioli et iniectio decocti dicti cum ſaccharo ſaturni in vteri vaginam meritum Simarubae omnihil dubium reddat, quae tamen ſola, in fluore albo a debilitate partium profecta, promittere eximia videtur, vlteriori experimento in hoc malo digniſſima.

Inopi-

Inopinato autem contra vermes quoque Simarubam valere conſtitit. Quum nimirum ill. DE HAEN (*Praelect.* in BOERH. *inſtit. pathol. Tom.* 2. *p.* 57.) pertinacem diarrhoeam in foemina nouiter abortum paſſa cortice hocce cum Opio ſiſtere ſtuderet, hocce ſcopo non ſolum potitus eſt, ſed lumbrici ſimul, quorum indicium antea non adfuit, ſeceſſere, idque dein repetito huius medicinae vſu aliquoties. Idem remedium in alia foemina, cui multa fruſtra contra vermes exhibita fuerunt, valuit, et dein in aliis verminoſis, quibus alii medici ex communicatione HAENII illud praeceperunt.

In malo hyſterico (IVSSIEV *Diſſ. cit.*), ventriculi vitiis et febribus internittentibus (DEGNER *l. c. p.* 289.), nullam praerogatiuam prae aliis amaris habere arbitror, de quorum efficacia in hiſce affectionibus capite praecedente iudicaui.

Proximum eſt, de vario Simarubam exhibendi modo diſpicere, in quo quidem conditionum diuerſitas, efficacia ipſius corticis, doſin eiusdem et frequentiam eius capiendae determinat. In puluere tenuiſſimo corticis ſcrupulus dimidius omni bihorio (GRASHVIS), vel integer mane et veſperi (SCHWENCKE), vel grana duodecim ad viginti (IVSSIEV *Mem. cit. p.* 38.), vel drachma dimidia (IVSS. *Diſſ.*) omni

 triho-

trihorio capitur. Et haec vltima doſis vſitatiſſima eſt bis vel ter de die adminiſtrata (FARION, BROCKLESBY). Raro ad grana triginta quinque (FERMIN), vel drachmam adeo integram (FARION), aſcenditur. Ligni quoque puluerem ſupra ab eo ſignificata doſi IVSSIEVVS concedit. Nec alio vehiculo pro puluere quam ſincera aqua opus eſt. — Facile eſt addito quodam ſyrupo grato, e. c. ſyrupo Adianthi (IVSSIEV *Diſſ.*) vel robe, bolum ex puluere parare.

Alia commode Sinarubam ingerendi ratio in infuſo cum aqua eſt. Cayennae olim haec placuit, vel ita, vt eiusdem probe tritae grana octodecim vel viginti per duodecim horas vncia ſeſquialtera (VERRE) aquae macerarentur, et liquidum poſtea, absque colatione praeuia ter de die biberetur; vel infuſum fieret ex Simarubae vncia dimidia et aquae circiter vnciis quatuor et dimidia, ſubſequente colatione et expreſſione, cuius vncia ſeſquialtera pariter ter de die capta (LAVAL *l. c. p.* 77. Conf. DES MARCHAIS *l. c. p.* 126.). SCHWENCKIVS (DEGNER *l. c. p.* 290.) quoque infuſionem praefert, drachmas nempe duas corticis per duas horas loco calido cum libra vna aquae infundendo, accedente dein per dimidiae horae ſpatium ebullitione. Huius ter de die aequalis portio bibebatur, continuando, donec flu-

xus

xus aluinus ceſſaret ad tres quatuorque hebdomades vsque. Nec hoc ingrati ſaporis eſt.

Aſt vulgatiſſimum eſt, Simarubam in decocto propinare; id quod puluere efficacius eſt (IVSSIEV *Mem. p.* 38.); nec palato diſplicet, nec ventriculo, prout puluis, graue et moleſtum (DEGNER *l. c. p.* 163.). Praeſtat a decocto dilutiori initium facere, et dein, quum illud ventriculus ferat, tranſire ad ſaturatius. IVSSIEVVS (*Diſſ. p.* 10.) corticis minutim ſecti drachmas duas cum aquae libris duabus ad tertiae partis conſumtionem decoquendas curauit, huiusque liquidi colati quartam partem omni trihorio exhibuit. Ad tres autem drachmas corticis pro eadem quantitate aquae ſumſit cl. FARION (*l. c. p.* 104.), idemque praebium alternis horis obtulit. DEGNERO (*l. c. p.* 155.) in vſu fuit drachmas duas cum aquae ſufficiente quantitate decoquere, donec vnciae octo ſupereſſent, quarum vna vel duae omni trihorio vel quadrihorio ſuppeditatae. HVCKIVS (apud PRINGLEVM *l. c. p.* 282.) drachmas duas vel tres cum libra vna et dimidia aquae coxit ad libram vnam ſuperſtitem, quae per 24 horas conſumta. Omnium maxime liberalis cl. LIND (*l. c.*) eſt, qui vnciam vnam corticis adhibuit, in reliquis formulam mox dictam ſequutus eo tantum diſcrimine, quod liquidum poſt colationem ſuperſtes ante meridiem ebi-

 bere-

beretur. Sciendum vero, ſaturatum valde decoctum vomitum ſaepe et moleſtos fere ſemper ſudores ciere et augere ſubinde ſeri ſanguinisque profluuia (IVSS. *Diſſ cit*). Minoris igitur ponderis eſt viri medicinae non gnari, etſi alias bene meriti (DES MARCHAIS *l. c. p.* 126.), effatum, quod vomitum ex Simaruba ſalutarem innuit et eo effectum accelerari certioremque reddi.

Deſueuit extracti ad drachmam circiter ter vel quater de die dati vſus, qui olim Cayennae inualuerat (LAVAL *l. c.*), forſitan quod minus commodum eſſe maiorique cautione egere (DES MARCHAIS *l. c. p.* 125.) repertum fuerit.

Nec moris eſt, decoctum inſtar enematis in dyſenteria adhibere, quamuis praeuiis euacuantibus ſua efficacia non deſtituatur (LENTIN *Obſ. med. Faſc.* 1. *p.* 7.).

Recentius Syrupus quidam, cuius baſin cortex Simarubae conſtituit, cuiusque vſus in inſulis Americanis contra dyſenteriam fit, Societati illuſtri oblatus fuit, cochleatim per ſe vel in commodo potulento capiendus (BADIER in *Hiſt. de la Societé R. de Medecine Vol.* 2. *p.* 299.), de cuius praeparatione plura non conſtant.

Pluris

Pluris intereſt, connubium vtile noſſe, quod cortex hic aliquando requirit. Cayennae olim extractum cum pauxillo theriacae miſtum fuit (LAVAL *l. c*). Saporis cauſa, vel etiam ſedatiuo ſcopo ſyrupus Rhoeados vel Papaueris albi commode additur. Ferri et poteſt, ſi quid ſordium ſupereſt, tincturae Rhabarbari additamentum. Pertinaciori autem caſu conuenit corticem Caſcarillae vel eius tincturam decocto Simarubae excipi (DEGNER *p.* 163. *ſqq.*), vt quo connubio deiectionibus liquidis feculentis obex ponitur. Nec ſpernendum eſt, vna cum corticis vſu radicem Salep lacte et aqua coctam combinare (TYSSOT apud DEGNER. *p.* 294.).

L I N V M.

LINN. *Syſt. veg. p.* 249. *Gen. pl. p.* 153.

407.

Pharm. LINI *Semen*; *Tela.*

Linum vſitatiſſimum; calycibus capſulisque mucronatis, petalis crenatis, foliis lanceolatis alternis, caule ſubſolitario. LINN. *Spec. pl. p.* 397. β Linum ſatiuum. C. B. Λινον Graecis. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Lin commun. Sponte creſcit haec planta annua in Pannonia, Hiſpania, Helvetia aliisque regionibus auſtralibus inter ſegetes. Sed pro vſu oeconomico pariter ac medico vnice cultura adiutum Linum memorabile eſt. In Aegypto altitudinem quatuor pedum et arundinis vulgaris craſſitiem aſſequitur (HASELQVIST'S *Reſa til hel. Landet p.* 462.).

Succedit quoque cultura in ſeptentrionalibus regionibus, in quem finem ſemen ex Lithuania et vicina Poloniae ditione, item ex Liuonia translatum in primis expetitur. Summi oeconomis momenti eſt tam pro filis textisque inde parandis, quam pro oleo ex ſeminibus eruendo. Nempe caules cubitales vel ſesquicubitales cortice veſtiuntur,

qui

qui conſtat ex copia fibrarum ſubtiliſſimarum et tenaciſſimarum glutine connexarum, quod maceratione in aqua ſoluitur, vt nihil niſi fibroſum remaneat. Mox ante, vel, quod praeſtat, ſub ſeminum maturatione euelluntur, et in faſciculos colligati ſub dio ſiccantur, tum capſulis ſeminalibus ablatis virgae in aquam merſae pondere ſaxi deprimuntur, maceratione facta iterum ſiccantur, et malleo ſtupario contunduntur (quo fine hinc inde peculiare molendinum inſeruit: SCHREBER. *n. Cameralſchriften Vol. 7. p.* 228.), vt membranoſum fragile ſeparetur, accedit denique carminatio per ferreas ſpinas (Cfr. WIEGAND. *oekonomiſch - pract. Anleitung z. Flachsbau, Wien* 1767. LÜDERS *Beſchreib. v. Leinbau, Flensburg* 1770.). Sic aptum eſt Linum, quod in fila ducatur. Textorum vero teneritas et grata albedo tam a genio ipſo Lini, quam ſolo, maceratione, et reliqua encheireſi, dein apricationis artificio dependet. Filorum aeque ac textorum multiplicem eſſe vtilitatem ad conſuenda varia, item pro funibus, faſciis, tibialibus, induſiis, veſtibus, ſtolis, velis, aulaeis, ſtragulis, veſtium ornamentis denticulatis etc. neminem latet. Telas lineas commendant maxime candor, puritas, flexilitas, aequabilitas et mollities filorum, cui ipſi tribuas, quod non ita cutis nuda ac a Lana vel Goſſypio ſtimuletur. Elui quoque facile poſſunt maculae et ſpurcities, qua contaminantur.

nantur. Hinc vel ex hiſce probabile, byſſina veſtimenta, quae in ſacris litteris memorantur, linea praeſtantiora fuiſſe (CELSIVS *Hierobotan. P. I. p.* 89. 169. 283. *P.* 2. *p.* 507.). Patet ratio, cur pro induſiis linea tela praecipue eligatur, quorum crebior mutatio non munditiei modo, ſed et ſanitati conſeruandae fauet, vt quae cum ſudore halitus excipiunt nociuos, quorum reſorptio valetudinem labefactat. In exanthematicis morbis haecce renouandi maior adhuc neceſſitas incidit, quicquid vulgus contradicat, ne miaſmate exhalante et ſtagnante, ſudoribus acribus, glutinoſis, foetidis, vel ſpurcitie ichoroſa purulenta, quibus ipſis induſium ſaepe riget, morbus alatur vel augeatur; nec vllum periculum inde imminet, modo aeger induſium a ſano homine geſtatum, vel bene lotum, lecti fotu calefactum, in conclaui tepido et contra perflantem aërem munito, iniiciat. Minor huius commutationis neceſſitas adeſt et maiori cautione opus eſt in iis exanthematicis morbis, quibus exanthemata facile diſparent, vt in morbillis.

Magna in chirurgia lintei eſt vtilitas ad faſciarum mantiliumque varia genera, multiplici nominum varietate a Gallis inſignita, quorum vero numerus et applicatio fauſto euentu noſtro tempore ad maiorem ſimplicitatem redacta eſt. Hiſce vtimur

ad

ad vulnerum labia adducenda et combinanda, ſanguinem ſiſtendum, tumores ſuſtinendos, ad exprimendum pus et ſaniem, ad continenda varia medicamina parti aegrae impoſita, aërem arcendum, prolapſa coërcenda, luxata demum et fracta firmanda. Sed amplioris potentiae eſſe faſciarum vſum noſtra aetate conſtitit, idque in variis malis curatu difficillimis, ſcil. affectionibus hydropicis, vlceribus crurum obſtinatis, aneuriſmatibus ſpuriis, gangliis aliisque pluribus; qua in re ſi vel vnice ſubſtitiſſet THEDENII viri cl. ſagacitas, inſigniter de re medica meritus cenſendus eſſet (V. EI. *Bemerk. u. Erfahr. in d. Wundarzn. u. Med. Vol. I. p.* 1. *ſqq. Vol.* 2. *p.* 52.). Taceo ſplenia, epithemata, ſacculos, emplaſtra rel. quibus materiem linteum ſuppeditat. — Sed de linteo carpto ſpecialius dicendum eſt, quod ex tela detrita duplici ratione parari ſolet, vel ſtamina ſingula digitis euellendo, vel ope cultri linteum in flocculos radendo, quae poſterior ſpecies iuſtius linteum raſum dicitur. Applicatur vel ſiccum, absque peregrino vllo connubio, vel oblitum medicamentis variis pinguedinoſae plerumque naturae. Haecce lintei carpti adiumento commodiſſime ad fundum vulneris vel vlceris perueniunt, et, quoniam illud molle eſt, obſequitur facile figurae vitii illudque aequabile reddit. Sed et ſiccum valdopere confert in tuendis vulneribus et vlceribus

contra

contra iniurias externas, in purgandis iis madentibus, in pure inſtar ſpongiae abſorbendo, in carne luxuriante reprimenda, in haemorrhagiis externis accedente praecipue preſſione ſiſtendis Nocet tamen ſaepe vt corpus aſperum, inaequale, mechanico more irritans, inflammans, vel inflammationem iam ortam augens, affluxum humorum accelerans, conſolidationem retardans, ipſum vlcus aliquando intempeſtiue amplians (Conf. BRAMBILLA *vom Oxikrat u. d. trockenen Karpey p.* 55. *ſqq*) Turundae inſuper ex filis iſtis lineis euulſis parantur, glomi, puluilli multiplicis magnitudinis et figurae, quorum omnium vſus ſpecialior ex chirurgicis petendus eſt.

Chartam ex laciniis linteis confici notum eſt. Tenuiſſima iſta litterarum commercio dicata; dyſenteriae aliquando remedium exſtitiſſe narratur (LENTILIVS *Eteodr. medico-pract. p.* 728.). Et efficax fuiſſe fertur in epidemia a. 1702. dum plagulae huius chartae ſex teſſellatim conciſae in quatuor pintis lactis dulcis ad reſiduum pintarum duarum coquerentur. Quod praeſtitit charta glutine, quod continet, praeſtitiſſe videtur: nihil vero effecit in dyſenteria a DEGNERO (V. *Hiſt. dyſent. bil. p.* 223.) deſcripta. Non certiorem habeo medicinam plagulam chartae combuſtam vinoque Rhenano hauſtam

(*l.*

(*l. c.*). Pluris eſt facienda charta maſticata ad haemorrhagias arteriarum compreſſione ſedandas. Nec ſpernendae chartae ſpiritui vini immerſae et applicatae vis in contuſionibus leuioribus praecipue tibiae, quae in ſenibus, et in quibus mali humores ſubſunt, emplaſtrorum applicatione in ſuppurationem et moleſta vlcera tranſeunt.

SEMINA ex capſulis ſuis vel flagello excutiuntur, vel calcatione equorum, vel cylindris ſuperductis. Quodlibet horum ouato oblongum eſt, lineam circiter longum, compreſſum margine acuto, nitens cortice pallide bruno, nucleo albo. Saporis ingrate dulcis, mucilaginoſi, vnctuoſi eſt, absque vllo odore. Copiam mucilaginis circiter ad $\frac{1}{6}$ continet (SPIELM. *Chem. p.* 102.); nec non olei vnguinoſi ad $\frac{1}{5}$ (*l. c.*) *p.* 84.). Mucilago infuſione cum aqua feruida vel coctione facile elicitur. Sufficit, ad aquae vncias ſedecim, ſeminum non contuſorum vnciam dimidiam ſumere. Spiritus vini rectificatus nihil fere eius elicuit.

Pro cibo ſemen non commodum eſt, ſed ſtomachum labefactat et diſtendit ex obſeruatione veterum (GALEN *ſimpl l.* 7. *de alim facult. l.* 1. *c.* 32.), confirmata Middleburgi in Zeelandia, vbi ob annonae caritatem loco panis aliorumque ciborum (RAII *Hiſt.*

Hiſt. Tom. 2. *p.* 1073.) eodem veſcebantur, ſed intumeſcentia hypochondriorum faciei aliarumque partium, imo morte, pediſſequa. Carnem quoque volucrium domeſticarum ſeminibus comeſtis ingrato rancidoque ſapore inſici, columbarum exemplo apparet, quae tempore ſationis Lini eſui ineptae ſunt, niſi arceantur.

Infuſum vel decoctum ex recentibus ſeminibus iisque contuſis paratum vi naturae ſupra deſcriptae ſi potatur, egregie emollit, lubricat, inuoluit. In raucitate et tuſſi igitur conuenit, ſputa pleuriticorum leuat et nephriticos dolores ſtranguriamque ſolatur. Si gargariſmate vel iniectione emolliente in angina opus eſt: nulla in re decoctum horum ſeminum aliis cedit. Nominatim et ad ptyaliſmum in variolis adiuuandum, et ſeparationem variolarum in ore et collo, conducit iſtud eadem ratione vſurpatum, addito poſt colationem decocti melle ſincero. Aphthis vero interna corripientibus commendari meretur linctus ex ſeminum contuſorum vncia dimidia cum aquae libra vna in ſpiſſitudinem ſyrupi cocta et mellis Roſarum vnciis duabus, cuius cochleare vnum paruum ſaepius ingeratur (V. ROSENSTEIN *Barnſjukd* p. 44). Epithematis forma ad emolliendas et relaxandas partes ſolidas ſaepe confert decoctum in colica et variolis. Pro clyſmate emol-

emolliente hocce adhiberi in morbis acutis, res notiſſima eſt.

Contrita ſemina et aqua vel lacte in cataplaſma cocta efficaciſſima ſunt ad tumores emolliendos et maturandos. Sic in connubio foliorum Maluae intra linteum detritum collo in angina vtiliter circumdatur. In mammis autem induratis et quoad partem inflammatis vel ſuppurantibus cataplaſma ex iisdem lacte paratum et cum puluere Cicutae commixtum cito iuuat, vel reſoluendo, vel pus movendo (PLENCK *Mat. chir. p. 96.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

FARINA SEMINVM LINI *officin.* Sunt illa in teneriorem puluerem contrita, cuius vſum mox expoſui.

OLEVM EXPRESSVM *offic.* Solent libri pharm. e. g. *Ph. Würt. p.* 125. contuſioni ſeminum toſtionem ſubiungere, demum prelo ea committere. Sed praeſtat pro vſu medico praecipue interno, frigide expreſſum adhibere, vt quod et gratius et rancori non adeo obnoxium eſt. Probum oleum pellucidum eſt, coloris citrei, ſapore acri deſtitutum: vetuſtum turbidum eſt, coloris profundius lutei, acre. *Recens expreſſum* igitur praecipias. Nonniſi intenſiori frigore cogitur. Pictoribus vulgare eſt ad ex-

cipiendos colores, quos molliter miſcet figitque, ipſum in ſpeciem vernicis ſiccatum. Verum nec hicce vſus, nec alii pro atramento typographico, pro lucernis, pro arte ſtatuaria etc. ad noſtrum forum ſpectant. Multa habet et bona et mala cum aliis vnguinoſis oleis quoad effectum in noſtrum corpus communia, quae quum de oleo Oliuarum (*Appar. med. Vol.* 2. *p.* 42. *ſq.*) et Amygdalarum (*l. c. Vol.* 3. *p.* 254. *ſq.*) commentatus abunde expoſuerim, heic nolo repetere. Alias virtutes niſi vere priuas poſſideat, frequentior tamen praxis haſce illi adiudicat, vt in harum recenſione potiſſimum mihi ſubſiſtendum ſit. Non nego tamen, colore, ſapore, odore, congelatione aliisque notis, prout inter ſe differunt olea vnguinoſa, ita et differre virtutibus haud parum. Accedit ad commendationem olei Lini vilius pretium, quo venditur, etſi oleo Amygdalarum et Oliuarum gratia cedat.

In grauioribus pectoris inflammationibus ore hauſtum inſignem praeſtantiam aliquando comprobauit, ita vt ad curationem plurimum contuliſſe videatur. Obtulit quidem oleum Lini vel Amygdalarum in hiſce ſed non neglectis venaeſectione aliisque praeſidiis SYDENHAMVS (*Oper. cap. de Pleur. p.* 265.). Liberalior in hoc oleo laudando BAGLIVVS (*Oper. p.* 38.), cui praecipuum fuit in inflammatio-

nibus

nibus debitam laxitatem parti inflammatae procurare, vnde tanquam maximum remedium contra pleuritidem raroque fallens hocce oleum ſiſtit. Nec Italis vnice, quos nouimus oleoſa in febribus frequentius ingerere (Conf. *Appar. med. Vol.* 2. *p.* 43.), in pleuritide arridet: ſed iam CONR. GESNERVS (*Epiſt. Lib.* 1. *p.* 39.) notauit, Lini oleum ad vnciam vnam vel maiorem quantitatem potatum eximium pleuritidis, quam malignam et contagioſam vagantem vocat, remedium eſſe, eoque et reſpirationem faciliorem euaſiſſe et aluum reſeratam; et TOVRNEFORTIVS (*Voyage du Levant Tom.* 2. *p.* 140.) immunitatem Armenorum ab hoc morbo ex vſu culinari huius olei deriuat. Saepe ſolum hocce oleum ſufficere pleuritidi ſanandae, innuit HAGENDORNIVS (*Eph. nat. cur. Dec. I. Ann.* 3. *Obſ.* 216.). Maioris ponderis eſt HAENII teſtimonium, qui tum, quando omnibus reliquis adhibitis inflammationis pectoris ſaeuitia perſeuerabat, mira quandoque praeſtitiſſe oleoſa, quin vomitum nauſeamque ſubegiſſe, expertus eſt. Sed magna eius copia opus fuit, ita vt bis vel ter de die olei Lini vnciae quinque vel ſex cum grano Opii, vel cum vncia vna ſyrupi Diacodii, conſumtae fuerint (*Rat. med. P.* 1. *p.* 24. *P.* 11. *p.* 103.).

Non minoris efficaciae ſubinde eſt in alio ancipiti pectoris morbo, haemoptyſi. Pluribus oleo

Lini potato ſuccurrit RAYGERVS (*Eph. nat. cur. Dec. I. Ann* 6. 7. *Obſ.* 209. *p.* 307.), qui ex catarrho graſſante hancce haemorrhagiam contraxerant, nec male videtur acrimoniam quandam mordacem tanquam eius cauſam apud hoſce accuſare. Eadem cauſa ſubfuit in caſu recentius narrato (MICHEL in *Journ. de Med. Vol.* 17. *p.* 43.). In aliis, quibus opem tulit hoc oleum, minus manifeſti mali natales fuere. Fuit iuuenis haemorrhoidibus alias obnoxius, iam haemoptyſi fere exhauſtus, nec multum hirudinibus ad eam ſedandam applicatis leuatus; fuit foemina, quae fluentibus etſi bene menſtruis ſub ipſa eorum eruptione et poſtea eadem corripiebatur (MICHEL *l. c. p.* 41. 42.): vtrique vero ſalus ex hoc oleo contigit. Idem accidit foeminae, quae ſub doloribus ventriculi et pectoris itêmque tuſſi largiter ſanguinem ſcreauit (*Gazette ſalutaire* 1773. *n.* 40.). Porro in puella phthiſica, ex ſuppreſſis ſputis purulentis fere ſuffocata, eadem reſtituit vitamque prolongauit (MICHEL *l. c. p.* 44.); imo alia foemina, ex haemoptyſi phthiſica, ſolo vſu olei huius omnino ſanata ſiſtitur (*Gazette l. c.*). Et hiſce quidem caſibus eius cochleare vnum vel duo bis per diem, vel vnum quouis bihorio aegris propinare conuenit, continuando per plures dies.

Ilei

Ilei cauſa licet multiplex ſit, et ſaepe nulla arte vincibilis: in plerisque tamen caſibus ſanabilibus oleoſorum ſumma eſt dignitas, dum in clyſmatibus, abdomini illita, item ore ſumta adhibentur. Eorum nempe efficacia lubricantur inteſtina, ſpaſmi ibidem nati laxantur, emolliuntur feces et aluus pertinaciter antea ſtricta reſeratur. HAENIVS (*Rat. med. P. II. p.* 204.) oleoſorum tam in hoc morbo quam in affini, colica pictonum, iuſtus aeſtimator, oleum Lini nonniſi in clyſmate adhiberi curauit, metuens ab vſu eius interno in ileo ob nauſeoſum ſaporem et continuum fere vomitum, indeque eum in finem oleo Amygdalarum fere ſemper acquieuit; quod quidem connubium non poenitendae efficaciae fuit. Non autem metuerunt alii. Laudauit iam ſpeciatim oleum Lini DODONAEVS (*Prax. med. p.* 4 9.), item SWIETENIVS (*Comment.* in BOERH. *Aph. Vol.* 2. *p.* 147.) in ſaeuiſſimo ileo ad libram integram potatum, multosque orci faucibus eo ereptos edocet. Fidem eius vlterius facit repetitum pluries a cl. GALLESKY (*Abhandl. v. Miſerere u. d. Kräften d. Leinöls in dieſ. Krankh. p.* 75. *ſqq.*) experimentum, qui oleo Lini vncias quatuor ad ſex praecipiens huius pro vi et periculo morbi omni hora vel bihorio cochleare vnum in potu calefacto, qui plerumque cereuiſia fuit, capi iuſſit. Raro illi aliquid admiſtum fuit, praeterquam in vno caſu olei Aniſi gut-

tulae aliquot, ſaporis corrigendi cauſa. Hocce ſolo, poſt aliquot capta olei cochlearia, vomitus ſiluit, vt nullo anodyno ſimul opus fuerit. Iuncta vero plerumque clyſmata, primum emollientia, dein ſale pro ſtimulo aucta, etiamſi ſubinde clyſmata adeo potuerint omitti. Quamdiu aluus pertinaciter clauſa manſit et dolores continuarunt: olei cochleare vnum omni hora exhibitam; vtprimum vero aluus ſoluta: parciori manu datum, ita vt poſtea quotidie modo cochlearia eius duo vel tria ingererentur. Raro vltra vncias ſex vel octo huius olei requirebantur ad perfectam ſanationem: ſed ſaepe tam cito ſatisfactum voto eſt, vt ſufficerent iam eius cochlearia tria per vices data. Ita valuit adeo in ileo inflammatorio, neglecta etſi venaeſectione (GALLESKY *Caſ.* 2. *p.* 79.); item in eo, in quo feces foetentes colorisque obſcuri reiectae (*l. c. Caſ.* 6. *p.* 84.); item in complicato malo ex calculis renum et flatibus fecibusque aluinis collectis (*l. c. Caſ.* 7. *p.* 87.). Facile tamen fuit in priorem morbum relabi, niſi in cibi potusque delectu reliquisque diaetae momentis ſollers cura accederet. Robori quoque ventriculi reſtituendo per elixirium ſtomachicum, et, vt aluus officio quotidie reſponderet, per commodum laxans conſultum eſt. Idem olei Lini adhibendi conſilium aliquoties ſucceſſit cl^mo^ LENTIN (*Beob. einig. Krankh. p.* 149.) tam in ileo, quam in alui obſtru-

ſtructione pertinaci, quin ea, quae per ſex dies in foemina grauida durauerat, et alia octo dierum in ruſtico. Quod ſpeciatim ad alui obſtructionem attinet: cochlearibus duobus vel tribus huius olei veſperi, antequam cubitum eatur, ingeſtis, ſaepe ex voto reſeratur (GALLESKY *l. c. p.* 73.).

Quantum auxilium in colica pictonum ſpondeat hoc oleum, ex dictis colligitur, in quo morbo oleoſa et pinguia cuiuslibet generis tam ad prophylaxin quam therapiam mirifice proſunt. Auerti malum hiſce experiuntur foſſores, fuſoresque cum plumbo praecipue rem habentes, qui auſpicaturi labores ſuos lardum cum atro pane praeſumunt et per prandium lardo, pinguibus iuribus, butyro largius veſcuntur. Verum enemata oleoſa et oleum epotum ad ipſam curationem plurimum conferunt, vt quae, praeter effectus ad initium prioris articuli de ileo indicatos, venenum inuoluendi vim habent. Ill. DE HAEN (*Rat. med. P.* 1. *p.* 114. *P.* 10. *p.* 106.) licet Lini oleum ſpeciatim contra hoc malum non commendet, commendari tamen illud meretur.

Oleoſorum in vniuerſum in dyſenteria ad dolores inteſtinorum diros mitigandos magnam vim eſſe nouimus, quippe quae acre obtundunt eroſaque oblininut. Eo fine vel per ſe vel in ſacchari connu-

bio ſed larga doſi aliquot ſemunciarum aliquoties de die commode ingeruntur (HEIST. *comp. med. pract.* p. 281. DEGNER *de dyſent.* p. 166.). Licet vero pro vſu interno optio fieri poſſit inter varia olea expreſſa, dyſenteriae tamen ſolo oleo Lini curatae exempla exſtant, et ſingularis eius praeſtantia pro clyſmate explorata eſt, dum vel ſolum tepefactum repetitis vicibus, ſed parca quantitate, iniicitur (DEGNER *l. c.*).

Quam paſſim oleorum huius generis efficaciam in necandis vermibus demonſtraui (*Appar. med. Tom. I. p.* 60. *Tom.* 2. *p.* 44. *Tom.* 3. *p.* 255.), haec nominatim ad oleum Lini ſpectat. Huic ſine dubio ſanatio tribuenda pueri vndecim annorum, qui inde a ſeptimo anno conuulſionibus multifarii generis miſere affectus, tandem omnino ſtupidus euaſit, mira autem, ſub ſumma emaciatione corporis, voracitate ductus vrceum pictoris oleo Lini ceruſſa et fuligine repletum plurimam partem ore exhauſit. Effectus temerarii huius auſi praeter omnem opinionem feliciſſimus fuit, vtquo ſub vomitione et deiectionibus aluinis vehementiſſimis per nychthemerum fere durantibus ingentem numerum vermium filiformium excuſſit, redeunte ſenſim rationis vſu et corporis integritate (*Phil. Tranſ. Vol.* 50. *p.* 518. 521.). Norma de reliquis olei ſuppeditata

modum

modum rationi magis conſentaneum oleum Lini adhibendi contra vermes indicat. Certe paganis et egenis non ſpernendum remedium. Et quum ſubinde aſcarides oleo inſtar clyſmatis applicato eliminari queant (HEBERDEN in *med. Tranſactions Vol. I. p.* 49.): patet hocce praecipue pro iſto ſcopo eſſe eligendum.

In nephritide a calculo, ſiue hoc oleum aliis potentius ſit, ſiue communem modo cum aliis virtutem habeat, largius hauſtum non ſolum dolores ſedat, ſed et ſabulum et calculos minores blande elabi ſinit (HAMILTON *prax. reg. p.* 44.). Fuit vir, qui, vtprimum a doloribus calculoſis cum ſuppreſſione lotii perfecte corripiebatur, mox dimidium eius vitrum, quale cereuiſiae deſtinatur, veſperi ingeſſit, voti ſui ſubſequenti mane compos (GALLESKY *l. c. p.* 73.).

Superficiei corporis illitum emollit partem relaxatque. Eam ob rem linimenta, vnguenta et emplaſtra multa, intrat. Si camphora in eo ſoluitur, inunctum dolores pleuriticos, colicos, nephriticos aliosque compeſcit, ita vt in ſympathica pleuritide vix alia medela opus ſit. Abdomini inunctum pertinacem ſaepe aluum reſerat. Dolores haemorrhoidales clyſma ex calefacto oleo lenit.

Placenta ſeminum poſt expreſſionem olei reſidua cataplaſmatibus emollientibus et maturantibus apte additur.

EMPLASTRVM DIACHYLON SIMPLEX. *Ph. Würt. p.* 63. Recipit copiam mucilaginis ſeminum Lini.

408.

Pharm. LINI CATHARTICI *Herba.*

Linum catharticum; foliis oppoſitis ouato - lanceolatis, caule dichotomo, corollis acutis. LINN. *Spec. pl. p.* 401. Linum pratenſe floſculis exiguis. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 851. Pl. annua, in campis item pratis humidis crebra.

HERBA huius valde amara et nauſeoſa eſt, vix in officinis reperiunda, etſi et iam vetuſtiores botanici, GERARD, PARKINSON, MORISON, RAIVS, in denominanda ſtirpe ad virtutem purgantem reſpexerint, paſſimque eandem experimentis confirmauerint. Inter recentiores nemo illam impenſius commendavit ill. LINNEO, idque pluribus locis. Omnes conueniunt, tuto et ſine moleſtia aluum purgare (RAII *Hiſt. pl. Tom.* 1. *p.* 1076.). Puluis hoc fine dari poteſt ad drachmam vnam vsque (LINN. *Amoen. Vol.* 7. *p.* 300.). Placet eiusdem cum cremore tartari et ſemi-

ſeminibus Aniſi miſcela (BOWLE apud RAIVM *l. c.*), vt promptius et mitius operetur (LINN. *l. c.*). Hibernis olim ſaltim familiare medicamen fuit et nonnullis Anglis in occidentali plaga degentibus infuſum ex Lini cathartici integrae et floreſcentis plantae manipulo vno et ſeri lactis vnciis ſex digeſtis per noctem, et mane poſt colationem vncia vna ſyrupi Roſarum pallidarum remixtis (MORISON *Hiſt. vniv. plant. P.* 2. *p.* 575.). Arridet quoque infuſum ex herbae ſiccae drachmis duabus pro doſi cum aliquot vnciis aquae e. c. vnciis quatuor paratum (LINN. *Fl. Suec. p.* 100. *Amoen. acad. Vol.* 3. *p.* 72. *Vol.* 7. *p.* 300.), quod intenſe amarum eſt. Ea doſi et proportione ſerius in viro deiectiones frequentes et copioſas excitauit (COSTE et WILLEMET *Eſſais ſur quelques plantes indigenes p.* 36.). Vino infuſa valentiorem effectum exſerere dicitur (LINN. *Amoen Vol.* 7. *l. c.* Conf. RAIVS *l. c.*). Maiori doſi vomitum excitat (LINN. *l. c.*). In tertiana et arthritide vaga eam conuenire DALE (*Pharmacol. p.* 261.), in hydrope incipiente inter alia mala LINNEVS (*l. c.*), innuunt. Ad minimum noua exploratione eorum digniſſima eſt haec herba, quibus vtiliſſimum officium incumbit morbis in noſocomiis medendi. SLEVOGTI *Progr. de Lino cathartico. Ien.* 1715. legere mihi non contigit.

OXA-

OXALIS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 360. *Gen. pl. p.* 231.

409.

Pharm. ACETOSELLAE vulgo, item LVIVLAE Ph. Lond. et Edinb. *Herba.*

Oxalis Acetoſella; ſcapo vnifloro, foliis ternatis obcordatis, radice dentata LINN. *Syſt. veg. l. c.* Oxalis *Acetoſella*; ſcapis vnifloris, foliis ternatis: foliolis obcordatis piloſis. THVNB. *Diſſ. de Oxal. n.* 5. Trifolium acetoſum vulgare. C. B. Icon: MILL. *Ill. Syſt. ſex.* REGNAVLT *Botan.* l'Alleluja. Pl. perennis, in ſyluis muſcoſis et ad ſepes vmbroſas crebra.

Variae huic generi competunt ſpecies grato acore, qui in herba ſucculenta longe manifeſtior eſt, imbutae. Vnde et Oxalis corniculata Halae in officinis vulgari ſpeciei ſubſtituitur (LEYSER *Fl. Hal. p.* 84.); prout Oxalis cernua THVNB. in Capite bonae ſpei ad ſal eſſentiale inde parandum (THVNBERG *Diſſ. cit. p.* 32. *Tab.* 2.). Nulla vero ideo celebratior quam Acetoſella, quae ad ſaporem ſucci Citri vel acidi tartari accedens gratior Rumice Acetoſa. Monographiam eius praeſtitit FRANCVS (*Herba Allelujah botanice conſidera-*

ſiderata in corporis propria praxi cum nupera febre epidemica, Ulm. 1709.), de qua, vtpote a me non viſa, nolo iudicare, HALLERVS (*Bibl. bot. Tom. I. p.* 635. *pract. Tom* 3. *p.* 599.) autem parum ad Allelujae hiſtoriam conferre affirmat. Raro herbae ipſius vſus fit, quam tamen ſitim exſtinguere et refrigerare, et ſapor docet et quod maſticata viatoribus botanicisque feruente ſolo affert ſolamen. In febribus acutis igitur quoque ad mitigandum aeſtum valet. Nominatim in putridis (FRANC. *l. c.*) et biliofis ad diatheſin humorum malam corrigendam conuenit eademque de cauſa in ſcorbuto. Simul blande reſoluit. Confert ideo inſtar curationis vernalis hiſce, qui ex defectu exercitationis corporeae per hiemem ſeminium morborum contraxerunt, acetario vti ex Acetoſella recente tantillo Lactucae oleo et aceto (ROSENSTEIN *Hus- och Reſe- Apot p.* 92.). Quod ſi per plures dies ingeritur, blande aluum laxando malum fomitem eliminat. Mirum noſtro adhuc tempore potuiſſe herbam comeſtam tanquam Enteroceles remedium commendari a medico ex laude ruſtici, licet ſimilis virtutis PLINIVS meminerit (OVELGVN in *nov. Act. nat. cur. Tom.* 2. *p.* 168.). Ceterum in morbis vel tota recens comeditur, vel in infuſo aqua facto, quod grate acidulum eſt, vel in infuſo cum ſero lactis capitur. Succo quoque eiusdem expreſſo vel conſeruae locus

eſt.

eſt. Multum laudat cl. RVTTY (*Obſervations on the London et Edinburgh Diſpenſatories p.* 151.) extractum ex decocto aquoſo herbae praefertque illud ſucco, vtpote acido multa aqua diluto.

PRAEPARATA.

CONSERVA ACETOSELLAE. *Ph. Würt. p.* 39. *Ph. Angl.* Sapida et efficax, etſi rarioris vſus.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 203. Eiusdem tenoris.

SAL ESSENTIALE. *Ph. W. p.* 167. Hoc ipſum ſal herbam praecipue medicis commendabilem reddidit, et per hoc vnice id, quod illa praeſtat, efficit. Eſt praeterea poſt cremorem tartari vnicum ſal eſſentiale plantarum, quod in officinis ſeruatur. Aeque bonum ſal, ſed maiori copia in Capite bonae ſpei ex Oxalide cernua (Vid. *Diſſ.* THVNB. *cit.*) elicitur. Venale vulgo ex Heluetia et Sueuia peti ſolet (SAVARY *Diſſ. de ſale eſſent. Acetoſellae p.* 9.). Paratur etiam copioſe in ſylua Hercynica et Thuringiaca (WIEGLEB in CRELLS *chem. Iourn. P.* 2. *p.* 7.). Etenim non vbiuis ea copia proſtat ſtirps, vt cum lucro ſal inde erui poſſit. Helueticum praeſtat candore et elegantia et magnitudine cryſtallorum.

Ad hoc parandum ſuccus recentis herbae expreſſus, et vel ſubſidentia vel colatione limpidus, inſpiſ-

inſpiſſatur ad debitum gradum, deinque vel oleo ſuperaffuſo tectus vel et absque eo ſeponitur frigido loco, vt in cryſtallos concreſcat. Liquidum, quod concretionem hanc reſpuit, vlterius ad gradum iuſtum ſpiſſatur, id quod pro neceſſitate iteratur. Quoniam vero hae cryſtalli mucilaginoſo tegmine obducuntur, intrinſecus quoque impurae ſunt, noua ſolutione, colatione et cryſtallorum formatione, opus eſt. Quum in prius indicata encheireſi, qua oleum ſuperaffunditur, qua ipſa et BOERHAAVIVS (*Chem. Vol.* 2. *Proc.* 7.) vſus eſt, aliquot menſes requiruntur, antequam ſal ſeſe effingat: vix eius vſus ſit; quum contra in altera breui tempore res expediatur. Quomodo id fiat commodiſſime, breuiſſimo tempore et lucroſe, expoſuit accurate SAVARY (*l. c.* §. 6.). Ita ille ex quinquaginta libris foliorum vncias duas et ſemis ſalis puriſſimi obtinuit, quod ex cryſtallis plane albis ſal ſedatiuum referentibus conſtitit. CARTHEVSERVS (*M. m. Tom. I. p.* 256.) longe plus lucratus eſt, ſcilicet ex libra vna foliorum drachmam vnam et dimidiam ſalis; an ſalis aeque puri, dubito. Differunt ceteroquin cryſtalli multiplici modo quoad figuram et colorem et pro diuerſo puritatis gradu.

Ob exiguam illam copiam, qua ſal hoc ſtirpi ineſt, illi a venditoribus aliud mala arte ſupponitur, quod

quod nihil aliud eſt, quam tartarus vitriolatus plus acidi vitriolici continens, quam pro ſaturatione ſalis tartari opus eſt. Hoc ipſum exiguis cryſtallis conſtat, valde acidis, aqua facile ſoluitur et lintea corrodit. Deſtillatione ab hoc acidum vitrioli facile abigitur, et ſi tartarus vitriolatus ſpiritu vitrioli ſoluitur, cryſtalli ſimiles dictis generantur (SCHEELE in GÖRWELLS *nya tidningar* 1775. *n.* 30. *p.* 239. vbi recenſus *Ph. Suec.* IDEM in BERGII *Mat. med. p.* 178.). Alia corruptio huius nonnunquam fit cremore tartari, quae quomodo detegatur, SAVARY (*p.* 17.) tradit. Non ſemper tamen venale ſal corruptum eſt (SAVARY et WIEGLEBII experimenta).

Genuinum ſal ſpecies eſt ſalis medii, conſtans ex alcali vegetabili et peculiari acido, quod vltra ſaturationem ineſt, vnde intenſius acidum deprehenditur (BERGMAN in *Act. Upſ. nov. Vol* 2. *p.* 215.). Ad tartari igitur naturam proxime accedit, quod et iam NEVMANNVS (*Chymie Vol.* 2. *P.* 1. *p.* 17.) agnouit. Solubilitas in aqua non ſemper eadem eſt. Heluetici ſalis Acetoſellae drachma vna aquae deſtillatae feruidae drachmis ſex ſoluebatur; ſed Thuringiaci ſalis drachma vna requirebat aquae vnciam vnam et dimidiam (WIEGLEB *l. c. p.* 10.). Solutio ſalis colata etiamſi ad paucas guttas inſtillata aquam fontanam mox turbidam reddit (*l. c.*) ſine dubio ex niſu,

niſu, quo in terram calcaream aquae fertur, vnde ſelenitis ſpeciem enaſci apparet. Ad acidum Acetoſellae a compedibus ſuis ſeparandum vſus eſt cl. SAVARY (*l. c.* § 10.) deſtillatione, qua ex ſalis Acetoſellae a ſe parati vncia vna elicuit drachmas duas liquoris acidiſſimi, penetrantis, empyreuma redolentis. Sed omnino purum acidum hac ratione non obtineri, facile patet; vnde cl. SCHEELE aliam viam iniit, quam verbis amiciſſimi BERGMAN (*l. c.*), ne quid dictioni ponderis decedat, exponam. "Abundans ſalis Acetoſellae, inquit ill. vir, acidum, alcali volatili ſaturatum, terrae ponderoſae nitratae ſolutioni immiſcuit, mediante duplici adfinitate mox principia permutabantur et terra ponderoſa acido Acetoſellae vnita difficulter ſolubilis fundum petebat. Hoc ſedimentum acido vitrioli, terram ponderoſam prae omni hactenus nota materia eligente, decomponitur et acidum quaeſitum decanthari poteſt." Nolo peculiares huius acidi puri characteres hic perſequi, quos idem cel. vir tradidit, qui quidem hactenus non ſatis explorati ſunt, limitum inter medicinae et chemiae campum bene gnarus. Eadem de cauſa tranſeo egregia experimenta cum ſale Acetoſellae integro, praecipue a cll. viris MARCGRAF (*chym. Schriften P. I. p.* 119. *P.* 2. *p.* 63.), BAYEN (ROZIER *Obſervations de la Phyſ. Vol.* 2.), SAVARY (*l. c.*), WENZEL (*Lehre von d. Verwandtſchaft*

ſchaft d. Körper p. 312-325.), WIEGLEB (*l. c.*), inſtituta. Licet vero affinitas obtineat inter tartarum et Acetoſellae ſal: acidum huius tamen magis conuenit cum acido ſacchari, quam acido tartari, ſed ab vtroque diſcrepans. Differt a tartaro ſal Acetoſellae eo, quod hoc igne crepitet, fundi poſſit, parum nigreſcat, calce aërata totum quantum decomponi ſeſe patiatur (BERGMANN *l. c.*).

Cognita res eſt maculas ex atramento ſcriptorio in linteis ſolutione huius ſalis deleri.

Ob pretium inſigne, quo venit, raro a medicis praeſcribitur, nec videtur viribus in corpore humano a cremore tartari differre, qui pretio longe minori venditur. Vtne autem extra vera experimenta euager, ſufficit notaſſe, ſal Acetoſellae ob acidam naturam in ſiti exſtinguenda, in aeſtu febrili temperando, putredine coërcenda, item in humoribus ſpiſſis blande reſoluendis, eximium eſſe. Vſus eo non raro Eques A ROSENSTEIN eſt, cuius varia exempla in libris eius practicis exſtant. Ita ſero lactis illud loco nitri in peripneumonia (*Barnſjukd. p.* 221.) addidit. Hoc quoque recipit

PVL-

PVLVIS TEMPERANS ROSENSTEINII. *Hus - och Reſe apoteque p* 1. 97. cuius formula haec: ℞ Nitri depurati ℥j ß. Sal. eſſent. Acetoſell. ℥ß. Morſul. citri (h e. Sacchari aliquot guttis olei Citri imbuti) ℥vij ß. M.

PVLVIS NITROSVS. *Ph. Suec. p.* 105. idem fere eſt, ſed ſaccharum non elaeoſaccharum additur et minori, vt par erat, quantitate. Sui pulueris praecepit ill. vir duo vel tria cochlearia pro Thea, commodo vehiculo aquoſo ſoluta, iis in affectionibus morbisque, quibus temperantia ſalino acida conducunt. Innumeris vicibus ab aliis ille praeceptus ingeſtusque in Suecia eſt.

DROSERA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 251. *Gen. pl. p.* 154.

410.

Pharm. RORIS SOLIS ſ. RORELLAE *Herba.*

Droſera rotundifolia; ſcapis radicatis, foliis orbiculatis. LINN. *Spec. pl. p.* 402. Ros ſolis folio rotundo. C. B. Icon: BLACKWELL. *Herb. Tab.* 432. Stirps perennis, inter muſcos in paludoſis crebra, nominatim in Hercyniae monte Bructero.

Haec, vt altera vulgaris ſpecies, *Droſera longifolia* L. folia fert inſtructa ad marginem pilis ſubulatis, in ſuperiori ſuperficie autem pilis globuligeris, ex quorum extremis exſudat liquidum tenax, vnde perpetuo madent. Herba odore carens, ab aliis acris deſcribitur, adeo vt cutem exulceret et dentibus officiat (HALLER *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 834.), item verrucas clauosque tollat (LINN. *Fl. Suec. p.* 100.). Alius, qui dedita opera in ſapòrem inquiſiuit, folia acida, caulem ſubacrem et linguam paullo ferientem, reliquas partes maiori vel minori gradu amaras reperit (SIEGESBECKII *Diſſ. de Rorella, Wittenb.* 1716. *p.* 30. *praeſ.* ADAMO BRENDELIO). Acoris, quem fouet, praeſentia quoque detegitur vi, quam

quam herba habet lac in coagulum vertendi, dum hoc naturalem teporem adhuc ſeruans illi ſuperfunditur, vel eadem vas excipiendo lacti deſtinatum antea fricatur (GISLER in *Vet. Acad. Handl.* 1749. *p.* 11.), quo effectu, vt aliis notis, cum Pinguicula conuenit. Corrigit quoque lac vaccinum, comeſtis Boletis bouinis vitiatum (LINN. *Fl. Suec. p.* 101.). Deterruit multos opinio acrimoniae, quae tamen in exſiccata planta, quae medico ſcopo vnice vſu venit, mitior adhuc eſt. Quibus deleteriam eſſe, ſi illam depaſcunt, acrimonia ſua creditur, tuſſim lethalem excitando (BORRICH. in *Act. Hafn. Vol.* 4. *p.* 162). Haecce dicta non magnam ſpem commodi ex ſtirpe in aegros redundaturi cient; quod quidem, quicquid vetuſtiores medici FORESTVS, SCHENCKIVS, HOLLANDVS, WEDELIVS, VALENTINVS, alii, de illo reliquerint, noſtro tempore exigui momenti exiſtimatur. Nolo repetere, quae de eo congeſſerunt HEERMANNVS (*Diſſ. de rore ſolis praeſ.* EYSELIO, *Erf.* 1715.) item SIEGESBECKIVS (*Diſſ. cit.*), valere ad tuſſim, aſthma, raucedinem tollendam, conferre in hectica et phthiſi, item ad vires proſtratas erigendas. Experimenta practica, quibus adſtitit HEERMANNVS, nullius dignitatis ſunt, quum tincturam Rorellae, quam praecipue adhibuit, arcanam faciat. Maiori attentione digna ſunt SIEGESBECKII (*l. c. p.* 37.), qui herbam ipſam in tuſſi humida a defluxio-

nibus catarrhalibus in decocto praecepit, vti et eſſentiam ſpiritu vini factum, quae poſterior a. 1712. quum catarrhales febres vbique fere epidemice graſſarentur, valuit, deinque ſerius in febribus acutis cum tuſſi ſicca aliisque affectionibus pectoris iunctis. Omitto laudem in febribus malignis ex propriis eius experimentis, ob nomen ambiguum.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS RORELLAE. *Ph. Würt. p.* 216. Valde compoſitus.

ELIXIR PECTORALE WEDELII. *Ph. W. p.* 55. Quod herba inter tot alia intret, priſtinam illi tributam fidem, praecipue in affectionibus pectoris, in memoriam reuocat.

ORDO

ORDO XXXIII.

CARYOPHYLLEAE.

DIANTHVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 348. *Gen. pl. p.* 225.

411.

Pharm. TVNICAE vulgo, CARYOPHYLLORVM RVBRORVM Ph. Lond. et Edinb. *Flores.*

Dianthus Caryophyllus; floribus ſolitariis: ſquamis calycinis ſubouatis breuiſſimis, corollis crenatis. LINN. *Spec. pl. p.* 587. *α*, *coronarius.* Caryophyllus hortenſis ſimplex flore maiore. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* L'oeillet. Intelligitur Varietas illa hortorum vulgatiſſima petalis coloris profunde chermeſini; quae quidem a florum cultoribus Varietatibus reliquis colorum diſcrimine et plenitudine multiplici modo ludentibus longe poſtponitur. Proueniſſe ex Diantho huius ſpeciei *ε*, *inodoro*, cuius patriam rupes Heluetícae et Italicae conſtituunt, ſuadent LINNEVS et HALLERVS. Planta perennis, quae noſtri climatis hiemem non fert, niſi tecta.

FLORVM nomine petala vnice veniunt, quibus, quod ſpecie deeſt, odoris gratia reſarcitur. Hoc ipſo Caryophyllos aromaticos aemulantur, nec ſiccatione iſte mox perit. Sapor amaricans et ſubadſtringens eſt, poſt ſiccationem manifeſtior. Odora pars infuſione vel deſtillatione ab aqua facile recipitur, diſpergitur vero vel leuiuſcula decoctione. Extractum aquoſum auſterum et ſubamarum eſt, item colore profunde rubro tinctum. Extractum ſpirituoſum inſuper odorum eſt.

In deſuetudinem abierunt noſtra aetate, ita vt omittant illos multi ſuppellectilis medicae ſcrutatores. Etenim vires ſapore dignoſcendae aliis maiori efficacia inſunt, odorum vero illud, cuius potiſſimum olim ratio habita, et fugax eſt et debilius iuſto, quam vt in neruos magnam poteſtatem haberent, quo quidem nomine in ſyncope, palpitatione cordis, conuulſiuis morbis, artuum tremore, febribus malignis aliisque in aliqua celebritate fuerunt. Recreant flores recentes odore ſuo ſanos potius, quam aegros. Nec opus eſt eos ob praeparata legere, niſi quaedam ob colorem grate rubrum ſeruari mereantur.

PRAEPARATA.

CONSERVA FLORVM TVNICAE. *Ph. Würt. p.* 39.

ACE-

ACETVM. *Ph. W. p.* 3. Infuſione paratur. Caue, ne tribuas floribus eam vim analepticam, quae aceto ſoli debetur.

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 219. Recte *Ph. Lond. p.* 79. et *Edinb. p.* 148. praecipiunt vngues petalorum ante infuſionem cum aqua eſſe praecidendos, vtqui pallidi et inertes ſunt. Colorem florum retinet nec non odorem eorum, ſi clauſo vaſe paratur. Sunt, qui vires erigere volunt.

SAPONARIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 347. *Gen. pl. p.* 224.

412.

Pharm. SAPONARIAE *Radix; Herba.*

Saponaria officinalis; calycibus cylindricis, foliis ouato - lanceolatis. LINN. *Spec. pl. p.* 584. Saponaria maior laeuis. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 543. REGNAVLT *Botan.* La Saponaire. Pl. perennis, in locis ruderatis ad vias aggereſque creſcens. In hortis facile luxuriat, in quos Varietas flore pleno aliquando recipitur.

Rhizotomi ſubinde eius loco Herbam Lychnidis dioicae L. colligunt, quod ſi fit, non mirum efficaciam fallere. Non ſpernenda ſtirps, etſi rarius hodie aegris offeratur, quam praecedente ſeculo. Saponaceas enim vires illi competere, et tentaminibus extra corpus humanum variis cognoſcitur et efficacia in morbis variis, qui aperientia et detergentia ſibi vindicant.

RADIX profunde deſcendit cylindrica duorum vel trium pedum, digitum minimum vel calamum cygneum craſſa, geniculata, ſuperne ramoſa, extus rubicunda, intrinſecus alba. Odore caret, ſed ſapor eius ſubdulcis, amaricans, aliquantum glutinoſus. Alibi (CARTHEVS et SCHLINCKE *Diſſ. de Rad. Saponariae* 1760. *p.* 11.) acriuſculus, poſt aliquam manducationem os afficiens et aliquamdiu perdurans deſcribitur. Aqua inſignem eius partem elicit, ſcilicet ex radicis vnciis duabus extracti aquoſi drachmae vndecim eruuntur (NEVM. *Chem. Vol.* 2. *P.* 4. *p.* 175.), vel ſecundum aliud experimentum (CARTHEVS. *Mat. med. p.* 448.) modo ſex drachmae cum granis viginti quatuor. Hocce initio ſubdulce dein notabilem linguae acrimoniam imprimit, vt adeo cum iſta radicis Pimpinellae vel Piperis conferatur (CARVHEVS. *Diſſ. cit. p.* 12.). Spirituoſum extractum quantitate longe minori ſeſe effert, ſed

acrius

acrius et penetrantius cum ſenſu conſtantiori (NEVMANN *l. c.* CARTHEVS. *Diſſ. cit.*). Decoctum radicis virgula motitatum inſtar ſaponis ſpumeſcit, quod idem ſpectaculum in nuculis Sapindi, radice Struthii, floribus Lychnidis chalcedonicae, obtingit; et ſordes pingues linteorum, ſi iisdem lauantur, eluit (BERG. *M. m. p.* 371.). Extracta quoque ore agitata ſaliuam proliciunt eamque ſpumeſcentem reddunt (NEVM. *l. c. p.* 176.). Haecce ſingularis natura manifeſtius tamen in foliis ſeſe declarat, adeo vt monachi mendicantes loco ſaponis pro lauandis veſtibus ea vſurpauerint (BOCK *Kreuterbuch p.* 296.). Quin ideo arbitror, folia eſſe radici praeferenda; et, quantum apparet, iſtis quoque potiſſimum olim auctores vſi ſunt, nam Saponariae viridis apud eos crebro mentio fit.

Attamen RVDIVS (*de morb. occult. et venenat. L.* 5. *c.* 18. *p.* 215.) radicis nominatim meminit, tanquam eximii antiuenerei, quem in puluere exhibuit, ſubinde in aliorum conſociatione. In doloribus artuum ex hoc inquinamento ortis, item in aliis articularibus eius virtutem explorauit, niſi pars laudis etiam ad luam arthriticam (Chamaepityn) ſaltim in proxime dicta dolorum ſpecie referenda ſit. Serius radix medicorum Boruſſiae Regis GVNDELSHEIMERI et STAHLII auctoritate inclaruit, idque tanto-

tantopere, vt vix officina regia ei conquirendae ſufficeret. Et hi quidem Sarſaparillae parem niſi efficaciorem cenſuerunt (NEVM. *l. c. p.* 173.) Fauet illi quoque impenſius cel. BERGIVS (*l. c.*), vt nominatim in arthritide, item, ſub curatione mercuriali, nullum aptiorem potum quam ptiſanam ex radice agnoſcat.

Verum HERBA absque mercurii connubio fiduciam quandam in lue venerea excitauit, ſaltim in vſum pauperum, quum aliis ſapor diſpliceat. Idem, quem mox dixi RVDIVS, poſt praegreſſam purgationem alui repetitam, quam etiam interpolari iuſſit, decoctum praecepit ex Saponaria per viginti vel plures dies, quo ipſo in lue peſſima contra alia pertinaci voti ſui compotem euaſiſſe, tanto magis mirum, quum valde dilutum illud propinaſſet, vt fere crederes loco pugillorum ſex totidem manipulos pro ſedecim libris aquae eſſe legendos. Iſto ſaturatius illud eſt, quo SEPTALIVS (*Animadv. et caut. med. p.* 275.) in contumaciſſimo morbo aliquando ſe vſum profeſſus eſt, ſcilicet ex Saponariae viridis manipulis duobus et aquae libris octo, cuius plures vnciae mane ad ſudores proliciendos ſorbillandae, reliquum per diem paſſulis vel ſaccharo edulcatum conſumendum. Nomine

Gen-

Gentianae cruciatae eodem fine decoctum ex hac ſtirpe calide bibendum in ſudorem impenſe commendat ZAPATA (*Memorabilia medico - chir. Ed.* SCHLEISS. *p.* 181.).

In ictero et viſcerum obſtructionibus BOERHAAVII praeconia olim tulit (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 908.).

ORDO

ORDO XXXIV.

CALYCANTHEMAE.

LYTHRVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 371. *Gen. pl. p.* 240.

413.

Pharm. LYSIMACHIAE PVRPVREAE *Herba; Radix; Flores.*

Lythrum Salicaria; foliis oppoſitis cordato - lanceolatis, floribus ſpicatis dodecandris. LINN. *Spec. pl. p.* 640. Lyſimachia ſpicata purpurea. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 671. REGNAVLT *Botan.* La Salicaire. Pl. perennis, in locis humidis ad foſſas ſtagnaque crebra.

Lyſimachiam quidem aliquam inter plantas medicinales recenſet DIOSCORIDES (*Mat. med. Lib.* 4. *cap.* 3.), ſed deſcriptione tam manca, vt de ſpecie conſtitui nequeat, quin aliam, quam in fronte propoſitam, intellexiſſe colore fuluo vel aureo florum, quem ſuae adſcribit, inducor; licet de reliquo vires ab illo in medium prolatae egregie in Lythrum noſtrum quadrent. GALENI (*de ſimpl. Lib.* 7.) Lyſima-

chi-

chios earundem virium, notis pariter nullis diagnoſticis inſtruitur. Haecce commemorare opus cenſeo, quoniam nonnulli experientiae recentiorum auctoritate veterum pondus addere cupiunt. VALLERIOLA, HILDANVS, alii ſeriorum temporum, Lyſimachiam dyſenteriae remedium proponunt, ſed nec ſpeciem determinant, quod ob multiplicem huius nominis apud botanicos applicationem tanto magis neceſſe fuit, nec normam vſurpandi aptam ſuppeditant. Decoctum herbae in diarrhoea endemia dudum Hibernis profuit (THRELKELD *Synopſ. ſtirp. hibern.* apud DALE *Pharmacol. p.* 264.). Quicquid horum ſit, in pauciſſimis de materia medica libris comparuit efficax haecce ſtirps, quam ex tenebris ſuis DALE (*l. c.*) et ZORNIVS (*Botanol. med. p.* 409.) producunt: donec HAENIVS circa annum 1760. de virtutibus eius, exploratis a ſe aliisque quibusdam conterraneis ſibi medicis, referret.

FOLIA ſicca maſticata ſaporem herbaceum nonnihil adſtringentem produnt, paullo poſt autem ex meo experimento mucilaginem dimittunt, in fila ductilem. Haec in cauſa eſt, quod puluerem eius aqua commixtum aegrius deglutiri deprehenderim. Extracti aquoſi maiorem quantitatem ſtirps ſuppeditat quam ſpirituoſi; vncia enim foliorum cum ſpicis erogat illius, quod ingratius auſterius et magis

ſic-

ſiccans eſt, drachmas tres, huius ſ. ſpirituoſi autem modo drachmas duas cum granis viginti quatuor (SAGAR *Diſſ. de Salicaria* in DE WASSERBERG *Op. min. Faſc.* 2. *p.* 395.).

Inclaruit herba praecipue efficacia ſua in diarrhoeis et dyſenteriis, cuius cl. MISLEY multa documenta in caſtris habuit. De qua HAENIVS (*Rat med. P.* 3. *p.* 196. *P.* 4. *p.* 250.) certior factus mox ad ſimilia experimenta tranſiit eodem euentu, dein alii. Conducit vero tum, quum haecce vitia magis a laxitate inteſtinorum quam a ſordibus originem trahunt, quaecunque de reliquo eius cauſa ſit. Praemiſſa purgante medicina pulueris foliorum drachma vna vel quatuor ſcrupuli mane et veſperi capiuntur (DE HAEN), vel et drachma vna ter de die (STÖRCK *Ann med.* I. *p* 108.). Decocti ſimilis efficacia eſt, quod et in dyſenteria epidemica Daliae in Suecia (BLOM in *Berätt. om Medicinal - Verket p.* 13.) item in illa funeſta Lugduni Galliae eximio et praeſentaneo auxilio fuit (GARDANE *Gazette de Santé* 1773. *p.* 65.): ſi recens eſt malum, curatio intra tres vel quatuor dies abſoluitur, diuturnius longiorem adminiſtrationem requirit. Annoſa adeo diarrhoea, ad quaelibet alia auxilia rebellis, trium hebdomadum ſpatio, eius ope coërcita (DE HAEN *R. m. P.* 3. *p.* 197.). Similem effectus celeritatem

in

in lienteriae caſu ſingulari obſeruaui, etſi inconſtantiam dein dolerem. L. Baronis DE STÖRCK (*l. c.*) laus ad diarrhoeam obſtinatam nominatim ſpectat; item cl. HASTII (*Berättelſe om Medicinal - Verket* 1769. *p.* 282.). Addit cl. SAGAR (*l. c.* vbi diſſertationis ſumma modo momenta leguntur), praeterquam in dictis morbis in fluore albo et haemoptoe ſe Lythro cum fructu vſum fuiſſe. Vim adſtringentem, quae tonum partium reſtituit, cum mucilaginoſa, cuius rationem fere nullam auctores habent, in horum morborum medela opportunam eſſe, ex dictis colligitur.

Puluerem FLORVM nominatim adhibuit cl. HEVERMANNVS (*Bemerk. d. ausüb. Arzneyw. Vol. I. p.* 212.), a quo autem in plerisque alui profluuium potius auctum et tot turbae enatae, vt abſtinere ab iisdem opus eſſet.

RADIX alias negligitur: aſt in Suecia eodem commodo, ac folia, decoctum eius in diarrhoea chronica et dyſenteria tentata fuit (BLOM in *Berättelſe om Med. Verket* 1765. *p.* 239.).

ORDO XXXV.

ASCYROIDEAE.

CISTVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 412. *Gen. pl. p.* 271.

414.

Pharm. LADANVM *Gummi* v. LABDANVM *Ph. Lond. Edinb.*

Ciſtus creticus; arboreſcens exſtipulatus, foliis ſpatulato-ouatis petiolatis eneruiis ſcabris, calycinis lanceolatis. LINN. *Spec. pl. p* 738. Ladanum creticum *Alp. exotic. p.* 89. *Tab* 88. Ciſtus ladanifera cretica. TOVRN. *Coroll. inſtit. rei herb. p.* 19. *Voyage du Levant. T. I. p.* 29. *ſq.* Frutex, in Candiae collibus ſiccis et arenoſis creſcens. Caue, ne nomen Ladaniferi L. alius ſpeciei (Ciſti ladaniferae hiſpanicae incanae C. B.) imponat, quae ipſa Mannae ſpeciem exſudat. Cfr. de hac poſteriori CLVSII *Hiſt. rarior. ſtirp. per Hiſp. L. I. p.* 155. 168. *Tab.* 156. et DILLON's *Travels through Spain p.* 127.

Nomen

Nomen Labdanum alteri poſtponendum eſt, vtpote neque Graecum neque Latinum.

LADANVM, Graecis Λαδανον, eſt maſſa quaedam reſinoſa, ſolida, nigra, ponderoſa, in ſuperficie et fragmento ſubaſpera. Diffractum ſcintillantes particulas oculo offert. Maſticatum ſtridorem quaſi ex arenulis admixtis edit ſapore amaricante, ſolui vero ſe non patitur. Odor, quem ſponte ſpargit, exiguus eſt, ſed gratus, flammae admotum flagrat et fumum ſuaueolentem dimittit. Calore mediocri emollitur, maiori liqueſcit. Aqua infuſum eam quidem impraegnat grata fragrantia, ſed ea non ſoluitur, deſtillatum aqua oleum grate odorum erogat. Nec ſoluitur oleis, etſi colore ex rubro bruno tingatur. Soluitur autem ſpiritu vini rectificato, eiusque tanto maior pars, quo magis ab arenularum vel pulueris inquinamento liberum eſt.

Exſudat haecce reſina ex foliis et ramulis, guttis inſtar Terebinthinae pellucidis. Vetuſtiſſimo tempore paſſim colligebatur ex barbis caprarum et hircorum, pilisque ad femora dependentibus, quibus, dum haec animalia folia depaſcerentur, illa adhaereſcebat; depexa ex hiſce reſina in offas dein efformata ſeruabatur (DIOSC. *Mat. med. Lib. I. p.* 128.). Sed iam tum quoque conſueuit, funiculis ſuper fru-

 ticem

ticem ventilatis adhaerentem tenacem materiam excipere (DIOSC. *l. c.*). Commodiſſime hoc ſit flabello, raſtrum referente, ſed loco dentium loris multis coriaceis duplici ſerie inſtructo. Ergaſtiri vernacula lingua appellatur hoc inſtrumentum, quod tempeſtate calidiſſima, ſed omnis venti experte hinc inde ſuper ſtirpem vibrant et affricant. Quod loris adhaeret materiae cultro deraſum in panes cogitur. Sic per diem circiter vnciae quinquaginta ſupraque colligi poſſunt. Inquinatur plerumque puluere per ventum circumacto, cui opportunitatem praebet ſoli nuperrime ſignificati indoles, imo fraude ad augendum pondus ſabulum ſubtile nigreſcens in reſinam collectam impingunt, vnde iſte ſtridor inter dentes et ſcintillantes particulae (Cfr. BELON *Obſervations de pluſieures ſingularités en Grece, Aſie etc. Lib. I c. 7. p. 8. b.* TOVRNEFORT *Voyage P. I. p. 29.*). Varia igitur proportione aduentitias iſtas partes continet. Forma, qua comparet, Ladanum quoque variat. Equidem illud nonniſi forma bacilli digitum craſſi, vel in ſpiram planam contorti, coloris griſeo nigri, vidi; Labdanum en tortis vel vulgare vocant. Et in hoc $\frac{3}{4}$ ex mero ſabulo conſtant, quod calcinatione colorem rubrum induit (GEOFFROY *Matiere medic. Traité T. 4. p. 55.*), quin maior quantitas, vt ex ſolutione in vini alcohole conſtat, quod vix $\frac{1}{6}$ partem ſoluit, et calcinatione, ſub qua Ladani gr.

101.

101 cinerum gr. 72 reliquerunt (ALSTON's *Lectures on the Mat. med. T. 2. p.* 413.). Aliquando cylindrica forma eaque recta occurrit bacillis craſſioribus, inſtar extracti Glycyrrhizae; quae ipſa purior cenſetur. Raro obuiam venit tertia ſpecies, largas maſſas intra veſicas vel pelles reconditas conſtituens, mollis et tractatione manuum adhuc magis molleſcens, profunde nigra, longe purior reliquis; *Labdanum en maſſes* vel *en pains* dicta (GEOFFROY *l. c. p.* 50.).

Hodie vix vnquam in internum vſum trahitur, licet olim in affectionibus catarrhalibus, dyſenteria, aliisque, quibus adhuc minus aptum videtur, adhiberetur. Acquieſcimus externa applicatione, pro ſuffitu praecipue, quo fine tamen non ſolum, ſed in aliorum connubio, vſurpatur; quorſum MASSA ſ. BACILLI PRO FORNACE *Ph. W. p.* 113. et PVLVIS FVMALIS pertinent. In Emplaſtra varia Gallorum quoque olim recepta, vt EMPL. CEPHALICVM *Charas*, EMPL. STOMACHICVM *Eiusd.* ex quorum nominibus, quid ſenſerint de virtute eius, facile iudicatur, an iuſte, alia quaeſtio eſt. Conſtat ex dictis, absque damno abeſſe ex medicaminum cenſu Ladanum poſſe.

HYPERICVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 582. *Gen. pl. p.* 392.

415.

Pharm. HYPERICI *Herba; Flores; Semen.*

Hypericum perforatum; floribus trigynis, caule ancipiti, foliis obtuſis pellucido - punctatis. LINN. *Spec. pl. p.* 1105. Hypericum vulgare. C. B. Icon: IO. MILLER *Illuſtr. Syſt. ſex.* Pl. perennis, creſcens in locis apricis, dumetis, pratis.

Huius loco, vel mixtim cum eo, hinc inde *Hypericum quadrangulum;* floribus trigynis, caule quadrato herbaceo LINN. *Spec. pl. p.* 1104. in depreſſioribus locis reperiundum, colligunt, id quod LINNEVS (*Diſſ. de Hyperico reſp.* HELLENIO *p.* 7.) vituperat, perſuaſus viribus eſſe altero praefixo longe inferius. Eſt contra ea (BERGII *Mat. med. p.* 640.), qui H. quadrangulum ideo praefert, quod ad ſuum iudicium pluribus folliculis nigricantibus altero inſtruatur; eſt, qui eadem de cauſa ad minimum aequiparat (GADD in *Vetenſk. Acad. Handl.* 1762. *p.* 119.). Scilicet tam in vtraque hac ſpecie, quam aliis quibusdam ſpeciebus, vtriculi variis floris partibus, foliis, item nonnunquam cauliculis, adhae-

adhaerent vel immerguntur. In floribus et caulicülis nigri plerumque comparent et globoſi, in foliis ſeſe declarant punctulis pellucidis, vt ideo punctata eſſe videantur. Turgent hi materia colorante rubicunda, quam quidam oleo Terebinthinae ſimilem iudicant (GEOFFROY *Mat. med. Traité Tom.* 7. *p.* 81.), alius (GADD *l. c.*) rectius gummi reſinoſae naturae, ad Laccam proxime accedentis, declarat. Extrahitur optime ſpiritu vini, qui inde rubrum colorem adipiſcitur, aegrius oleis deſtillatis, inter quae oleum Aniſi antecellit; pauxillum eius modo aqua eruit. Inter acida mineralia eminet hac vi ſpiritus vitrioli. Vitellus oui facile illam ſoluit. Tranſeo alia ingenioſa cel. GADD (*l. c.*) experimenta, quae euincunt dictae naturae eſſe. In arte tinctoria ruber iſte color ſub vario ſalinorum connubio laneos pannos colore ex luteo rubro vel badio vel oliuaceo imbuit. Florum extractum ſpirituoſum $\frac{1}{2}$ conſtituit, aquoſum autem, quod adſtringens et nauſeoſum eſt, $\frac{1}{4}$ (NEVMANN. *Chym. Vol.* 2. *P.* 3. *p.* 136.).

Tota ſtirps ſaporem amaricantem ſubadſtringentem balſamicum vel pinguem prodit; odorem vero ſuauem. LINNEVS praefert folia (*Diſſ. cit. p.* 8.); alii ſummitates florentes, quoniam odoratiores et plus deſcriptae materiae gummi reſinoſae continent, a qua virtutis plurimum dependere videtur. In deſuetu-

ſuetudinem ſenſim ſtirps abiit, nec arbitror iniuſte, quae olim celebrabatur impenſe, quin vltra omnem fidem et ſanam rationem; et iam in praeparatis quibusdam fere vnice adhibetur.

Vulneraria a plerisque auctoribus inde ab antiquitate declaratur. Pro vſu interno vel in infuſo theaeformi vel decocto praecipi poteſt, ſicque in dyſenteriis, vlceribus renum aliisque internis, in haemoptyſi et fluxu menſtruo profuſo, fidem promiſit, quibus ipſis malis vt detergens vel conſolidans mederi creditur. Phthiſeos adeo vlceroſae pulmonum decocto vinoſo curatae recentiora multa exempla memorantur (LINN. *Diſſ. cit. p. 9.*). Pluris vero vulgo fit ad detergendas et conſolidandas partes molles externas, in compage ſua contuſione, vulnere, vlcere, ambuſtione, diremtas, quo fine etiam tincturae, olei, balſami, vnguenti, emplaſtri, forma applicatur; quae praeparata adhuc paſſim in pharmaceuticis libris occurrunt. THEOPHRASTI PARACELSI praeconium de hac vi nonniſi aliorum aſſenſu pondus obtinet. FALLOPIVS (*Tract. de vuln. in gen. c. 15.*) vero in vulneribus conglutinandis ſucco nihil praeſtantius ſignificat. Meminit FORESTVS (*Obſſ. medicinal. Lib. 9. Obſ. 32. ad finem*) pueri ex illiſione capitis mente capti, et cranii fracturam perpeſſi, ſola inunctione olei Hyperici reſipiſcentis,

vt

vt tamen ipſe ambigat, reſtitutio vtrum beneficio naturae, an olei, tribuenda eſſet. In ſanandis vulnuſculis oleo Oliuarum cum floribus Hyperici infuſione parato vnice acquieſcit cel. SCOPOLI (*Fl. carn. Ed.* I. *p.* 311.). Chirurgus quidam Scanicus vulnera difficilia, gangraenam et ſphacelum, quin peiorem exitum minitantia, tinctura Hyperici ſola cum aliquot guttis tincturae Aloës ſanaſſe traditur (LINN. *Diſſ. cit. p.* 9.).

Reſoluere coagulum humorum varium potenter, multis quoque placuit. Ita in Polonia crebro flores cum ſale et butyro in cereuiſia iis exhibiti, quibus grauiorum ponderum geſtatione aliquid in corpore laeſum fuit (CAMERARIVS *Hort. med. p.* 77.). Subſcribit generalius huic virtuti SIMON PAVLLI (*Quadripart. bot. p.* 389.), vt et ad coagula ex lapſu decocti vſum extendat, et parem hac in re Arnicae pronunciet. Tincturae Hyperici vim coagulatos humores ſoluendi et virtutem vulnerariam tribuit expreſſius BAGLIVI, eamque in pleuritide ſpuria, quam a lympha cruda deriuat, modo inflammatio non magna ſit, extollit (*Oper. omn. p.* 39.). Quicquid ſit ſtagnationis in rheumatiſmo frigido, in hoc miſcela ex oleo Hyperici et ſpiritu vini, parti dolenti inuncta, vel tinctura Hyperici camphora im-

 prae-

praegnata, et eodem modo adhibita, valde proficua fuit (CHOMEL *Uſuelles Vol.* 2. *p.* 412.).

Olim quoque in melancholia et mania curanda celebre eius nomen exſtitit. In hiſce malis ANGELVS SALA (*Opera medico-chym. p.* 7.) multis eſſentiam extollit. Hiſce praeuiis exemplis ductus cl. LOCHER (*Obſerv. pract. p.* 71. *ſqq.*) conſueuit infuſum ſaturatum maniacis propinare mane, quum poſt meridiem acetum praeberet: ſed fatetur ingenue infuſum hocce ſolum nihil praeſtitiſſe et acetum ſine illo votis ſatisfeciſſe. — Efficacia, quam in morbis dictis mentis exſeruit priſco tempore, vel exſeruiſſe viſum eſt Hypericum, ſine dubio credulis quibusdam impoſuit, vt hominibus, quos a diabolo obſeſſos arbitrabantur, opitulari exiſtimarent, et *fugam daemonum* illud nuncuparent. Et quum vnus error alterum plerumque gignat, non mirum, quod et contra ſpectra et incantamenta potentiam illi adſcriberent.

Ad vermes necandos ſtirps quoque a nonnullis depraedicatur. Vereor autem, ne fallacia ſubfuerit. Oleum eius infuſum ſi eo fine contra lumbricos ingeritur, prout ad cochleare vnum factum. (MATTHIOLVS in *Dioſc. Lib.* 3. *cap.* 156.): ſuſpicio enaſcitur, plus virtutis oleo quam Hyperico inſediſſe.

Nec

Nec praeſtantiſſimum dixerim contra hoſce vermes cum BARTHOLINO (*Act. med. Hafn. P. I. p.* 74.) infuſum florum ſpiritu vini paratum, ſi experimentum teſtimonio vnice matronae cuiusdam nobiliſſimae niteretur. Quidni et hic ſpiritui vini meritum praecipuum adiudices?

Haud ita pridem decoctum herbae, ſaccharo edulcatum ad vnum vel duos cyathos potum, pro partu languido accelerando, quum enixus ſub ſitu probo in procinctu eſſet, commendatum legimus (a cl. POINTE V. RAHNS *med. Magaz. in* I. *Iahrg.* I. 2. *St. p.* 261.).

SEMEN exiguum oblongum brunumque eſt, odoris, vt Pinorum, ſaporis amaricantis. Comparatur adeo amaritie ſua cum Amygdalis amaris. Ad obſoleta pertinet, etſi ſapor efficaciam prodat. Hinc et nonnulli ſummitates nonniſi capſulis ſeminibusque formatis legunt.

Cui volupe eſt, iudicia priſcae aetatis de huius ſtirpis virtute medica vlterius noſſe, conſulat ZORNII *Botanologiam medicam* (*p.* 356.), HOVCKII Diſſertationem (*de Hyperico, aliis fuga daemonum, praeſ.* WEDEL. *Ienae* 1716.) et Linneanam pluries dictam Diſputationem. Sed ex his maiorum noſtrorum

rum tricis veritatem eruere, res maxime ardua eſt. Scriptio, quae haud ita pridem prodiit (*Das Iohannskraut chemiſch - mediciniſch betrachtet* 1781.) inter amplam verborum ambagem pauciſſima modo ad verum vſum facientia recondit.

Radicibus huius ſtirpis Cocci ſpecies inhaeret, quoad laruas Cocco Polonicae ſimilis. Ruſticis in Suecia ſpiritus frumenti floribus eius tinctus placet, non colore modo rubro, ſed ſalutaris virtutis perſuaſione (LINN. *Diſſ. cit. p.* 14. 12.).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM HYPERICI. *Ph. Würt p.* 125. Nimium compoſitum eſt ex floribus Hyperici, ad maturitatem ſeminum fere collectis, Croco, oleo, Terebinthina. Vulnerarium et paregoricum praedicatur. — Iuſtius nomen ſuum fert ſimplex iſtud *Ph. Lond. p.* 106. ſola infuſione florum demtis calycibus cum oleo oliuarum paratum; item *Ph. Suec. Ed.* 2 *p.* 94.

ESSENTIA. *Ph. W. p.* 81. Ex floribus cum ſpiritu vini rectificato. Virtutem adſcriptam paſſim ſupra memoraui.

EXTRACTVM. *Ph. W. p.* 89. Extractum ſpirituoſum et aquoſum ex floribus erutum iunctim complectitur.

SYRV-

SYRVPVS. *Ph. W. p.* 212. Ex infuſo florum aquoſo et ſaccharo. In affectionibus renum et contra vermes ſpeciatim commendatur.

GARCINIA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 368. *Gen. pl. p.* 237.

416.

Pharm. MANGOSTANAE *Cortex.*

Garcinia Mangoſtana; foliis ouatis, pedunculis vnifloris LINN. *Spec. pl. p.* 635. Mangoſtans. GARCIN in *Phil. Tranſ. Vol.* 38. *p.* 232. *ſqq.* cum *Tab.* Mangoſtana. RVMPH. *Herb. amb. Vol. I. p.* 132. *Tab.* 43. ELLIS's *Deſcription of the Mangoſtan and the Bread-fruit,* 1775 cum *Tab.* Arbor elegans in inſulis Moluccis ſpontanea, vnde in inſulam Iauam et Malaccam aliasque Indiae orientalis regiones translata ibidemque culta. MILLERVS in *Gardiners Dictionary*, Art. Garciniae, nouam Hiſpaniam quoque patriam indicat.

Rarius extra patriam vel loca translationis vlla arboris huius pars in ſcopum medicum occurrit. Et tacent de CORTICE ipſo plerique de ſuppellectili medica libri. Suo tamen VOGELIVS (*Mat. med. p.* 294.) illum

illum merito inſeruit. Et paſſim in libris practicis memoratur.

Hic ipſe cortex extimum fructus, qui capſula eſt, tegmen conſtituit. Magnitudine haec Aurantium mediocre refert, vmbilico ſtellato, cuius radii triangulares; et calycis foliolis quatuor perennantibus inſtruitur. Tegmen ad tres vulgo lineas craſſum et carnoſum eſt, extus profunde brunum, interna ſuperficie coloris roſei. Eo remoto in conſpectum venit globus ſulcatus et ex ſegmentis vel loculis quinque ad ſex compoſitus, qui ſinguli pulpam ſuccoſam et ſemen Amygdalae forma includunt (GARCIN *l. c.*). Succus ille in iunioribus fructibus acidulus, in maturis gratiſſime acido dulcis eſt, vt vel ob eius praeſtantiam plantationes arboris in inſulis Americanis ELLISIVS commendaverit. Non ſanos vero ſolum recreat pulpa et refocillat demto cortice, ſed et aegros febre putrida vel inflammatoria correptos. Id quod egregius SOLANDER in itinere circa orbem expertus eſt, qui Batauiae febre putrida funeſta afflictus, ſola huius fructus ſuctione ad ſe rediit (ELLIS *l. c. p. 9.*).

Verum cortex fructus magis extra patriam celebratur. Hic prouti aſpectu aemulatur Granatorum corticem, ita et viribus. Nimirum ſapor inſigni-

ſigniter ſtipticus eſt. Solet in patria exſiccari et ſic in dyſenteria et teneſmo adhiberi (RVMPH.) Batauiae infuſum et tincturam contra dyſenteriam inde parant (GARCIN *l. c. p.* 240.). Aqua contritus in aphthis gargariſmatis forma vſurpatur (RVMPH). Ad dyſenterias ſiſtendas aliis quibusdam hunc quidem corticem efficaciorem, non tamen praeſtantiſſimum, HEVERMANNVS (*Bemerk. d. ausüb. Arzneiw. P. I. p.* 213.) inuenit.

T I L I A.

LINN. *Syſt. veg. p.* 410. *Gen. pl. p.* 267.

417.

Pharm. TILIAE *Flores; Semina; Cortex; Folia.*

Tilia europaea; floribus nectario deſtitutis. LINN. *Spec. pl. p.* 733. Tilia foemina folio maiore. C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab.* 533. REGNAVLT *Botan.* Le Tilleul. Arbor in pratis nemoroſis Europae auſtralioris ſpontanea.

Nomen huius arboris Suecicum *Linn,* cuius vaſtiſſimum exemplar in pago Slegaryd Sunnerboae Smolandiae reperiundum, LINNEO nomen dedit. Proce-

Procera et longaeua, multis nominibus in oeconomia vtilis. Vt tanto melius vigeat et venuſtior ſit, coli ſolet, quo fine ſemina ſata praeſtant depactis ramis; terra vero eſto leuis, minus compacta, paullum humida. Placent ambulacra ex eadem ſtructa ob elegantiam frondis, coronas denſas tonſionemque haud aegre admittentes, et florum fragrantiam. Horum apes valde auidae ſunt, indeque mel praeſtantiſſimum in Polonia et Lithuania colligunt. *Lignum* album, molle, vnde a fabris lignariis et ſculptoribus expetitur; et prae reliquis lignis naſo artificiali fabricando idoneum eſt, exemplo famoſi iſtius IOANNIS BECK, cuius deformitatem cum auxiliis ſimpliciſſimis aeque ac efficaciſſimis curatius CAMPERVS deſcripſit. Pictoribus carbones quoque accepti ſunt; et ad puluerem pyrium ob leuitatem prae aliis commodi cenſentur. *Frondes* exſiccatae vaccarum, ouium et caprarum, gratum pabulum. Ex *cortice* autem aqua macerato funes parantur.

Ad medicum forum FLORES praecipue pertinent. Hi, arboribus inhaerentes, ſuauem odorem ſpargunt, adeo autem imo inſigni diſtantia fortem, vt caput obnubilent et ſomnolentiam pariant, quod duae familiae Lauſannenſes expertae ſunt quauis aeſtate ex arboribus in ambulacro vicino florentibus

(VICAT

(VICAT *Hiſt. des Plantes veneneuſes de la Suiſſe p.* 380.). Siccatione perit odor. Sapor dulcis, ſubuiſcidus. Etenim mucilago per omnes arboris partes diſperſa eſt. Quod odorum floribus ineſt deſtillatione in aquam tranſit, ſed nullum ſimul olei veſtigium apparet, etiamſi cohobatio accedat (MARCGRAF *Mem. de l'ac. d. ſc. de Berlin* 1772. *p.* 4.). Ex reſidua maſſa extractum ſubdulce ſuaueolens eruitur, quod ipſum dilutum aqua fermenti ope fermentationem ſubit et liquorem vinoſum largitur, ex qua deſtillatione repetita ſpiritus vini probus obtinetur. Idem et ex floribus ipſis, ſiue recentes ſiue ſicci ſint, absque fermenti additamento elici poteſt (MARCGRAG *l. c.*). Digeſtione cum aqua facta craſſa mucilago extrahitur. Extractum autem ſpirituoſum auſterum et nonnihil amaricans eſt (CARTHEVS. *Mat. med. Tom. I. p.* 513.). Floribus tribuitur vis anodyna et antiſpaſmodica. Laudem antepileptici a vetuſtioribus medicis tulit, adeo vt ANTONIVS MIZALDVS (*Cent.* 9. *Mem. aphor.* 25.) conferre epilepticis aquam deſtillatam affirmet, quocunque modo miniſtretur, et CHRIST. FRANCVS PAVLLINVS (*Obſ.* 41. *Cent.* 1.) ipſam arboris vmbram curare epilepſiam innuat. Pondus addit hiſce aſſertis FR. HOFFMANNVS (*Opuſc. med. p.* 227.), dum infuſi florum theaeformis diuturniori vſu chronicam epilepſiam ſublatam referat, et aquam florum in omnibus affectibus,

in

in quibus ſpaſmi vel dolores moleſti ſunt, ſpecificam appellet. Tanti quidem flores non facio, ſed aquam florum analepticam et carminatiuam gratamque, proxime ad aquam florum Naphae accedentem, habeo, quae igitur commode cochleatim, vel mixturis additum, ingeritur. Et ob hanc aquam fere vnice hodie Tilia apparatum pharmaceuticum auget.

FRVCTVS capſula eſt, complectens vnum vel duo ſemina, magnitudine ſeminis Cannabis, matura, reliquis abortientibus, etſi vere quinquelocularis ſit. Veſtiuntur ſemina cruſta tenui, intra quam nucleus oleoſus. Ex vnciis duabus ſeminum tamen grana modo viginti olei frigida expreſſione eruuntur, calida adhuc minus; quod ipſum ſapore oleum Amygdalarum refert, nec inſtar olei de Cacao, in butyraceam formam coit. Ita nec coit oleum, quod praegreſſa ſeminum toſtione et teſtis abiectis exprimitur, licet hacce praeuia maiori copia obtineatur, facile ranceſcens. Contrita poſt toſtionem ſemina vel ſola vel vna cum ſaccharo in paſtam quidem compinguntur, ſed differt haec inſigniter a vera Succolata ex nucleis Cacao conſiſtentia, odore, ſapore, et inquinat oleo inſigniter chartam, qua excipitur. Ex hiſce pronum eſt colligere, non poſſe Tiliae ſemina nucleis Cacao aequiparari, quod quidem

dem medicus nonnemo Gallus ſuſtinuit, Succolatam ex fructibus floribusque Tiliae praeparans, ſuo iudicio conſuetae cum Vanillis odore ſaporeque non diſſimilem (V. MARCGRAF *l. c. p.* I. *ſqq.*).

CORTEX medius mucilagine praecipue ſcatet, quae digeſtione cum aqua facile exundat. Huic incomparabilem adeo virtutem adſcribit HOFFMANNVS (*l. c. p.* 218.) dolores inflammationemque mitigandi et praeſentiſſimo commodo in ambuſtionibus et in podagricis doloribus adhiberi auctor eſt. Similia praeconia monimenta vetuſtiora continent. Subſtitui poteſt hic cortex pani ſub annonae charitate (QVELLMALZ *Progr. de pane ſuccedaneo ex cortice Tiliae interiori* 1757.).

FOLIA analyſi chemica inſtar florum (V. paullo ante) tractata largiuntur eadem fere producta, ſcilicet ſpiritum vini, extracta ſubdulcia, mel (MARCGRAF *l. c. p.* 5. *ſqq.*). Deſueuit iis inſtar cataplaſmatis ad inflammationes et teneſmos vti, vel in decocto contra aphthas.

Innaſcitur huic arbori crebro Viſcum album L.; vnde *Lignum Viſci tiliacei* officinarum.

PRAEPARATVM.

AQVA FLORVM TILIAE *offic. omn.* De virtutibus ſupra conſtitutum.

NYMPHAEA.

LINN. *Syſt. veg. p.* 408. *Gen. pl. p.* 264.

418.

Pharm. NYMPHAEAE ALBAE *Radix; Flores; Semen.*

Nymphaea alba; foliis cordatis integerrimis, calyce quadrifido. LINN. *Spec. pl. p.* 729. Nymphaea alba maior. C. B. Νυμφαια *Graecis.* Nenuphar *Arabibus.* Lotus aegyptius Nuphar vocatus ALP. Icon: *Fl Dan. Tab.* 602. REGNAVLT *Botan.* Le Nenufar blanc. Pl. perennis, in ſtagnis et fluuiis crebra.

Paſſim et *Nymphaeae luteae* foliis cordatis integerrimis, calyce pentaphyllo maiore. LINN. *Spec. pl. p.* 729. *Fl. Dan Tab.* 603. radix in pharmacopoliis ſeruatur. Neutra ſtirps magna patrat in re medica; hinc et vtraque hodie negligitur.

RADIX N. albae brachium vel vltra craſſa, longa, nodoſa, alba, dum recens eſt, poſt exſiccationem autem bruna, leuis et ſpongioſa Sapor eius amarus et ſubadſtringens. Vitriolo martis eius infuſum ſubito nigreſcit. Extractum aqua paratum ſub-

ſubſalſo amarum et nonnihil adſtringens eſt (CARTHEVS. *M. m. Vol.* 2. *p.* 424.). Radicem, vti et ſemina deſiderium et vim veneris exſtinguere ſibi perſuaſit antiquitas (DIOSCOR. *M. m. Lib.* 3. *cap* 148. PLINIVS *Hiſt. natur. L.* 26. *cap.* 10. aliique veterum). Id quod ſerius ALPINVS (*Pl. aegypt. p.* 105.) fide medicorum apud Aegyptios confirmat, adiiciens multos inter hoſce ſanctos Eremitas illis ſtirpis partibus vti, vt facilius vitam caelebem agere queant. Quid errorem genuerit, non operae pretium eſt ſerio anquirere: natam eſſe Nymphaeam ex Nympha Zelotypia erga Herculem exſtinctam, fabulabatur antiquitas, vnde et Heraclion a quibusdam dicta (PLINIVS *Hiſt. nat Lib.* 25. *cap.* 7.). Certe eiusmodi vis venerem exſtinguendi de radicibus Nymphaeae luteae, in panem cum corticibus Pini prae annonae charitate redactis, apud ruſticos inſulae Seeſkär prope Narvam ſitae non conſtitit (LINDESTOLPE *de venenis p.* 651.). Si quid Nymphaea in dyſenteria radice vel ſemine valeat (THEOPHR. *Hiſt. c.* 13. *p.* 1093. DIOSCOR. *l. c.* ALPIN *l. c.*), in profluuio mulierum albo (de Nymphaea lutea DIOSC.), in gonorrhoea (ALP. *l. c.*), apto tempore vſurpata: certe alia longe efficaciora praeſto ſunt.

FLORIBVS aeque commode in officinis carere poſſumus, quorum ſapor nullus, recentium quidem

 odor

odor ſubfragrans. Refrigerare et anodynam vim exſerere, breuiaria quaeuis ſignificant absque vlla veri perſuaſione. Aqua adhuc ex iis deſtillata ſupereſt, cui hae aliaeque virtutes adſcribuntur, a peritiori quouis medico in dubium vocandae.

PRAEPARATA.

AQVA NYMPHAEAE. *Ph. Würt. p.* 7. Ex floribus recentibus. Superfluam mox indicaui.

CONSERVA, SYRVPVS aliaque olim dilecta praeparata ex medicaminum cenſu ſaniori iudicio exularunt.

? FRAXINVS.

LINN. *Syſt. veg. p.* 771. *Gen. pl. p.* 550.

419.

Pharm. FRAXINI *Cortex; Folia.*
LINGVAE AVIS *Semen.*

Fraxinus excelſior; foliis ſerratis, floribus apetalis. LINN. *Spec. pl. p.* 1509. Fraxinus excelſior. C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Frene. V. SCHÖLLENBACH *Abbild. wild. Bäume Vol.* 2. *Tab.* 16. 17. Arbor Europaea.

Specioſae proceritatis et celeris incrementi. Ex *Ligno,* quod tenax, albidum et elegantibus ſaepe venis pictum eſt, ſuppellectile varium aedium paratur; temonibus, axibus, rotis, cylindris ligneis etc. quoque inſeruit, tam ob rectitudinem, quam quoniam aegre fiſſuras agit. Erogat praeterea commoda vincula pro doliis. Frondes ſiccatae ouibus et bobus per hiemem pabulum haud ſpernendum ſuppeditant. Folia verno tempore poſtquam erupiſſent, non amplius Vpſaliae frigus nocturnum metuens ſummus LINNEVS, Heſperides ex hibernaculis efferri curabat: quod conſilium vero in hunc, quo dego, locum applicari non poteſt, vtpote fal-

lax. Meloe veſicatorius ſaepe frondes huius arboris, quae et pluribus aliis inſectis obnoxia eſt, conſumit.

CORTEX. Color eius, extrinſecus cinereus, interne ex albo flaueſcit, compages ſubfragilis. Eligatur cortex ex trunco arboris vetuſtioris vel ramis craſſioribus, in quorum ſuperficie magnae et profundae fiſſurae ac ſulci conſpiciuntur, et a muſco et epidermide liberetur. Tam recens, quam ſiccus, amarus et auſterus eſt, odore autem deſtituitur. Infuſum eius aqua factum idem ſpectaculum oculo praebet, ac infuſum ligni nephritici (V. *Appar. medic. Vol.* 2. *p.* 401.), quod luci obuerſum colorem pallide luteum exhibeat, deorſum autem viſum vel intra oculum et opacum obiectum collocatum, coeruleum appareat. Similia apparent in tinctura eius ſpirituoſa. Nigrum colorem cum ſolutione vitrioli martis commixtum generat. Decoctum amarum acremque ſaporem prae ſe fert. Vncia vna corticis praebet extracti aquoſi drachmas tres; eadem vero quantitas extracti ſpirituoſi vnciam dimidiam cum granis triginta, cuius reſina pura viridis eſt (COSTE et WILLEMET *Eſſais ſur quelques Plantes indigenes p.* 64.). Analyſes chemicas, etiam iuſto fortiori igne inſtitutas, praeſtitere inter alios SCHRÖER (*Curiöſe Beſchreibung des Eſchbaums, Franc. ad Viadr.* 1700. 8.

quem

quem librum modo ex ciuis eius HALLERI *Bibl. bot. T.* 2 *p.* 34. cenſura noui) et HELLWIG (*Diſſ. de Quinquina Europaeorum* §. 16. 18). Extractum eius Garayana methodo paratum et aqua ſolutum carnem bubulam et coagulum ſanguinis diu a putredine in temperato calore praeſeruat, quin diutius, quam ſal ſic dictum eſſentiale corticis peruuiani (BVCHHOLTZ *chym. Verſuche p.* 88. *ſqq.*).

Hactenus plura momenta recenſita ſunt, in quibus hic cortex cum peruuiano conuenit; ſed ideo illum huic aequiparare, quin praeferre velle, nimium eſt. In hocce vitium multi incurrerunt comparantes hoſce cortices quoad virtutem febrifugam, PIENS, DECKERVS, SPONIVS, aliique, quorum nomina et ſcripta citat HELLWIGIVS, quibus ipſe accedit, propria et peregrina in Batauia, Dania, Anglia, Gallia, experimenta per itinera ſibi obuia allegans. Ante detectum corticem peruuianum multis in intermittentium febrium curatione in vſu fuit, BRVNSFELSII, PLATERI, SENNERTI, PASCHALIS, TVSSANI, DVCRETI rel. exemplo. Sed hi, vt multi alii corticis Fraxini aduerſus haſce febres laudatores (Vid. HELLWIG *Diſſ. cit.* §. 21.) compoſitis ſubinde valde prolixis indulſerunt, vt quidnam potentiae Fraxino praeciſe inſederit, lateat. Laudanda contra ea et in huius corticis adminiſtratione

ſimplicitas. Haec tamen praeuia euacuañtia aliaque, quae lentorem humorum ſubigere poſſunt, non excludit. Item iuſta copia, debito ordine, et neceſſaria continuatione exhiberi debet, pariter ac cortex peruuianus. In puluere paroxyſmo elapſo drachmam eius dimidiam quouis trihorio dare confert vel aliis interuallis; modo inter duos paroxyſmos drachmae tres cônſumantur, donec aeger vnciam vnam et dimidiam ingeſſerit; et ne febris redeat, ſubiungere vnciam dimidiam diebus inſequentibus opus eſt. Commendandus quoque eſt hic cortex forma electuarii cum conſerua Roſarum vel ſyrupo Cinamomi vel alio grato vel in infuſo cum vino rubro, vel in pilulas cum mucilagine Tragacanthae redactus (HELLWIG *Diſſ. cit.* §. 24.). Sed et recentius vim febrifugam confirmatam comperimus tentamine facto in duodecim aegris, quorum quidem quatuor quartana afflictis nihil auxilii attulit, ſed octo conualuerunt eo nimirum, quod drachmae duae corticis nuperrime contriti in cyatho decocti foliorum Fraxini melle vel ſaccharo dulcefacti caperentur, primis tribus diebus omni quatriduo, dein per diem bis modo (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 64.). — Diſſonat ab hiſce haud parum TORTI (*Therapeutice ſpec. p.* 19.) iudicium, qui corticem Fraxini ſemper aut fere ſemper incaſſum exhiberi perſuaſum cupit.

In

In reliquis virtutibus corticis huius enarrandis breuior ero, nec alias tangam, quam quae exſpectari ab amaro et auſtero remedio iure poſſunt absque peregrinorum medicaminum connubio vel corticis violenta per ignem reſolutione. Plures in nephritide a calculo eum extollunt, quos inter GLAVBERVS (*Pharm. ſpagyr. p.* 3.) et IO. BAVHINVS (*Hiſt. pl. Tom. I. P.* 2. *p.* 179.), qui eum vino coctum commendat. Ratio latet in virtute adſtringentibus communi, quae et alui profluuiis coërcendis praemiſſis neceſſariis illum idoneum reddit. Podagricis, ſcorbuticis, verminoſis prodeſſe, item ad infarctus viſcerum referandos viſus eſt. Plura qui ſcire geſtiat priſtinae aetatis de cortice placita, fide paſſim omni maiora, eadem ab HELLWIGIO collecta inueniet. Ibi tanquam vulnerarium quoque ſiſtitur (Conf. SCHRÖER *l. c.*).

FOLIA aluum blande promteque purgant. Id quod a quodam TABLET, Sennae eadem aequiparante, iam a. 1711. obſeruatum eſt, ſed iteratis paucos ante annos experimentis conſtitit, doſi tertiam partem maiori, quam qua Senna vim praeſtat, opus eſſe; ſimul vero lotium pellit (COSTE et WILLEMET *l. c. p.* 35. *ſq.*).

Ener-

Eneruare iſta virus ex morſu ſerpentum venenatorum, antiquitus iam cognitum eſt. Succum eorundem vino potum tum et folia impoſita hoc fine valere, DIOSCORIDES (*M. med. Lib.* 1. *cap.* 108. περὶ μελίας) ſignificat. Conuenit hoc eximie cum quorundam recentiorum experientia. Quatuor eius vnciae potatae cum ſcarificatione tibiae tumidae in homine quodam vitam ſeruarunt (AMATVS *Lib.* 1. *cur.* 1.). Foemina a vipera ad malleolum internum commorſa et ſenſu omni pulſuque orbata cum intumeſcentia cruris et femoris maculoſa, item tumore labiorum et faciei deformata, reuixit ex vnciis octo ſucci foliorum intra biduum ingeſtis et pulte reſidua, in quam crus immiſerat. Cl. BEAVREGARD (VANDERMONDE *Recueil period. T.* 6. *p.* 233.) qui haec narrat ad plura alia eiusdem felicis euentus exempla reſpicit. Curatius, vt par eſt, definit ſpeciem ſerpentis, cuius morſum irritum haec medicina reddidit, cl. MONTIN (*Vetenſk. Acad. Handl.* 1765. *p.* 149.), indicans ſuccum foliorum ſolum crebro a ſe contra Colubrum Berum L. tentatum nunquam ſpem ſuam fefelliſſe. Verum et contra Colubri Cherſeae L. ſerpentis adhuc nocentioris morſum ſingulari caſu, in quo multa indicia reſorpti veneni ambigua cum inſigni tumore pedis commorſi ad femur vsque iam aderant, valuit ſuccus ex contuſis tenellis foliis addito vino Gallico expreſſus omni-

omnique ſemihorio ad vitrum exiguum epotus, in connubio cataplaſmatis ex reſidua foliorum maſſa impoſiti. (IDEM) Simul quidem oleum Oliuarum per vices et Theriaca capta fuerant, ſed haec ab aliis tentata nihil auxilii attulerunt. Fomentatio foliorum et ſummitatum ſola diſſipauit intra noctis ſpatium tumorem ingentem capitis in cane a vipera commorſo (ALSTON *Lectures on the M. m. T.* 2. *p.* 9.). Vmbram adeo arboris ſerpentes fugare PLINIVS (*Hiſt. nat. Lib.* 7. *c.* 13.) ſtatuit.

SEMEN oblongum compreſſum membranaceum eſt, figurae linguaeformis. Amarum et nonnihil acrem ſaporem prae ſe fert. De aphrodiſiaca vi et virtute ſterilitatem foeminarum tollendi, item lithontriptica, quam illi olim tribuerunt, merito dubites. De Manna autem, quam in calidioribus regionibus haec ſpecies exſudat, mox dicetur.

420.

Pharm. MANNA vel MANNA CALABRINA.

Fraxinus Ornus; foliolis ſerratis, floribus corollatis. LINN. *Spec. pl. p.* 1510. Fraxinus humilior ſ. altera Theophraſti, minore et tenuiore folio. C. B. Icon: MILLER *Illuſtr. Syſt. ſex.* REGNAVLT *Botan.* Le Frene à la Manne. Arbor Europae auſtralis, nominatim Calabriae et Siciliae indigena.

Fraxinus rotundifolia; foliolis ouato-lanceolatis ſerratis, floribus coloratis. MILL. *Gardeners Dict. Ed.* 8. *n.* 2. Anglis Manna Aſh. Fraxinus rotundiore folio. C. B. Creſcit haec arbor in Sicilia et Calabria. Probe fert noſtrum clima.

Fraxinus excelſior; Vide paullo ante. Et haec Mannam in calidioribus regionibus erogat.

Praeter haſce arbores aliae quaedam arbores vel frutices ſuccum dulcem aëris calore in grumos concreſcentem ex ſuperficie ſua emittunt, idque vel quotannis, vel fauente modo aëris temperie, praeter conſuetudinem calida, vel aliis cauſis minus manifeſtis. Ex harum ſtirpium cenſu ſunt Pinus Larix, ex qua Brigantii Delphinatus Manna laricea ſ. Brigantina, ſ. Brianſonenſis, obtinetur (V.

Appar.

Appar. med. T. I. p. 17.); Pinus Abies, in cuius extimis ramis in Suecia, etiamſi valde raro, ſpecies Mannae vel Sacchari, plurimam partem in grana formati, apparuit (IAC. V. ENGESTRÖM in *Phyſiogr. Sälſkapets Handl. Vol. I. P.* 3. *p.* 144. *ſq.* qui minus recte ex rore melleo exortam illam arbitratur), Aurantium (DE LA HIRE *Hiſt. de l'acad. d. ſc. de Paris* 1708. *p.* 69.), Iuglans regia per folia ſole ardente aliquando mel edens, cuius copia arbori in Delphinatu nocet (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 1624.), Salix in Languedocia a. 1754. aeſtate valde calida et ſicca (MOVSSET in DV HAMEL *Phyſique des arbres P. I p.* 152.). Ex fiſſuris in Mori nigrae cortice ortis in agro Florentino pariter erupit liquoris lenti forma, in maſſam pellucidam concreſcentis (MICHELI in TARGIONI TOZZETTI *Viaggi Tom.* 6. *p.* 424.). In Arabia, terra inter Merdin et Diabekir ſita, Quercuum foliis inhaeret Manna inſtar farinae, et hanc concutiendo arborem in aulaeo colligunt albiſſimam ante ortum ſolis eamque optimam cenſent; ſi vero diutius relinquitur, calore ſolis liqueſcit et in foliis coaceruatur, ſeparatur vero folia decerpendo et Mannam aqua ſoluendo, quod ſi fit, ſuperficiem aquae illa inſtar olei petit; quidam vero contundunt et folia et Mannam, quae ipſa vero viliſſima ſpecies eſt (NIEBVHR *Beſchreib. v. Arab. p.* 145. OTTER *Voyage en Turquie et en Perſe Vol.* 2.

p.

p. 268.). Idem ex Quercubus Mannae prouentus in Perſia prope vrbem Khounſar (OTTER *Voyage en Turquie Tom. I. p.* 196.). Alibi ex Prunis aliquantum Mannae potuit colligi (SALMASII *de Manna et Saccharo Commentarius*, 1664.). Alia ſpecies Mannae originem trahit ex foliis et ramis fruticis Hedyſari Alhagi LINN. ſ. Alhagi Maurorum RAVWOLFII (*Reyſſ in die Morgenländer P. I. p.* 89. Conf. TOVRNEF. *Voyage du Levant T. I. p.* 123. FOTHERGILL *Obſervations on the Manna Perſicum* in *phil. Tranſactions Vol.* 43. *p.* 86. *ſqq.*), quae in Perſia forma et magnitudine granorum Coriandri in frutice comparet, poſtquam induruit, et ſic quoque venditur, omnium optima, vel in maſſis rubicundo brunis, inquinatis puluere et foliis, ſeruatur. Haec ſine dubio eſt illa Manna, quam prope Iſpahan ex frutice ſpinoſo forma granulata colligi retulerunt Arabes (NIEBVHR *l. c.*). Et videtur haec eſſe ſpecies Mannae ab Arabicis medicis Tereniabin et Trungibin dicta, item Trunſchibil (RAVWOLFF), quae vox in Tarandjubin vel Tarandsjubil (NIEBVHR) a quibusdam mutatur; item ea, quae nomine Mannae maſtichinae orientalis apud MATTHIOLVM et IO. BAVHINVM venit. Creber eſt in Hiſpania Ciſti ladaniferi prouentus, cuius rami vetuſtiores fluidam materiam exſudant, quae calore ſolari denſatur in maſſam albam dulcem longitudine et craſſitie

tie digiti. Recens tamen non habet vim purgantem ſed nutriens eſt, et abunde a paſtoribus et pueris editur. Vis illa purgans videtur fermentatione modo produci; ſaltim Manna in fruſtis (*Manne graſſe*) longe efficacius purgat, quam Manna in guttis (*en larmes*). Haec tamen Manna nonniſi inde ab a. 1752. quum in eam a collegio medico Madritenſi inquireretur, in vſum tracta eſt (DILLON's *Travels through Spain p.* 127. et *Verſ. Germ. P.* 2. *p.* 300.).

Sed variae arbores ex genere Fraxini vberrimam et maxime lucroſam Mannae meſſem admittunt. Fraxini quidem Languedociae eam quoque aliquando fundunt (MOVSSET apud DV HAMEL *l. c.*), ſed hae arbores in Calabria et Sicilia ſucci iſtius praecipue feraces ſunt. Vnde vtramque hancce regionem praecipue Manna in Europa venalis patriam agnoſcit. Dolendum, in hiſtoria pereximiae et vſitatiſſimae medicinae tot hiatus apud auctores totque falſas narrationes obuenire. Ad veriorem et ſolidiorem cognitionem maxime faciunt obſeruationes recentiorum, eorumque hiſtoriae naturalis luce imbutorum.

In Calabria Manna ex Fraxino Orno originem ſuam trahit, quae quidem arbor in omnibus ſyluis prope Neapolin obuia eſt, ſed ob cultus defectum nullam ibidem Mannam producit. Errant, qui hanc ex foliis exſudare perhibent, ſed e contrario vulneratione cor-

 ticis

ticis arboris (Arbitror id de cortice trunci valere.), qua eiusdem portionem tres circiter pollices longam et duos latam excidunt, menſibus Iulio et Auguſto, diebus ſiccis et calidis ſenſim promanat et ſubito ſponte condenſatur. Duplex vero et diuerſum nomen Itali huic tribuunt. *Manna graſſa* illam vocant, quae defluens ad corticem illi adhaeret, et corbibus collecta ſicco loco ſeruatur. Haec ſaepe larga irregularia fruſta coloris ſubbruni conſtituit, puluere haud raro aliisque ſordibus conſpurcata. Aliam Mannam autem *Manna in Cannoli* h. e. cannulatam nuncupant, ſcilicet eam, quae, dum adhuc fluida eſt, obducit ſtramen vel ramuſculos plagae per corticem inflictae adpoſitos. Refert haec tubos fere regulares et priori ſpecie praeſtantior eſt, vtpote pura claraque. Raro occurrit tertia ſpecies in Calabria, albedinem ſacchari prae ſe ferens, ſed ad curioſitates potius, quam vſui dicatas res relata. Aeſtate pluuioſa et parca modo et malae indolis Manna colligitur (CIRILLO in *phil Tranſ. Vol.* 60. *p.* 233.). Incolae vrbium Cariati et Strongoli in Calabria coguntur Mannam Regi pro certo conſtitutoque pretio concedere, qui huncce reditum 32,000 Ducatis aureis in locationem ſolutis in alios transfert (*Gött. Anz.* 1783. *n.* 103. *p.* 1026.). Collectio Mannae, quae per menſem durat, pro exigua mercede paganis iniungitur, quod ſeruitium apud hoſce querimo-

rimonias bene multas mouet. Seuero etiam ſupplicio ſubmittuntur, ſi quid damni arbori afferant, aut ſi vel tantillum Mannae in horum domiciliis reperiatur. Nihilominus tamen collectionis loco, quantum volupe eſt, ingerere illis conceditur; et plerique horum ſemel per annum ea, tanquam medicina, vtuntur (SWINEBVRNE'S *Travels in the two Sicilies Vol. I. p.* 287. *ſq.*).

Antequam de Manna, quam Sicilia erogat, commenter, eam, quae prope Arienzo, vrbem inter Neapolin et Beneuento ſitam, ex Orno per corticem ramorum, ratione paullo ante dicta, vulneratum obtinetur, commemorare fas eſt. Miror, quod cl. CIRILLO, qui ſerius ſcripſit, quamuis opportunitas daretur, nullam eius mentionem fecerit. Attamen reditum Rex Neapolitanus exinde valde proficuum capit, ideoque cuſtodibus ſylua ad fures arcendos meſſis tempore inſtruitur (MORE in *phil. Tranſ. Vol.* 46. *p.* 470.).

In Sicilia omnes tres in fronte propoſitae ſpecies Fraxini ſponte creſcunt, ſed in Mannae prouentum vberiorem abunde coluntur, vel ſatione ſeminum, vel ſurculis terrae immerſis. Ante annum decimum Mannam non fundunt. Pro plantatione eliguntur plerumque loca decliuia orienti obuerſa. Licet autem Manna ſponte pullulet, inciſione tamen arborum longe vberius maiorique lucro promanat. Inciditur

 pla-

plaga, tempore ſereno non pluuioſo paullo ante dies caniculares declinante ſole, inſtrumento quodam ferreo adunco, cuius apex deorſum verſus, ſimili ei, quo ſutores vtuntur (*ſimile al trincetto dei Calzolai*: SESTINI. Vid. cultri iſtius figura in HÖVEL *Voyage pittoresque n. 6. Tab.* 32.) per craſſitiem corticis trunci, h. e. profunditate circiter dimidii pollicis. Initium ſectionis fit inferiori trunci parte et iteratur illa de die in diem pollicis diſtantia ſuperiora verſus ad infimos ramos vsque, ſed ſemper eodem latere trunci, vt alterum ſeruetur in ſubſequentem annum (SESTINI *Lettere dalla Sicilie Tom.* 2. *p.* 183. *ſqq.*). Sectiones perpendiculariter decurrunt longitudine ſpithamae. Longitudo horizontalis, puto latitudinem, duos pollices conſtituit (HOVEL *l. c. p.* 52.). In quibusdam regionibus, praecipue vbi Mannae mercatura lucroſa, adhibent ferramentum, triplici acie diſtantia pollicis vnius inſtructum, quo igitur vna tres inciſiones fieri poſſunt. Inciſione facta mox ſuccus craſſus albidus (HOVEL aquam limpidam vocat), promanat, ſenſim ſuper cortice ſeſe denſans et omni circiter octiduo mane, antequam atmoſphaera nimium incaleſcat, aufertur. Corbibus primum excipitur, dein ex hiſce in ciſtas magnas promptuariorum transfertur, intra quas ad exteros transmittitur. Subinde tam larga copia ſuccus profluit, vt ad terram vsque decidat, quo ipſo facile conſpurcatur, niſi magna folia ex

Opun-

Opuntiae ſpecie, quae ſiccata ſpeciem diſci concaui formant (HOVEL *fig. cit.*), vel lapides vel arcae ligneae, ad eandem excipiendam, ſubſternantur. Diſtinguunt hanc viliorem, ex Fraxinis montium petitam, Siculi nomine *Manna Forzata* vel *in Fraſca* vel *in Sorte*, ab alia, quae inſtar Stalactitis nodoſae adhaeret cortici, albidior eſt et dulcior, et ab iis *Manna in Cannuolo* vel *di Corpo* vel *ſpontanea* dicitur. Sponte haec exundat ex ſurculis et ramis tenellis, ſed parca quantitate (SESTINI). Patet ex dictis, ſi cum ſupra de Manna Calabrica prolatis, comparentur, Mannam cannulatam non vnius generis eſſe. Idem ferramentum, quo plagae inciduntur, colligendae Mannae inſeruit. Terminat laborem tempus pluuioſum, quod incidit verſus finem Septembris, et pluuia, quae liquat Mannam, et eandem verſus baſin arboris defert. Adeo autem praeſtantem mercem conſtituit Manna, vt fertili anno 25000 Ludouicos aureos Siculi inde lucrentur. Hinc et minus fauente tempeſtate ſuperſtitioſa gens Sanctos Sanctasque clamoribus et lacrymis implorat, et cereos immolat (HOVEL). Multis locis Siciliae colligitur, nominatim ſylua magna Caroniae prouentu Mannae egregiae et ab exteris expetitae inclaruit. Magni et fit ea, quae ex Marchionatu Gerari inter vrbes Cataniam et Taorminam petitur. Transfertur haec Manna plerumque ex vrbibus Palermo et Cefalu Li-

 burnum,

burnum, Genuam et Maſſilios. Sicula ſiccior eſt, quam Calabrica, vnde iſta aegrius corrumpitur (SESTINI).

Sic igitur ſatis ſuperque patet, Mannam, quam Chaldaicam vocem volunt, ſuccum arbori proprium eſſe. Et cadit antiquior opinio, eſſe roris ſpeciem coelitus delapſam (Conf. de hoc rore IO. BAVH. *Hiſt. pl. T. I. P.* 2. *p.* 180.), quam ipſam iam refutauit DONATVS AB ALTOMARI (*de Mannae differentiis ac viribus, Lugd.* 1562.), tanto certius, quum etiam in arboribus linteo obuolutis vel tectis Manna proueniat (RAII *Hiſt. pl. Tom.* 2. *p.* 1703.), et Manna tum in pluribus aliis arboribus vicinis herbisque eius tractus reperiunda eſſet. Sunt et cicadae vel alia inſecta, quae ex quibusdam arboribus Mannam punctione proliciunt (V. ROBINSON apud RAIVM *l. c.* et conf. HELBIGIVS in *Miſc. nat. curioſ. Dec. I. Ann.* 9. 10. *p.* 459. et GRIMM *Lib. cit. Dec.* 2. *Ann.* 1. *p.* 369.).

Manna, ſi guſtatur mox poſtquam guttarum forma promanauerit, amaricantem ſaporem habet, ſed aquoſa parte diſpulſa, dulcior et gratior eſt (HOVEL *l. c. p.* 53.). Venalis in officinis plerumque conſtat maſſis difformibus ſubmollibus facile diſcerpendis, grumoſis, variegatis ex glebulis albido-flaueſcentibus et ſubgriſeis, cortice, feſtucis ligneis, puluere aliisque quiſquiliis plus minus inquinatis. Grana maio-

maiora magis alba ab hiſce ſeparata, vel fruſta iſta ſubcylindrica puriora ſupra deſcripta, quae ipſa in extremis vel ſubinde in decurſu fouea rotunda notata reperio, *Manna electa* dici ſolent. Odorem nullum Manna ſpirat. Natura proxime ad ſaccharum et mel venit. Sapor nimirum eius dulcis ſubnauſeoſus, ſed nullo modo acris eſt. Soluitur facile aqua, citius calida, cuius pars aequalis ſoluendae Mannae ſufficit; ſoluitur et ſpiritu vini rectificato ope caloris; non vero oleo expreſſo. Flammae admota liquatur, ſpumeſcit, ſtrepit, item accenditur, et, dum ardet, flamma coerulea copiam ſcintillarum flauarum proiicit. Praeterquam hiſce momentis analyſi chemica cognoſcitur, ſalinas, mucilaginoſas et vnctuoſas partes illi ineſſe (NEVM. *Chem. Vol.* 2. *P.* 3. *p.* 293. *ſqq.*). Fortiori igne ſpiritum acidum erogat. Operae pretium eſſet, Mannam curatiori ſcrutinio chemico ſubmittere, quam quod hactenus ſubiit: tunc ſine dubio confirmabitur, quod quidem NEVMANNVS (*l. c. p.* 298.) pro fabula reputauit, ſpiritu Mannae aurum ſolui, quam vim praeſtare acidum ſacchari SCHRICKELIVS (*Diſſ. de ſalibus ſaccharinis vegetabilibus, Gieſſae p.* 35.) edocuit.

Genuina Manna corrumpitur aliquando immixto ſaccharo farinaceo vel penidio vel amylo, vel melle (NEVMANN *l. c. p.* 287.), vel ita vt cum aliquo dulcium dictorum Sennae folliculi (IO. BAVH. *l. c. p.* 187.)

compingantur, vel Scammonium (GEOFFROY *Mat. med. Traité Tom.* 4. *p.* 143.); vel ita vt cum pauxillo Mannae ſal Glauberi et ſaccharum commiſceatur (MORE *l. c.*).

In antiquitatibus Mannae enucleandis non multum ſtudii impendere animus eſt. Multi in ea re antea deſudarunt, quorum praecipue SALMASIVS (*de Manna et ſaccharo commentarius. Paris* 1664.) DEVSINGIVS (*de Manna et ſaccharo, Groeningae* 1659.) et FABER (REISKII et FABRI *Opuſcula medica ex monimentis Graecorum et Arabum, Halae* 1776. Vid. inde a *pag.* 83.) nominandi ſunt. Verum non linguarum modo ſtudium, ſed et ipſius naturae, et inſignis patientia requiritur, quam ipſam in ſcrutiniis exigui in rempublicam commodi fateor mihi deeſſe. Varietas arborum, quae ſuccum dulcem fundunt, ſub neglecta a veteribus botanica deſcriptione, difficultatem praecipuam parit. GALENI Δροσόμελι ſ. Αερόμελι (Mel roſcidum et aëreum, *de aliment. facult. L.* 3. *c.* 39. *p.* 198. *Ed.* RICCI) et HIPPOCRATIS Μελι κεδρινον (Mel cedrinum, *de vlceribus p.* 876. *Ed.* FOËSII) liquida Manna eſt, ex foliis quarundam ſtirpium erumpens, et quantum apparet, eadem, cuius meminit BELLONIVS (*Obſerv.* in CLVS. *exotic. lib. p.* 129.); etſi vocem Tereniabin ad hanc male applicatam exiſtimem. Sed apud iſtos auctores liquida haec Manna inſtar medici-

nae

nae non valde eminuit; nec alius ſpeciei Mannae ab iis mentio fit. ACTVARIVS (*Method. medendi Lib.* 5. *c.* 8. *p.* 390. *Ed.* ALD.) Graecorum primus eſt, qui Mannae voce ſaltim in verſione Latina, vtitur, (nam textus Graecus nunquam prodiit) idque modo ſemel inſtar purgantis, Caſſia nonnihil efficacioris. Arabibus vero purgans Mannae vis tanto notior fuit, et ſubſequente aetate ſuo exemplo ad communem vſum alios incitarunt. Hi vero tres eius ſpecies agnouerunt, Mannam, Tereniabin, et Siracoſt, quarum diſcrimina vera ob defectum deſcriptionum nos latent. Tereniabin autem eſſe eam, quam ſupra dixi ex frutice Alhagi colligi, ſuadet et Arabum opinio, quod in frutices quosdam ſpinoſos decideret, et patria, in qua eiusmodi Manna hodie adhuc congeritur, et nomen idem Arabicum vel nonnihil mutatum, quod iſti adhuc in patria tribuitur. Hanc Italica Manna efficacia eſſe multo inferiorem TOVRNEFORTIVS declarat, ita vt pro conſueto vſu pondus 25, ad 30, drachmae requireretur; id quod cum cl. NIEBVHR (*Beſchreib. v. Arabien p.* 147.) effato optime conuenit, qui in Perſia eam ſaccharo fere in cibis ſubſtitui refert eiusque magnam copiam edi absque alui purgatione.

Neapoli Manna potius conſideratur tanquam merx, quam medicamen praeſtans (CIRILLO *l. c.*). Et in Sicilia tranſalpina vulgatiſſimus eius vſus eſt ad

merces laneas firmitate et nitore imbuendas (SESTINI *l. c. p.* 191.). En igitur nouum documentum, quod in patria ea ſaepe vilipendantur, quae exteris maxima in exiſtimatione ſint.

Eſt vero Manna purgans pereximium, blandum quidem ſed efficax, absque vlla exaeſtuatione ſiti vel aliis moleſtiis aluum ſoluens. Hinc cuilibet aetati etiam tenerrimae opportuna eſt, grauidis aeque ac non grauidis, nec vlla temperamenti indoles illi aduerſatur. Acutis febribus et inter haſce inflammatoriis tanto accommodatior eſt, quum acore ſuo refrigeret et putredini reſiſtat, blande ſaponis inſtar reſoluat, et acria mucilaginoſis partibus obuoluat. Infantibus dulcedine prae reliquis omnibus purgantibus placet, quibus quoque ideo haud parum conducit, quod commodiſſima forma, quin vel iis inſciis, exhiberi poteſt. Singularis eius in tuſſi, raucitate, oppletione pectoris pituitoſa vel inflammatoria, catarrho, praeſtantia eſt, vt in quibus malis blande impacta ſoluit et ſcreatu molli extundit, acres ſtimulos obducit, partes eroſas oblinit, rigidas fibras relaxat, ſpaſticas conſtrictiones expedit, imo humores blande auocat et irritamenta in primis viis ſtabulantia, quae vel malum ſuſcitant vel alunt, eliminant.

Ad coërcendam et ſubigendam febrem ſuppuratoriam, quae vel in confluentibus variolis vel cohaerenti-

rentibus vel diſcretis copioſoribus incidit, et periculoſiſſimam ſcenam morbi conſtituit, tempeſtiue capta laxantia ex leniorum claſſe plurimum faciunt. Etenim haec materiam varioloſam pusque contractum per ſanguinis maſſam fluctuantem euerrunt, colluuiem inteſtinalem, quae nouum illi fomitem praebet, ſubducunt, et tenſionem cutis, quae ſtimulum febri dat, egregie tollunt. Ita cum febre omnes cruciatus remittunt, ſic praeuertitur ſecundae puſtularum ſuppurationi, quae exſiccationem aliquoties excipit. Sic metaſtaſes ad oculos aliosque ſenſus, vel ad pectus aliaque interna viſcera, ſic abſceſſus moleſti oſſa ipſa nonnunquam erodentes, optime praecauentur. Non excluditur tamen acidorum iunctus vel in hiſce anguſtiis vſus, cuius vis putredinem infringendi notiſſima. Prout SYDENHAMVS luculenter damnum ex fecum alvinarum retentione in variolis demonſtrauit ſimulque vſum catharticorum neruoſe commendauit: ita FREINDIVS (*Commentarii de febribus p.* 148. *ſqq.* et *Epiſtolae de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre*) cum amicis Anglis commercio illi iunctis, HELWICHIVS (*Ephem. nat. curioſ. Cent.* 7. 8. *p.* 353. *Obſ.* 60. quae inſcribitur *de tutiſſima febris variolas confluentes excipientis curatione per blanda euacuatione*), HEISTERVS (*Diſſ. de Manna et ſpeciatim de ſecuro ac proficuo eius vſu in variolis confluentibus ad imminuendam et tollendam febrem maturationis tempore oriundam, reſp.* BRELITZ

LITZ 1725.), TISSOTVS (*Epiſt. medico-pract. p.* 258. *ſqq.*) de induſtria efficaciam catharticorum in febre ſuppuratoria variolarum extra dubium ponere anniſi ſunt. Hocce diuino praeſidio millenis hominibus ſeruari vitam et integritatem quilibet ſanior medicus iam agnoſcit. Quod ad initium, a quo propinari debent, attinet: aurea verba FREINDII ſunt, "medicinam non ad temporis menſuram, ſed ad morbi momenta accommodari debere" (*de purgant. p.* 15.). Addit tamen, eam poſſe regulam ſtatui, commodam eſſe purgationem alui, "vbi ſemel exaruerint puſtulae." Nono igitur morbi die, quum puſtulae faciei ad partem iam ſiccae apparent, pharmacum ingerendum, ea copia, vt aluus ter, quater, quinquies moveatur, et pergendum eo ſequentibus. Tempeſtiuis purgationibus quoque fauet TISSOTVS, et in confluentibus variolis et numeroſis diſcretis a primo impetu febris ſuppuratoriae aluum mouet, in mitioribus autem variolis purgat, ſimul ac flaueſcat facies, et fauſtius ſuccedere rem tum obſeruauit, quam ſi, vt vulgo fit, ad exſiccationem exſpectetur. Imo conſilii eſt, vt ſemper poſt variolas etiamſi diſtinctas, ſi paullo numeroſiores fuerint, purgantia ad finem morbi capiantur. Si negligitur poſt inſititias variolas, exanthema pruriens naſci ſolet. Selectus quidem purgantium mitiorum varius eſſe poteſt, Tamarindorum, Caſſiae, aliorumque ex hiſce compoſitorum, ſed Mannata prae-

praecipue arriſerunt auctoribus in medium prolatis (Conf. ROSENSTEIN *om Barns Sjukd p.* 142.). Ita TISSOTVS nullius alius purgantis a ſe exhibiti, quam Mannae, meminit.

In dyſenteria euacuantia primam curationis paginam abſoluere nemo ignorat. Praemiſſo igitur emetico vel eodem, ſi vires proſtratae ſint, vel ſi morbus nimium increuerit, vel, ſi quid aliud contra moneat, neglecto, ad ea quae deorſum acrem ſtimulum emoliuntur, confugimus. DEGNERVS multique alii tam ante quam poſt eum Rheum huic fini maxime idoneum declarant, vt quod non ſolum colluuiem expellit ſed ſimul roborat. Sed ob eandem roborandi eius efficaciam, licet in decurſu morbi egregium, ſub initium morbi non confert, quippe qua impedit, ne ſordes ſatis euerrantur. Manna contra ea absque adſtrictione ſubſequa purgat, ſimul acre adhuc ſuperſtes mucilagine ſua inuoluit et partes a roſione defendit, et acido ſale inflammationem mitigat vel auertit. Mannam igitur potioni ſuae purganti dedita opera admiſcuit SYDENHAMVS (*Oper. p.* 183). Eius quoque praerogatiuam prae aliis laxantibus agnouerunt TRALLES (*de Opio ſect.* 1. *p.* 188.), MONRO (*Diſeaſ. in Britiſh milit. Hoſpitals p.* 70.), qui connubium ſalis cathartici amari aqua ſoluti cum Manna et oleo laudat, DVNCAN (apud MONRO *l. c. p.* 73.), qui ſtimulo et tormi-

torminibus nimis grauantibus in vulgari emulſione Mannam vtiliter ſoluit, BROCKLESBY (*Obſervations on Camp Diſeaſes p.* 196.), ZIMMERMANNVS (*von d. Ruhr p.* 407. *ſqq.*) cui mixtura ex ſale Sedlicenſi et Manna maxime opportuna fuit. Ad finem vero dyſenteriae omnino ab ea abſtineas, quum nimium relaxando facile tormina reſuſcitet, et Rheum potius ſubſtituas.

Nec reticendum eſt ſolamen, quod Manna in affectionibus variis viarum vrinariarum affert, cuius ratio non vnice in vi cathartica quaerenda, ſed et ſingulari eiusdem obliniente demulcente ſtricturasque ſpaſmodicas componente natura. De nephritide calculoſa, mictu cruento hacce cauſa oriunda, de dyſuria et ſtranguria loquor. Vix dignius fide exemplum praeſtantiae eius in mictu ſanguineo a calculo renali ſiſti poteſt, quam iſtud SYDENHAMI ipſius (*Opera p.* 555.), qui ex Manna in ſero lactis ſoluta ea tamen doſi capta, vt aluum ſolueret, optimum leuamen perſenſit. Vere diureticam vim praeſtare Mannam, vt quidem FR. HOFFMANNVS (*Diſſ. de Manna eiusque praeſtantiſſimo in medicina vſu p.* 25.) cenſet, concedere nequeo. Memorabilis tamen caſus meminit ſenis, per ſeptem dies vrinae ſuppreſſione poſt mictionem cruentam correpti cum exquiſitiſſimo circa regionem pubis dolore et perfecta alui conſtipatione, ſed decocto

man-

mannato ita adiuti, vt, quae nec catheteri quidem reſpondere voluit lotii ſecretio, iam liberrime reſponderet.

Inter haecce praeconia autem non diffitendum eſt in quibusdam hominibus, quibus valde laxa inteſtina obtingunt, non eſſe opportunum Mannae vſum. Hi enim ex vſu praeſertim liberaliori eius flatus inde concipiunt, tormina, diſtenſionem abdominis. Habet id cum dulcibus commune, quae in debilioribus fermentationem facile ſubeunt. In iis igitur morbis, quibus abdomen turget, meteoriſmum vocant, non confert Manna pro purgante vti. Eiusmodi flatulentiis ex Manna obuiam additamento aromatis blandi itur, vt ſeminum Coriandri, Foeniculi, Aniſi vulgaris, infuſione vel decoctione eruti, vel Manna in aqua aromatica ſ. carminatiua ſoluta.

Ob mitem effectum vix vnquam Manna ſola purgandi ſcopo praebetur, niſi infantibus, quibus ſoluta in infuſo Theae vel decocto auenaceo vel alio potulenti genere, et hiſce quidem ſaepe inſciis, a drachmis duabus ad vnciam dimidiam ingeritur. Adultus eget doſi vnciae vnius, duarum, vel maiori. Acuitur vero commode admiſto cremore tartari vel ſale medio dum Manna cum ſale aqua communi feruida vel alia ſoluitur; e. c. Mannae vncia vna cum ſemiſſe et ſalis mirabilis Glauberi vncia dimidia ſolui poterunt

in

in aquae vnciis quatuor, addito ſyrupo grato acidiuſculo. Vel et commode alia efficaciora purgantia, vt Tamarindi, Caſſia, Senna, Rheum cum Manna copulantur. Praeſtat Mannam in eiusmodi miſcela partitis doſibus, quam vna, alui laxandae cauſa capere. Aliae miſcelae pro ſcopis variis opportunae, quarum paſſim ſupra exempla adfuerunt. Sic forma linctus contra tuſſim in vulgari oleoſorum et mucilaginoſorum conſociatione locum habet.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

MANNA TABVLATA *offic.* eſt Manna vulgaris aqua ſoluta, poſt colationem in ſpiſſitudinem tabulati condenſata et in modulos morſulorum effuſa. Eſt igitur Manna a ſordibus ſuis liberata.

MANNA TARTARISATA non vbiuis in officinis amplius obuia. Occurrit tamen in *Ph. Dan. p.* 187. Additur depuratae Mannae, dum in tabulatum coit, cremor tartari indeque morſuli fiunt. Sic igitur augetur Mannae vis.

ELECTVARIVM DE MANNA. *Ph. Würt. p.* 47. Mannae et ſaccharo aquae quadam portione ſolutis et colatis radix Ireos Florentinae et oleum Amygdalarum admiſcentur. Tenellae aetati aptiſſimum ad educendum meconium, quo fine omni trihorio cochleare

leare pro Thea exhibetur. Infanti dimidium annum iam nato cochlearia eiusmodi duo quauis vice ad alvum ducendam conceduntur.

INFVSVM LAXATIVVM MANNAGETTAE. *Ph. W. p.* 100. Ex Senna, cremore tartari, Paſſulis, Zingibere, Manna, aqua feruida infuſis. Crebrae apud Germanos medicos praeſcriptionis. Conuenit cum hoc in plerisque

INFVSVM LAXATIVVM VIENNENSE. *Ph. W. p.* 100. ſ. AQVA LAXATIVA VIENNENSIS. *Pharmacopoea auſtriaco-provinc. p.* 182. contractiorem formulam ſiſtit.

SYRVPVS DE MANNA SOLVTIVVS. *Ph. W. p.* 213. Largae compoſitionis, quam intrant Senna, aromata rel. Euiluit, qui tenellae aetati olim dicatus erat.

LOHOCH DE MANNA. *Ph. Ed. p.* 79. Ex Manna, oleo Amygdalarum, ſyrupo Violarum.

ORDO XXXVI.

COADVNATAE.

? ILLICIVM.

LINN. *Syſt. veg. p.* 422. *Gen. pl. p.* 244. *Mant. p.* 167.

421.

Pharm. ANISVM STELLATVM vulgo, ANISVM SINENSE item SEMEN BADIAN *Ph. Pariſ.*

Illicium aniſatum; (floribus flaueſcentibus). LINN. *Syſt. veg. p.* 422. THVNBERG. *Flora Iapon. p.* 235. Aniſum Philippinarum inſularum. CLVS. *rar. plant. hiſt. Lib.* 6. *cap.* 25. cum *icone* capſularum ſuis pedunculis inſertarum. Somo, vulgo Skimmi. KÄMPF. *Amoen. exot. p.* 880. cum *Tab.* Non videtur Cluſiana ſtirps a Kämpferiana ſpecie differre, certe numero et figura capſularum conueniunt, quas octonas CLVSIVS depinxit, etſi ſenas octonas vel plures verbis deſignet. Arbor in Iaponia et China item inſulis Philippinis creſcens.

Anno 1765. aliud Illicium (*Floridanum* LINN. *Syſt. p.* 422.), in Florida occidentali et a. 1766. in Flori-

Florida orientali detectum, quod ſpecie diſcrepare viſum eſt (ELLIS in *philoſ. Tranſ. Vol.* 60. *p.* 524. *ſqq. Tab,* 12. Vid. et icon in REGNAVLT *Botan.* L'Anis etoilé ou la Badiane.), inter alia ob flores profunde rubros et capſulas duodecim vel tredecim. Vlterior obſeruatio docebit, an notae ſuppeditatae pro diſtinctione in ſpecies ſufficiant. Non differre hocce reſpectu cl. STORK (*Deſcription of Eaſt-Florida p.* 17.) affirmat, nixus comparatione b. SOLANDRI inter ſpecimina Floridana et Iaponica KÄMPFERI in muſeo Britannico ſeruata. Imo plures alias ſtirpes Florida et Iaponia communes habent. Limites inter vtramque ſpeciem determinare non auſus eſt LINNEVS niſi a colore florum, quam notam tamen vt ſubſidiariam modo vncinis incluſit.

Diis ſacerdotes Chinae et Iaponiae et Brachmanes gratam eſſe arborem hancce venditant, vnde ramulos in faſciculos vel ſerta redactos idolis ex adverſo collocant piisque manibus ſepulchris impoſitos litant. Corticem gentes iſtae ad chronometrum ingenioſe adhibent; ſcilicet hic ipſe in puluerem contritus et per canaliculos cineribus impreſſos inſperſus pro fomite eſt, qui accenſus et lenta ſcintillatione ad certum ſpatium depaſtus tempus partitur, et ſubſequente publico aeris campani impulſu horas indi-

cat. Sed magis medici ſcire intereſt, corticem accenſum pergratum ſuffitum ſpargere, vnde et in aris ex vaſis aeneis in honorem idolorum ſurgit. Et ad venenorum hiſtoriam pertinet, quod venenum piſcis Tetraodon ocellatus dicti (LINN. *Syſt. nat. Tom. I. P.* I. *p.* 411.) acuatur ramulo Illicii decoctioni piſcis addito, quo nefando artificio multi ſibi mortem accelerarunt (V. de hiſce KÄMPFERVS *l. c.*).

FRVCTVS, nomine *Aniſi ſtellati* veniens, ex ſex plerumque, octo, (vt et figurae CLVSII *l. c.*, REDI *Exper. circa varias res naturales p.* 156. KÄMPF. *l. c.* docent), raro pluribus, capſulis, ſtellatim inſtar fructus Dictamni albi iunctis, compreſſis vniloculāribus oblongis acutis, conflatur. Sunt hae ferruginei coloris, extrinſecus rugoſae, interne glabrae, ſuperiori margine dehiſcentes, inferiori conuexo tumido aſpero. Semen ouatum compreſſum ſub arillo nitente badio fragili nucleum albidum comprehendit.

Sub finem ſeculi 16. ex inſulis Philippinis fructus in Europam translatus per nauclerum Anglum, cuius nomen CLVSIVS deſignat CANDI, Angli autem CANDISH (ALSTON *M. m. Vol.* 2. *p.* 322.) item CAVENDISH (ELLIS *l. c.*). In aula Moſcouitica exeunte ſeculo 17. variis vſibus dein enarrandis placuit (ELS-

HOLZ

HOLZ in *Miſc. nat. cur. Dec. I. Ann.* 6. 7. *Obſ.* 79. *p.* III.): vnde Badianum Moſcouiticum dictum. Anglis ille hodie non vſu venit, Germanis rarius, quam Suecis et Gallis.

Odore ſaporeque fructus aemulatur Aniſi vulgaris vel Foeniculi ſemen. Sic et cum aromatico ſapore dulcedo iungitur, vtroque autem ſenſu fortior eſt. Capſulae ipſae magis afficiunt linguam, quam ſemen, et huius cortex magis nucleo, qui ſaporem cum leni aromate pinguem prodit. Aroma mitius ineſt capſulis Iaponicae ſtirpis, quam iis, quae ex China etiam in Iaponiam venales transferuntur (THVNB. *l. c. p.* 236.). Si fides NEVMANNO (*Chemie Vol.* 2. *P.* I. *p.* 132.) et CARTHEVSERO (*M. m. Vol.* 2. *p.* 323.): ſemina plus olei aetherei deſtillatione exhibent, quam capſulae ſeminales. Capſulae autem acriorem reſinam ſuppeditant (CARTHEVS). Extractum aquoſum, quod ex hiſce elicitur, abundantius quidem eſt ſpirituoſo, ſed odoris ſaporisque longe debilioris. Nuclei frigida preſſione oleum vnguinoſum erogant grati odoris; ranceſcere et pariter in fructibus vetuſtioribus ſenſi. In vſum medicum plerumque et capſulae et ſemina iunctim contunduntur.

Virtutibus proxime venit Aniſum ſtellatum vulgari. Maſticatur a Chinenſibus (GEOFFROY *M. m. Traité T.* 3. *p.* 368.), vti olim in aula Moſcouitica

 (ELS-

(ELSHOLZ *l. c.*), ad oris halitum gratiorem reddendum. Norunt et hae gentes ventriculum inde roborari, ciborum digeſtionem adiuuari et neruos refici. Quoniam ſpiritus vini efficaces partes abripit, parant et inde deſtillatione ſpiritum gratum et efficacem. Quidni igitur ad hunc fructum becchicam Aniſi vim referamus, modo abſit febris; vnde et infuſa theaeformia contra tuſſim intrat. Ad praecauendos morbos catarrhales tempeſtate nebuloſa, ſed reſtrictione iuſta admiſſa, commendatur hocce Aniſum inſtar Theae ingeſtum (*Diſſ. Pariſ. Ergo nebuloſo tempore ſeminis Banian vſus*, *reſp.* DESLONGROIS, *praeſ.* CASAMAIOR, 1777. in cel. TODE *Bibl. Vol.* 8. *p.* 469.).

Exſtat apud aromatarios *Cortex Aniſi ſtellati* item *Cortex Lauola* dictus. An vero hic ex eadem arbore, qua fructus, incertum eſt. Fruſtis occurrit, pedem circiter dimidium longis, vix lineam craſſis, diametro digiti. Horum extima pars rugoſa griſea facile digitis diſcerpi poteſt, interna compactior et fuſca eſt. Saporem eundem aromaticum dulcedine iunctum odoremque, qualem fructus huc vsque dictus vel, ſi malis, lignum Saſſafras, prae ſe fert.

DESIGNA-

DESIGNATIO SPECIERVM IN TERTIO VOLVMINE CONTENTARVM

S T I R P E S.

Nomen pharmaceuticum. *Nomen ſyſtematicum.*

ORDO XXVI. MVLTISILIQVAE.

	Nomen pharmaceuticum	Nomen ſyſtematicum	
329.	Aquilegia	*Aquilegia vulgaris.*	pag. 1
330.	Aconitum ſ. Napellus	*Aconitum Napellus.*	5
331.	Anthora	— — *Anthora.*	29
332.	Conſolida regalis ſ. Calcatrippa	*Delphinium Conſolida.*	31
333.	Staphiſagria	— — *Staphiſagria.*	32
334.	Nigella	*Nigella ſatiua.*	35
335.	Paeonia	*Paeonia officinalis.*	37
336.	Helleborus niger	*Helleborus niger.*	43
337.	— — viridis	— — *viridis.*	68
338.	— — foetidus	— — *foetidus.*	70
339.	Ranunculus pratenſis	*Ranunculus acris.*	75
340.	— — paluſtris	— — *ſceleratus.*	82
341.	Flammula	— — *Flammula.*	86
342.	Ranunculus bulboſus	— — *bulboſus.*	88
343.	Chelidonium minus	— — *Ficaria.*	90
344.	Ranunculus albus	*Anemone nemoroſa.*	91
345.	Pulſatilla nigricans	— — *pratenſis.*	93
346.	Hepatica nobilis	— — *Hepatica.*	102
347.	Flammula Iouis	*Clematis recta.*	103
348.	Thalictrum	*Thalictrum flauum.*	107

Nomen pharmaceuticum.	Nomen ſyſtematicum.	
349. Dictamnus albus	*Dictamnus albus.*	108
350. Ruta	*Ruta graueolens.*	112

ORDO XXVII. SENTICOSAE.

351. Filipendula ſ. Saxifraga rubra	*Spiraea Filipendula.*	118
352. Vlmaria	— — *Vlmaria.*	120
353. Caryophyllata ſ. Geum vrbanum	*Geum vrbanum.*	122
354. Geum riuale	— *riuale.*	132
355. Anſerina	*Potentilla Anſerina.*	135
356. Pentaphyllum	— — *reptans.*	138
357. Tormentilla	*Tormentilla erecta.*	140
358. Fragaria	*Fragaria veſca.*	142
359. Agrimonia	*Agrimonia Eupatoria,*	147
360. Alchemilla	*Alchemilla vulgaris.*	149
361. Rubus idaeus	*Rubus idaeus.*	151
361. Baccae norlandicae	— *arcticus.*	153
363. Chamaemorus	— *Chamaemorus.*	156
364. Roſae damaſcenae	*Roſa centifolia.*	157
365. — rubrae	— *gallica.*	166
366. — ſylueſtres	— *canina.*	172
367. — albae	— *alba.*	175

ORDO XXVIII. POMACEAE.

368. Pomum	*Pyrus Malus.*	177
369. Cydonia	— *Cydonia.*	196
370. Meſpilus	*Meſpilus germanica.*	200
371. Sorbus aucuparia	*Sorbus aucuparia.*	203
372. Ceraſa rubra acida	*Prunus Ceraſus.*	205
373. —— nigra	— *auium.*	209
374. Lauroceraſus	— *Lauroceraſus.*	213

No-

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
375. Pruna	— *domeſtica.*	227
376. Acacia noſtras	— *ſpinoſa.*	234
377. Perſica	*Amygdalus Perſica.*	241
378. Amygdalae dulces; amarae	— — *communis*	247
379. Granatum; Balauſtia	*Punica Granatum.*	262
380. Citrus	*Citrus Medica.*	265
381. Aurantium; Napha	— *Aurantium.*	284
382. Ribeſia rubra	*Ribes rubrum.*	304
383. —— nigra	— *nigrum.*	307

ORDO XXIX. HESPERIDEAE.

384. Myrtus	*Myrtus communis*	312
385. Caſſia caryophyllata	— *caryophyllata*	314
386. Amomum ſ. Pimenta	— *Pimenta*	316
387. Caieput	*Melaleuca Leucadendron*	319
388. Caryophylli; Anthophylli	*Caryophyllus aromaticus*	333

ORDO XXX. SVCCVLENTAE.

389. Opuntia	*Cactus Opuntia.*	342
390. Sedum minus	*Sedum acre*	344
391. Telephium ſ. Faba craſſa	— *Telephium.*	348
392. Sedum maius	*Semperuiuum tectorum.*	350
393. Rhodia	*Rhodiola roſea.*	353
394. Portulaca	*Portulaca oleracea.*	354
395. Saxifraga alba	*Saxifraga granulata*	355

ORDO XXXI. COLVMNIFERAE ſ. MALVACEAE.

396. Althaea	*Althaea officinalis.*	357
397. Malua arborea	*Alcea roſea.*	363
398. — vulgaris	*Malua ſylueſtris.*	364

	Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
399.	Goſſypium; Bombax	*Goſſypium herbaceum.*	397
400.	Abelmoſch	*Hibiſcus Abelmoſchus.*	376
401.	Cacao	*Theobroma Cacao.*	378
402.	Orleana	*Bixa orellana.*	392

ORDO XXXII. GRVINALES.

403.	Geranium robertian.	*Geranium robertianum*	396
404.	Guaiacum ſ. Lignum ſanctum	*Guaiacum officinale.*	398
405.	Quaſſia	*Quaſſia amara.*	432
406.	Simaruba	— *Simaruba.*	457
407.	Linum	*Linum vſitatiſſimum.*	474
408.	Linum catharticum	— *catharticum.*	480
409.	Acetoſella	*Oxalis Acetoſella.*	492
410.	Ros ſolis	*Droſera rotundifolia.*	500

ORDO XXXIII. CARYOPHYLLEAE.

411.	Tunica	*Dianthus Caryophyllus.*	503
412.	Saponaria	*Saponaria officinalis.*	505

ORDO XXXIV. CALYCANTHEMAE.

413.	Lyſimachia purpurea	*Lythrum Salicaria.*	510

ORDO XXXV. ASCYROIDEAE.

414.	Ladanum	*Ciſtus creticus.*	514
415.	Hypericum	*Hypericum perforatum.*	518
416.	Mangoſtana	*Garcinia Mangoſtana.*	525
417.	Tilia	*Tilia europaea.*	527
418.	Nymphaea alba	*Nymphaea alba.*	532
419.	Fraxinus	*Fraxinus excelſior.*	535
420.	Manna	— — *Ornus etc.*	542

ORDO XXXVI. COADVNATAE.

421.	Aniſum ſtellatum	*Illicium aniſatum.*	562

FINIS VOLVMINIS TERTII.

CONTI-

CONTINVATIO RECENSVS ICONVM AD PRIORVM VOLVMINVM STIRPES SPECTANTIVM

(V. Appar. med. Vol. 2. p. 461.)

AD VOL. I.

Populus balſamifera p. 50. REGNAVLT *Botanique, le Tacamahaca.*

Betula alba p. 69. *Loc. cit. Le Bouleau.*

Piſtacia Terebinthus p. 75. *L. c. Le Terebinthe.*

Arnica montana p. 157. *L. c. L'Arnica.*

Doronicum Pardalianches p. 163. IACQ. *Fl. auſtr. T.* 350.

Senecio vulgaris p. 172. REGN. *L. c. Le Seneçon.*

Peucedanum officinale p. 238. *L. c. Le Fenouil de Porc.*

Heracleum Sphondylium p. 256. *L. c. La Berce.*

Aethuſa Meum p. 277. IACQ. *Fl. auſtr. T.* 303.

Paſtinaca Opopanax REGN. p. 286. *L. c. L'Opopanax.*

Apium Petroſelinum p. 301. *L. c. Le Perſil des Iardins.*

Cucumis Colocynthis p. 407. *L. c. La Coloquinte.*

Atropa Belladonna p. 430. IACQ. *Fl. auſtr. T.* 309.

Conuoluulus Ialappa p. 502. REGN. *L. c. Le vrai Ialappe,* ſed absque flore.

Conuoluulus Soldanella p. 512. *L. c. La Soldanelle.*

Plumbago europaea p. 513. *L. c. La Dentelaire.*

Lobelia ſiphilitica p. 514. *L. c. La Lobelia.*

AD

AD VOL. II.

Gentiana lutea p. 11. REGNAVLT *Botanique, La grande Gentiane.*

Pyrola rotundifolia p. 79. *Loc. cit. La Pyrole.*

Capparis ſpinoſa p. 305. *L. c. Le Caprier.*

Siſymbrium Sophia p. 3 3. *L. c. Le Taliſtron.*

Caſſia Senna β p. 388. *L. c. Le Sené.*

—— Fiſtula p 395. *L. c. La Caſſe.*

Tamarindus Indica p. 425. *L. c. Le Tamarin.*

AD VOL. III.

Pyrus Cydonia p. 196. IACQ. *Fl. auſtr. Tab.* 342.

ERRATA VOLVMINIS TERTII.

Pag. 9. lin. 6. lege: in quibus contra ſuperficies p. 16. lin. 20. l. ſingularis a. p. 20. lin. 2. dele: non. p. 51. lin. 7. l. genuina. p. 64. lin. 2. l. obſeruatus. p. 106. lin. 12. l e re. p. 107. lin. vlt. l. applicatur p 121. lin. 12. loco alia l alui. p. 126 lin. 9. dele: ſubinde. p. 132. lin. penult. l. Sueciam p. 143. lin 16. l. *fluuiatilibus* p. 154. l. 13. l. atropurpureae p 196. lin. 2. l. *Fructus* p. 207. lin. 6. l. temperatioris. p. 249. lin. 15. loco eſt l. ſit p. 253 lin. 12. l. ſcopo. p. 273. lin. 30. l. adiumento p. 275. lin. 7 l. minoris. p. 300. lin. vlt. l. integre p 331 lin. 2. l. membra p 350 lin 18. l. affundas. p. 376 lin. 5. l. ſubpeltato. p. 381 lin. 22. l. mucilaginis blandae. p. 383 lin. penult. l. Succolatam. p. 384 l penult l. Succolatae. p. 393. lin. 5. l. agit. p. 407. lin 3. l. Reſinoſae p. 414 lin 4 l. foedeque p. 415. lin. 3. l. qui. p. 424. lin. 14 loco annos l menſes. p. 432. lin. vlt. l. THORSTENSEN. p. 453 lin 21. loco annumerare l. auerruncare. p. 486. lin. 8. l exhibitum. p. 492. lin. penult l accedit, p. 493. lin 8. l. ſole. p. 495. lin. 12. l. requirantur. p. 512 lin. 21. lege. Si. p. 516. lin. 21. loco vel l. et. p. 553. l. 19. l. 3 drachmas, p. 554. lin. antepen. l. eliminat.